2.

ANDREÆ LAVRENTII, FERRERII DOMINI, GALL. REGIS CHRISTIAN. CONSILIARII AC MEDICI PRIMARII, ET ACADEMIÆ MONSPELIENSIS CANCELLARII

OPERA THERAPEVTICA.


NIMIRVM

I. Tractatus de Crisibus.
II. Tractatus de mirabili strumas sanandi vi, solis Galliæ Regibus diuinitus concessa.
III. Tractatus de nobilitate visus, eiusq; conseruatione.
IV. De Melancholia libri II.
V. Tractatus de Senectute.
VI. De morbo articulari tractatus.
VII. De Lepra tractatus.
VIII. Tractatus de lue Venerea.

OMNIA NVNC PRIMVM EDITA.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS, CAPITVM, & Materiarum.

Et Gratia ac Priuilegio S. Cæs. Maiest.



FRANCOFVRTI
Typis Caspari Rötelij, Impensis Guilielmi Fitzeri.
M. DC. XXVII.



INDEX
TRACTATVVM ET OPVSCVLORVM THERAPEVTICORVM ANDR. LAVRENTII, QVÆ HOC TOMO CONTINENTUR.

ANDREÆ LAVRENTII DE CRISIBVS LIBRI TRES.

Liber primus, in quo crisis natura, differentiæ omnes & signa critica explicantur.

LIBER II.

IN QVO DIERVM CRITICORVM differentiæ omnes explicantur.

LIBER III.

IN QVO CRITICORVM DIErum causæ omnes explicantur.

METHODVS VNIVERSALIS ad Prognosin & crises omnium morborum, sed præcipue acutorum conferens.

DE MIRABILI STRVMAS SAnandi vi, solis Galliæ Regibus diuinitus concessa

LIB. I.

LIBER SECVNDVS.

TRACTATVS

DE NOBILITATE VISVS, eiusq; per diætam, & medicamenta conseruandi vera methodo.

TRACTATVS

DE MELANCHOLIA.

LIB. I.

LIBER II.

De genratione catarrhi, eiusq; curæ.

TRACTATVS
DE SENECTVTE.

TRACTATVS
DE MORBO ARTICVLARI.

TRACTATVS
DE LEPRA.

TRACTATVS
DE LVE VENEREA.

FINIS.



LIBER

LIBER PRIMVS, IN QVO CRISIS IN NATVRA, DIFFERENTIÆ OMNES ET SIGNA CRITICA EXPLICANTVR.

PRAEFATIO IN QVA HISTORIAE CRITICAE VTILITAS DEMONSTRATVR.



CVM multa sint, eaque præclara, in hac, quam profitemur medendi arte, ad πρόγνωσιν & θεραπείαν affectuum medico necessaria, nullum tamen mihi vnquam vtilius, nullum feracius, nullum obscurius visum est argumentum, quam, quod circa crisεων & criticorum dierum naturam versatur. Nam cum medici officium sit, morbis humani generis hostes infestissimos profligare, diæta, pharmacia, chirurgia: quisquis critica signa & dierum criticorum historiam ignorauerit, is nec victus rationem præscribet accommodate, nec remedia exhibere poterit oportune. Hippocrates 1. aphorism. & lib de vict. rat. in acut. diætam nunc tenuiorem, nunc pleniorem instituit pro diuersis morbi temporibus. Aphoris. 7. 8. 9. 10. 11. ὁπόταν ἀκμάζῃ τὸ νόσημα quo tempore instat crisis, tenuissimum victum imperat, ne ab humoris morbifici coctione & eiusdem excretione auocetur natura. Exstat in epidemiis commemorabilis historia de Philonis filia, quæ cum septimo die liberali superueniente hæmorrhagia, morbi periculo defuncta videretur, quia eadem die laurius cœnavit, interiit. Diebus criticis nihil mouendum, nihil nouandum, nunquam purgandum aphor. 20. sectionis 1. & lib. 4. de morbis, dieb. imparibus, qui fere omnes sunt critici, cathartica exhibere vetat Hippocrates. Qui (inquit) diebus imparibus validiore cathartico vsi sunt, nimium sunt purgati & multi perierunt. Neque vero ad curationem modo, sed etiam ad prænotionem acutorũ morborum vtilis est crisεων & criticorum dierum dignotio? Prudentis enim est medici, tanquam è specula præuidere imminentes morborum tempestates. Instante crisi perturbatur natura, estque νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ aphorismo 13. sectionis 2. iactatio adest & anxitudo pene incredibilis, sitis inexplebilis, difficultas spirandi maxima, pulsus inæqualitas, capitis dolor ingens. Hæc sane ægrum adstantes, & ignaros, metu mortis exterrere solent; Prudentem vero & expertem medicum, spe salutis ob futuram crisin consolantur. Est itaque crisεων διάγνωσις ad morborum prænotionem ac curationem medico & vtilis, & necessaria. Verum in hac crisεων historia multa obseruantur inuoluta summeq; ardua. Quot enim in dierum logismo dissentientium opinionum sese offerunt fluctus? Quot in causarum inuestigatione scopuli? Quot in signorum antecedentium, comitantium, consequentium perspicientia syrtes? Hæc tamen singula primus omnium, quorum memoria ad nos peruenit, Hippocrates sua fretus μεγαλοψυχίᾳ in prognostico, aphorismis, epidemiis, libello de iudicationibus, & de diebus decretoriis, ita accurate exposuit, vt posteris gloriam omnem præripuerit. Hunc longo post æuo sequutus est Galen. qui primus Hippocratis oracula aperuit, & quæ αἰνιγματωδῶς à summo dictatore tradita erant, scriptis illustrauit doctissimis, idque libris tribus de crisibus & totidem de diebus decretoriis. Nos, quæ ab antiquis & iunioribus de crisis natura, differentiis & causis, fusa verborum serie sunt animaduersa, hic in epilogum, velut in certam summam, colligemus. Totam autem hanc crisεων doctrinam tribus complectar libellis. Primo crisis naturam, differentias, & critica signa aperiam. Secundo criticorum dierum numerum & eorundem vires patefaciam. Tertio causas dierum criticorum examinabo.

Criseon cognitio ad victum instituendum necessaria.

Vtilitas historiæ criticæ ad prognosin.

Institutum nostrum.

Quid crisis dictio denotet?

CAPVT I.

Crisis idem est ac iudicium.

KΡίσις dictio est Græca, quam varii varie interpretantur. Sunt qui à verbo κρίνω, quod Latine, iudico, & sententiam fero, significat, nominis etymon deriuent, vt κρίσις idem sonet, quod iudicium. Placuit Galeno nominis hæc interpretatio. Nam commentario in tertium prognost. τῆς κρίσεως nomen à plebeio quodam è medio foro in artem medicam fuisse translatum scribit. Et sane similia quodammodo sunt, capitis causam dicere, & acuto morbo laborare, ab actore in iudicium rapi, & à morbo in vitæ discrimen trahi. Atque vt tria sunt, quæ forum constituunt, actor, reus, iudex; ita hic tria spectantur: natura, morbus & dies criticus. improbatur à doctis quibusdam nominis hæc notatio: Nulla siquidem forensis iudicii cum naturæ & morbi concertatione est analogia, nisi inepta & insolens: Quis enim in hoc certamine iudex statuendus? Non medicus qui naturæ minister est & spectator tantum; Non natura quæ pugnat cum morbo; Non dies criticus, quippe qui per se agendi nullam vim habeat, vt docet Aristoteles in Metaphysicis: Crisin ergo ἀπὸ τοῦ κρίνειν, quod secernere est, deriuare malunt, vt crisis humoris potius secretionem denotet, quam iudicium. Hoc voluit Galenus commentario ad aphorism. 13. sectionis secundæ. γίνεται δὲ κρίσις τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ καὶ παρασκευαζούσης πρὸς τὴν ἔκκρισιν, id est, fit crisis natura secernente humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparante. Alii crisin ab excretione dictam putant, quod perfecta crisis excretione fiat. Sic Aristoteles in problematis κρίνει τὴν περίττωσιν, & Hippocrates sect. 4. libri de art. corrupt. ossi excretionem κρίσιν appellare solet. Sunt qui crisin certamen dicere malint? Est enim apud veteres κρίνω idem quod certo, vt διὰ μάχης κρίνειν τὸν πόλεμον. Et sane in crisi, aut saltem ea instante, maximum est naturæ & morbi certamen. Sed nobis, qui aucupes verborum non sumus, nihil interest κρίσιν ne iudicium, certamen, secretionem aut excretionem voces: Maioris fortasse erit operæ criseos varias acceptiones indicare, eiusque naturam definitione οὐσιώδει explicare.

Crisis secretio est.

Crisis excretio est.

Crisis certamen denotat.

Quam variæ sint crisis apud Hippocratem & Galenum acceptiones.

CAP. II.

Prima crisis acceptio.

Τῆς κρίσεως nomen in Hippocratis & Galleni doctrina varium est ac multiplex. Sæpe crisis morbi cuiuslibet solutionem quovismodo factam denotat, sic in prognostico, κρίνεται δὲ τὰ τοιαῦτα ἐν ἡμέρᾳ τε καὶ νυκτὶ, iudicantur autem huiusmodi vno die & nocte, id est, vt vertit Celsus, finiuntur. Sic libello de perceptionibus & περὶ κρισίων crisin definit Hippocr. ἀπόλυσιν νόσου & libro περὶ παθῶν. Iudicari in morbis est cum augescunt, aut marcescunt, aut in aliam speciem transmutantur, aut omnino desinunt. Nonnunquam crisis violentos quosuis naturæ motus & conatus significat, sic libris de septimestri & octimestri partu, abortus & partus ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ κρίνονται, ἐν ᾧπερ αἱ νοῦσοι, id est, in eo tempore iudicantur quo & morbus, & mors omnibus hominibus. Interdum pro morbi temporibus & exacerbatione vsurpatur crisis, vt aphorismo 19. sect. 1. His qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oporter, ἀλλ' ἀφαιρέειν περὶ τῶν κρισίων: nec sine ratione crisis pro accessione vsurpatur, quia in vigore tantum & exacerbatione fiunt crises, nunquam aut saltem raro admodum in principio & declinatione. Aliquando crisis sumitur pro perturbatione quæ crisis præcedit. Galen. vocat τὴν προηγουμένην ταραχὴν. Solet etiam Hippocrates crisin pro euacuatione vsurpare. sic libro de locis in homine, Medicamentum (inquit) bene sanis non propinandum οὐ γὰρ κρίνονται εἰ μὴ σμικρὸν, neque enim vacuantur nisi modicum. Annotauit Galenus tertio de crisibus & comment. 4. in librum de victus ratione in acutis, crisin simpliciter dictam eam significare, quæ est ad salutem, aut ad melius, & commentario ad aphot. 13. sectio. 2. Plures (inquit) crises ad melius vergunt, quam ad deterius, pluresque ex ægrotis sanantur quam moriuntur, nisi pestilens fuerit constitutio. Reperio tamen criseos nomen, sæpe pro interitu à summo Hippocrate vsurpatum, vt in coacis prænotionibus, lingua, quæ multum nigrescit crisin decimo quarto die futuram ostendit, id est exitium. Et in prorhetico: Crebri cum vomitu relapsus nigrum cient vomitum, circa crisin sunt etiam tremuli. Sunt hæ criseos apud Hippocratem & Galenum acceptiones variæ. Sed proprie definitur crisis cap. 1. lib. 1. de diebus decretoriis cap. 7. libri 3. de crisibus comment. ad aphorismum 13. & 23. sectionis 2.

Secunda crisis acceptio.

Tertia.

Quarta crisis significatio.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Propria & vera crisis acceptio.

Subita & repentina in morbo mutatio, ad sanitatem, aut ad mortem: cuius definitionis singulas particulas minutatim excurere placet.

Crisis definitio eiusdemq; explicatio,

CAPVT III.

Κρίσις ὀξύῤῥοπος ἐστὶν ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον. Crisis repentina est in morbo mutatio ad salutem aut ad mortem. In motu, quinque obseruat philosophus, Terminum à quo incipit motus (liceat vocabulis vti scolasticis) terminum per quem fit, terminum in quem desinit, mouens & mobile. Crisis motus est, aut saltem motu perficitur: Eadem ergo in crisi, quæ in motu obseruanda sunt nobis. *Quinque in crisi obseruanda* Terminus à quo incipit crisis morbi est augmentum, fit enim ἐν νόσῳ: Pro varia itaque morbi natura, celiores fient aut tardiores crises; Acuti celerius, Longi tardius iudicabuntur. *1 terminus à quo incipit crisis.* Acutorum alii sunt extreme peracuti, alii peracuti, alii acuti simpliciter. Extreme peracuti primo quaternario indicantur, aphor 2. sect. tertiæ prognost. κακοηθέστατοι πυρετοὶ τεταρταῖοι κτείνουσιν, id est, febres malignissimæ horrendisque, comitatæ symptomatis quarto die interimunt & aphorism. 6. sect. 5. *Acutorum morborum diuisio.* Qui distentione corripiuntur, intra quatuor dies intereunt. Morbi peracuti primo septenario iudicantur: Acuti vero simpliciter in quatuordecim diebus κρίνεται aphorism, 23. sect. 2. Morbi longi per septenarios à vicesimo ad 40. per vicenarios à 40. ad centesimum iudicantur, post 120. perit dierum vis, mensibus tunc & annis solui dicuntur. Plurimi affectus (ait diuinus senex tertio aphor.) pueris iudicantur, *Aphor. 28.* nonnulli quidem in quadraginta diebus, alii in septem mensibus, quidam in annis septem. Terminus in quem desinit crisis sanitas est, aut mors, aut status proximus, aut transitus in aliam morbi speciem libro περὶ παθῶν. *2 terminus in quem.* Terminus per quem est totum illud tempus, quo coctioni, secretioni, & excretioni incumbit natura. *3. terminus per quem,* Mouens natura est: ipsa enim crisin molitur. Hæc illa est, quæ humorem morbificum coquit, secernit, excernit, γίνεται ἡ κρίσις (ait Galenus) natura secernente humores noxios à bonis eosque ad excretionem præparante. *4. Mouens natura est,* Naturæ apud Hippoc. morborum sunt medicatrices ἀνευρίσκει ἡ φύσις τὰς ἐφόδους. Inuenit natura vias sine consilio, quib. morbos expellit. Hæc licet ἀπαίδευτος καὶ ἀμαθὴς οὖσα tamen quod rectum est facit. Hanc prouidam libris de diæta & ordinariam Dei potestatem libro de aeribus, locis & aquis prædicat Hippocrates. Hæc illa est stoicorum πρόνοια, Hic ille est artificiosus Zenonis ignis. Mouet ergo natura & promouet crises: Quod si debilior sit, potest interdum iuuari à medico, propterea addidit Hippoc. in epid. in hanc autem hæc extrinsecus, cataplasma, inuectio, fotus totius & partis. Sic primo epidem. Methodi cœpit die critico sanguis è naribus stillare, fouit statim Hippoc: caput aqua calida, tuncque liberius multo sanguis prorupit. Gal comment. ad aphor. 20. sect. 1. vult iuuari naturam, si imperfecta sit crisis, quod si perfecta sit nihil mouendum, nihil nominandum. Princeps Arabum Auicenna instante crisi, si sudoris signa appareant, sudorificis vtitur totumque ventrem oleo perfundit calido. Postremo in crisi spectandum est mobile: cuiusmodi est humor noxius & morbificus? *5. mobile.* Nam in solos humorales morbos cadit crisis.

De differentiis criseon.

CAP. IV.

HIPPOCRATES sect. 3. lib. 1. epid. quatuor statuit crisis differentias: vna est ad salutem, altera ad mortem: Quædam ad melius. quædam ad deterius. *Crisis differentiæ ex Hippoc.* Totidem agnouit Galen. comment. in 3. progn. Crisis (inquit) quatuor fit modis, aut enim confestim à morbis liberantur, aut magnam in melius mutationem babent, aut statim moriuntur, aut longe peius habet. *Differentiæ crisis ex Gal.* Accuratius multo cap. 2. lib. 1. de dieb. decret. & c. 7. lib. 3. de crisi, criseωn differentias omnes persequitur. Quædam τελεία est seu perfecta, in qua nihil reliquiarum superest. Quædam ἀτελής, imperfecta. in qua non omnino vacuatus est humor noxius. Alia πιστή, id est, fida. in qua nullum subest relapsus periculum. Alia ἄπιστος infida, quæ contra. Quædam manifesta est σαφής, quæ fit cum excretione, vel abscessu, Quædam ἀσαφής obscura. quæ citra excretionem. vel abscessum. Alia εὔσημος, id est indicata, quæ diem suum habuit indicem, quarum in prima septimana, vndecimum in secunda, decimum septimum in tertia, Alia ἄσημος quæ prænuntiata non fuit. Quædam κινδυνώδης periculosa, quæ cũ grauissimis symptomatis. Quædam ἀκίνδυνος sine periculo, quæ cum minoribus. Quædam postremo bona quæ ad salutem, quædam mala quæ ad mortem. *Diuisio nostra.* Nos vnica diuisione has omnes crisis differentias complectemur. Crisis alia perfecta, alia imperfecta est. perfectam appello, quæ perfecte indicat morbum, Hæc Duplex. salutaris quippe & lethalis. Imperfecta etiam duplex. altera ad melius, quæ non omnino tollit morbum. sed facit. vt æger alacrius morbum ferat, altera ad deterius. *Quæ requiruntur ad perfectam & salutarem crisin.* Vt autem perfecta sit & salutaris crisis multa requiruntur. Primum debet esse εὔσημος, id est, bonis signis indicata: signa hæc coctionis signa dicuntur, quæ & tempus crisis, & eiusdem celeritatem ac securitatem denuntiant, si diebus suis, quos θεωρητάς, contemplabiles & indi- *Prima conditio.*

ces vocat Hippocr. appareant: Est autem index septimi quartus, decimi quarti vndecimus vigesimi decimus septimus. Secundo debet esse salutaris & perfecta crisis manifesta, id est, cum causis criticis, excretione quippe vel abscessu. Aphor. 22. sect. 3. prog. Quibus febres cessant sine salutarib. signis, relapsus subest periculum. Sententia 16. sect. 2. prior. porreti. Lethales morbi, qui sine signis (id est, causis criticis) leuationem habent mortem significant: & aphor. 27. sect. 2. His qui sine ratione leuantur (id est sine excretione aut abscessu laudabili) non est fidendum. In coac. prænot. ἅπαντες δὲ, οἱ ἄνευ ἱδρῶτος περὶ ψυχόμενοι ἀκρίτως, κακόν. Atque in vniuersum omnes qui sine sudore refrigerati sunt pessime babuerunt. Exstant ad huius rei illustrationem elegantes historiæ in epidemiis. sed vnica hæc mihi erit instar omnium. Æger secundus sect, 1. lib. 3. epidemion. Hermocrates 14. die liberatur à febre, non sudauit, 17. rursum febre corripitur 20. febris expers, non sudauit 24. die rursum febricitauit, Tandem 27. die moritur. Si ergo sine causis & signis criticis quod est apud Hippoc. ἀσήμως aut μὴ κατὰ λόγον soluatur morbus, periculo nou vacat: At si cum salutaribus signis & insigni excretione, aut abscessu leuationem persentiat æger, perfecta & salutaris crisis æstimanda erit.

Tertia conditio. Tertio, ad perfectam crisin requiritur dies criticus. Quæ enim diebus non criticis contingunt suspecta esse solent. Sunt hi velut arbitri & iudices disceptationum naturæ morbi. Annotauit Aristot. cap. 6. lib. 5. Physic. febres quæ diebus non criticis iudicantur, alterationem habere παρὰ φύσιν, quæ v. diebus criticis, secundum naturam. Damnat perpetuo Hippocr. ea quæ leuant diebus non criticis. Sect. 5. lib. 2. epidem. ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μεθῇ ὁ πυρετὸς ὑποτροπιάζειν ἀνάγκη. id est, febris nisi fœcundo die remiserit, recidiuam timere oportet. Fœcundos interpretatur Erotianus impares, quoniam αἱ περιτταὶ ἡμέραι ὡς ἐπίπαν κρίσιμοι τυγχάνουσι, id est, impares dies fere critici exsistunt, & aliquid adferunt commodi. Sententia 22. sect. 3. prognost. Quæ febres diebus non criticis soluuntur, relapsum minantur.

Quarta conditio. Quarto vt perfecta sit & salutaris crisis, debet esse ἀσφαλὴς καὶ ἀκίνδυνος, id est, fida & secura. Fidam appello, in qua nec

Quinta conditio. vllæ supersunt morborum reliquiæ, nec ipse relapsus in metu est: Securam vero, quæ est sine periculosis symptomatis, & cum ægri tolerantia. Postremo debet perfecta crisis fieri pro morbi specie, & ægrotantis natura, ætate, temperie: Acuti enim morbi per excretionem, diuturni per abscessus iudicari solent: Febris ardens in iuuene, hæmorrhagia vt plurimum, in sene alui profluuio iudicatur. Erit igitur (vt rem in pauca contraham) perfecta & salutaris ea crisis, quæ indicata fuit signis coctionis, quæ manifesta est, cum excretione scilicet, vel abscessu, quæ die critico contingit, sine periculosis symptomatis, in qua noxius humor omnino vacuatus est, quæ denique ægrotantis naturæ, ætati ac morbo conuenit. Horum vnum si desideretur, imperfecta crisis exspectari debet. Criseωn porro differentias clarius seqnens tabella indicabit,

- *Crisis repentina est ad salutem & mortem mutatio, hac duplex est.*
  - *Perfecta quæ omnino iudicat morbum, hæc duplex.*
    - *Salutaris quæ sex notas habet, debet enim esse.*
      1. *indicata signis coctionis.*
      2. *manifesta cum excretione vel abscessu.*
      3. *die critico contingere.*
      4. *fida, in qua nihil reliquiarum superest.*
      5. *secura, id est, sine periculosis symptomatis.*
      6. *conueniens morbo & ægrotantis natura.*
    - *Lethalis contraria habet omnia*
  - *Imperfecta duplex*
    - *Ad melius, quæ non omnino morbum tollit, sed facit vt æger alacrius morbum ferat.*
    - *Ad deterius.*

Signorum criticorum diuisio.

CAP. V.

Criticorum signorum dignitas.


MAXIMA est historiæ criticæ in omnibus morbis acutis & dignitas & necessitas: Futuros enim morborum euentus præuidere, admirabile est & quasi diuinationi proximum. Quisquis imminentem crisin belle indicauerit, is vulgi adstantium calumniam vitabit, omnibus stuporem pariet, remediorum denique dignitatem conseruabit: Indicari autem non potest crisis nisi per propria signa, quæ velut τεκμήρια sunt & notæ; quibus mens in recondita penetrans, omnia quantumuis inuoluta sic aperit, vt oculis ea cernere videatur. Critica signa primus quidem exposuit Hippocrates, sed sparsim & αἰνιγματωδῶς. Ego in rudiorum gratiam obscura hæc illustrabo, & in apertam lucem proferam breui hac methodo.

Diuisio criticorum signorum. *Antecedentia signa.*

Signorum criticorum, alia crisin præcedunt, alia comitantur, alia subsequuntur. Quæ crisin præcedunt duorum sunt generum: Quædam diem & tempus criseωs prænuntiant, eiusdemque securitatem, cuiusmodi sunt coctionis & cruditatis signa, quæ in excrementis apparent vniuersalibus, vrina & deiectionibus: quædam speciem crisis, sudorem quippe iamiam futurum instantem, hæmorrhagiam, vomitum, alui & vrinæ profluuium quasi digito indicant.

Comitantia.

Signa crisin comitantia sunt ipsæmet causæ criticæ, excretio quippe vel abscessus. In excretione vt commode fiat quatuor spectanda sunt, qualitas laudabilis, debet enim & peccans & coctus humor vacuari; Quantitas sufficiens, nam ut nihil paucum est criticum, ita quod nimium est damnatur. Tempus oportunum & excernendi modus naturæ familiaris, quæ omnia his verbis expressit Hippocrat. 6. epidem. & qualia, & quando, & qua parte, & quantum opus est. Abscessus vero legitimi conditiones sunt vt fiat deorsum, secundum rectitudinem morbo à natura concocto, & pro dignitate morbi, quod tribus verbis designauit section. 2. lib. 6. epidem. ἐπὶ, ὅθεν καὶ διότι, quo vnde & propter quid. Signa quæ crisin consequuntur, factam iam crisin perfecta ne sit an imperfecta nobis commonstrant, ea ex actionibus naturalibus, vitalibus, animalibus, ex qualitate corporis & excrementis vniuersalibus petenda sunt.



De signis antecedentibus quæ tempus & diem crisis prænuntiant signis quippe coctionis.

CAPVT VI.

SIGNA tempus & diem crisis indicantia, sunt coctionis & cruditatis signa: Hæc enim, quo die iudicaturus sit morbus, & an celerior, vel tardior sperari debeat crisis, certo demonstrant. Quod diem crisis indicet coctio, docet Hippocr. in progn. & aphor. Quibus (inquit) septimo die crisis venit, illis sub quartum in vrina nubecula fuit rubra. & alibi, Si quarto die vrina hypostasin habeat albam, leuem, æqualem solutionem morbi septimo fieri ostendit. Est enim τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, id est, septenorum quartus index: Addit Gal. modo nihil extrinsecus erratum fuerit, id est, si neque medicus quid peccauerit in victu instituendo, neque æger, neque ministrorum quisquam; imo si neque error vllus extrinsecus admissus sit: quod etiam designauit Hippocrat. aphor. citato, dum subiungit, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον & in coacis prænotionibus τῶν λοιπῶν κατὰ λόγον ἐχόντων, id est, si cætera conuenienter sint constituta: Fieri enim potest ob externam aut internam aliquam causam, vt quartus septimum semper non indicet, vt fusius lib. 2. explicabitur, dum dierum indicantium vires aperiemus. Neque vero diem tantum, sed etiam securitatem & celeritatem crisis indicare solent coctionis signa: Locus est perelegans apud Hippocr. sectione 2. lib. 1. epid. Coctiones (ait) celeritatem & securitatem crisis denuntiant, cruda vero incocta & in prauos abscessus conuersa, aut diuturnitatem, aut dolorem, aut mortem aut relapsus minantur, & prognost. 26. sect. 2. vrina quæ albam & lenem habet hypostasin securitatem & breuitatem morbi ostendit, quia (vt interpretatur Gal.) coctio non nisi valentissimi caloris opera suscipitur, calor autem natura est particularis, quæ morbos curat.

Coctio diem crisis indicat Aphor. 71. sect. 4.

Coctio securitatem & celeritatem crisis denuntiat.

Obiectio. Obiiciet hic fortasse argutiolus quidam Hippocratis auctoritatem section. 2. lib. 2. epidem. τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, id est, iudicatoria ne statim appareant: Non igitur primis morbi diebus, neque perpetuo laudanda sunt coctionis signa.

Responsio. Expedita responsio est ex Galen. lib. de crisibus per κρίσιμα Hippocra. non intelligere coctionis signa, (de his enim exstat solemne illud edictum πεπασμοὶ πάντες πάντα θεν ἐπίκαιροι, coctiones semper opportunæ.) Sed aut signa perturbationis criticæ, aut causas ipsas criticus excretionem scilicet vel abscessum: hæc enim si principio morbi appareant, humoris potius feritatem quam naturæ contentionem indicant.

Obiectio. Dices sputum in pleuritide si statim appareat morbi & breuitatem & securitatem significare aphorism. 12. sectione 1. Cur non eadem sudoris, vrinæ, sanguinis & reliquorum humorum in acutis febribus erit ratio?

Solutio. Respondet Galen. pleuritim peculiarem esse membranæ, quæ costis subtenditur affectum, quo ergo celerius exsudat, excluditurque humor distendens, eo celerius mitescit inflammatio: At febrium acutarum materia in toto venoso genere continetur quæ mitificanda, coquenda, secernenda est priusquam excernatur, hoc autem primis morbi diebus fieri nequit. Stet igitur inuicta summi Dictatoris sententia, coctionis signa, quouis morbi die appareant, semper bona esse. Verum pro theorematis huius veritate adhibendæ sunt distinctiones quædam: Non enim quælibet cuiusque humoris coctio securitatem arguit, nam pleuriticos, peripneumonicos, anginosos plerosque cum sputo laudabili & cocto interiisse obseruauit Hippocrat. in epid.

Duo requiruntur ad perfectam coctionem.

Duo itaque ad perfectam coctionem requiruntur. Debet primum esse continua, deinde vniuersalis. Continuam voco cum Hippocrat. eam quæ constans est ἱδρυμένη καὶ παρὰ πάντα τὸν χρόνον. Vniuersalem v. quæ in excrementis apparet vniuersalibus vrinis quippe & alui deiectionibus.

Prima conditio.

Quod requiratur in coctione constantia & continuitas demonstratur progn. 26. sect. 2. Optima (inquit) est vrina cum sedimentum fuerit album, læue & æquale per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus: Quod si intermiserit & aliquando quidem pura (id est cruda) meiatur, nonnunquam subsideat quid album ac læue, diuturnior fit morbus & minus securus. Auctoritas ratione confirmatur. Continuitas coctionis naturæ validam vim & caloris coquentis imperium denotat: At si interrupta sit coctio, vt mane coctionis signa appareant, vesperi delitescant, nunc crudæ, nunc coctæ fundantur vrinæ nulla ex ea coctione crisis securitas sperari potest, quia pari contentione certant natura & morbus, vnde manet victoria anceps, inchoat coctionem natura, sed debilior perficere nequit, aut fortasse humoris efferri tanta est malignitas, vt coctionem admittere non possit, hinc δυσκρισία.

Altera conditio.

Debet præterea coctio hæc esse vniuersalis, id est, in excrementis apparere vniuersalibus, eiusmodi sunt vrinæ & alui deiectiones, sed ex vrinis certiora quam ex deiectionibus petuntur indicia.

Qualia ergo ea sint & quid prænuntient iam explicare aggredior.

Qualia

Qualia esse debeant coctionis signa in vrinis, & quomodo ex vrinæ inspectione crisis totusq; morbi euentus præsentiri possit.

CAP: VII.

SIGNA omnia siue sint lethalia, siue salutaria ex tribus quasi fontib. haurienda sunt, actione læsa, qualitate corporis & excrementis. Excrementorum licet varia sint genera, plura tamen & certiora ab vrinis, quam cæteris omnibus, salutis aut mortis, coctionis & cruditatis indicia petuntur. Nulla prognosis medica recte instituitur, nulla τέκμαρσις in medendo præclare initur, nulla crisis tuta & certa præsagitur, quæ vrinarum διάγνωσιν non admittat: Inique igitur Erasistratus & Quintus vrinarum inspectionem ad pictores tantum spectare arbitrabantur. Nos celeritatem, tarditatem, securitatem & periculum crisεως totumque morbi euentum ex vrinis ita coniiciemus. In vrina duo obseruanda sunt χύμα, in est, liquor & περιφερόμενον, id est contentum: Ex liquore igitur & contentis coctionis signa, quæ vere sunt κρίσιμα petenda sunt. *Quæ in vrinis obseruanda sint.* In liquore duo spectantur, substantia & qualitas: Substantiæ nomine duo complector, corpus & perspicuitatem. Si liquoris corpus inspicias, vrina omnis aut tenuis erit, aut crassa, aut mediocris. Si perspicuitatem, alia erit perspicua, quam visus acies facile penetrat, alia turbulenta seu obscura, per cuius medium non cernimus. Ad qualitatem liquoris refero colores tantum, tum extremos, tum medios, & odores: Nam vrinas gustare (vt solebant Arabes) sordidum est ac medici dedecet dignitatem. Vrina tenuis cum febre acuta cruditatem & natiui caloris imbecillitatem perpetuo arguit: *Quid indicet vrina tenuis.* Quam diu ergo talis apparuerit, perfecta & salutaris crisis sperari nequit, aphor. 30. sect. 2. prognost. Vrina tenuis σημαίνει τὸ νόσημα ἄπεπτον εἶναι, morbum incoctum esse significat. Statuam hoc pro theoremate. Vrinas in acutis febribus si summa adsit virium imbecillitas, mortem aut periculum ingens minari: *Theorema de vrinis tenuibus.* Sin autem constent vires, aut morbi longitudinem, aut abscessum imis in partibus prænuntiare: Quod si post crisin tales appareant, relapsus periculum subest. De longitudine morbi exstat hæc prognosis in Coacis, Vrina tenuis & vix sedimentum habens, tum quæ in melius, modo in peius mutatur, diuturnitatem morbi significat, quia dubium naturæ & morbi certamen ostendit. Quod abscessum prænunciet docuit Hippocr. progno. 34. sect. 2. Qui tenuem crudamque vrinam diutius mingunt τοιούτοισιν ἀποστάσιν δεῖ προσδέχεσθαι ἐς τὰ κάτω τῶν φρενῶν χωρία abscessus exspectare oportet in partes diapragmate inferiores: Quod vero relapsum minetur vrina tenuis, Hermocratis historia illustrari poterit. Is 14. die liberatur à febre, decimo septimo vrinæ tenues apparuerunt, vigesimo septimo mortuus est. Ne longum faciam hæc summi Hippocr. auctoritas sufficiet de tenuium vrinarum iudicio sect. 3 lib. 3. epid. οὖρα τὰ λεπτὰ οὐδὲν κρίσιμον, οὐδὲ χρηστόν, id est. vrinæ tenues criticum nihil nec salutare præ se ferunt, quia tenuitas aut coloris imbecillitatem arguit, qui homogenea cogere nequit, aut caloris excessum qui nimium attenuauit. Dignoscitur vtraque causa colore. Quæ enim tenuis est & decolor, à debili est colore, quæ tenuis & colorata ab igneo. Cæterum vrinas tenues hic intelligo, quæ febrem continuam habent comitem. Nam si sine febre mingantur, aut ea mitiore, hepatis tantum, lienis & meatuum vrinæ dicatorum obstructionem arguunt: ita enim quod tenue est tantum percolatur, quod crassius est remanet. Contra vrinæ mediocriter crassæ salutarem & perfectam crisin perpetuo pollicentur, quia natiui caloris robur ostendunt; *Vrinæ crassæ quid denotent.* vnde crisis celeritas & securitas. Debet ex Hippoc. doctrina aphor. 16. sect. 2. prognos. omne excrementum crassescere, eunte ad iudicationem morbo, & apud Philosophos, coctio omnis incrassando perficitur: Sit autem vrina hæc mediocriter crassa. Nam si crassissima sit, prauorum humorum permistionem arguit, aut natiui caloris oppressionem, vnde aut dolor, aut diuturnitas morbi, aut praui abscessus, aut relapsus. Solet porro vtraque vrina nunc perspicua, nunc turbulenta excerni, vnde cruditatis & coctionis, salutis & mortis certa petuntur indicia. Vrinarum turbidarum, tria statuit genera Gal. Quædam claræ minguntur & postea turbantur., indicant primum coctionis impendere rudimentum: *Vrinarum turbidarum tria genera.* Quædam turbatæ minguntur, sed postea euadunt limpidæ, naturæ victoriam demonstrant, & tantillum flatulenti spiritus superesse. Quædam postremo perturbatæ minguntur & perturbatæ remanent, arguunt maximam humorum in venis agitationem & naturæ ac morbi certamen ambiguum. Hæ vrinis iumentorum sunt similes & in Hip. doctrina capitis dolorem, delirium, conuulsionem ac mortem prænuntiant. De capitis dolore exstat apho. 70. sect. 4. *Vrinæ iumentorum similes quid prænuntient.* Quibus vrinæ perturbatæ iumentorum similes, his capitis dolor vel adest, vel aderit. De delirio obseruaui quamplures historias in epid. Philini vxor quæ filium pepererat, cum vrinis perturbatis delirauit, tandem mortua est. Eualicedæ famula phrenitica interiit, ac toto morbi decursu vrinæ perturbatæ apparuerunt. Polyphantus cum vrinis iumentorum similibus mente motus est, tandem conuulsus moritur. Cum autem hæc omnia indicent vrinæ perturbatæ, demonstrat eleganter Gal. commentario ad

apho.

apho. iam citatum, quia perturbatio hæc maximam humorum in venis agitationem & flatulenti spiritus permistionem arguit, hinc vapores quam plurimi suscitantur, qui sua tenuitate sursum elati caput replent, & pro varia partium quas obsident infestantque natura diuersa pariunt symptomata. Si enim sacram palladis arcem occupent, id est, si cerebri temperiem (quam mentem solet appellare Gale.) immntent, delirium excitant, si biliosa acrimonia neruorum principium pungant, conuulsionem pariunt, si venas & arterias capitis, necnon eiusdem membranas, quæ sunt exquisitissimi sensus, distendant, cephalalgiam: Quod si perspicuæ meiantur, natiui caloris robur & spirituum per vniuersum vrinæ corpus æqualiter diffusorum copiam arguunt. Atque hæc sunto κρίσιμα & salutaria & lethalia, quæ ex liquoris substantia, tenuitate quippe aut crassitie, perspicuitate aut turbulentia peti possunt: Nunc quid qualitas liquoris, color nimirum indicet, breui aperiamus.

Quæ coctionis signa in liquoris vrinarum qualitate luceant.

CAP. VIII.

Quid indicet vrina alba. AD qualitatem liquoris refero colores: Eorum alii sunt extremi, alii medii. Extremi duo sunt albus & niger: Intermedii quam plures pro varia extremorum permixtione: Eorum tamen quidam ad album magis accedunt, alii ad nigrum. Vrina alba, aquosa, pellucida si sit sine febre, lethalis per se esse non potest; arguit enim tantum, aut cruditatem aut hepatis lienisue, & meatuum vrinæ secernendæ, deducendæ, excipiendæ, dicatorum destructionem, aut aquæ & vini albi liberaliorem potum: At si cum febre sit continua, eaque acuta, nisi ad hemorrhagiam criticam aut dysenteriam appareat, perpetuo lethalis est aut saltem periculo non vacat, quia vel summam natiui caloris imbecillitatem ostendit, quæ potum & humores nec alterare, nec permiscere potuit, aut vniuersæ bilis translationem ad caput, aut magnum incendium hepatis, quo sanguis vna cum bile absorbetur. De vrinarum albarum cum febre acuta periculo multa scripsit Hippocr. in coacis prænotionibus, quas doctissimis & elegantissimis commentariis illustrauit Ludouicus Duretus Regius Medicus & Professor eximius, Præceptor olim meus obseruantissimus, qui multa Hippoc. oracula nobis aperuit & quæ ad prog. spectant ita explicuit, vt cum prioris seculi tenebras discusserit, posteriori lucem splendoremque attulerit eximium. Ex quibus hæc annotare placet, periculosas quidem esse in vniuersum vrinas albas, sed in phreniticis perpetuo lethales, quod etiam aphot. 72. sect. 4. ita scriptum legitur: Quibus albæ & pellucidæ apparent vrinæ prauæ sunt, maxime vero in phreniticis, quia humor qui deberet esse κατάῤῥοπος fit ἀνάῤῥοπος, qui per inferiora reuellendus erat, ad partem inflammatione obsessam cursum inflectit, vnde augetur cerebri & membranarum erysipelas. Æger quartus sect. 2. lib. 3. epid. secundo die surdus cum vrinis albis, tenuibus & pellucidis circa meridiem delirauit, quinto die mortuus est. Æger. quartus sect. 3. lib. 3. epid. cum vrinis tenuibus & albis quarto die moritur phreniticus. Dealcis vxor. phrenitica cum tenuibus & albis vrinis vigesimo interiit. Nulla ergo in vrinis albis & tenuibus coctionis signa lucent, sed cruditatis tantum nullaque proinde salutaris crisis speranda est. Contrarius vrinarum color, niger quippe magis nos terret grauiusque minatur periculum, aph. 32. sect. 2. prog. θανατωδέστεραι δὲ τῶν οὔρων τάδε μέλανα, id est, vrinæ nigræ omnium pessimæ sunt & lethales magis, aphor. 21. sect. quartæ damnat in vniuersum deiectiones nigras. Ratio in promtu est quia aut maximum indicant incendium omnia torrefaciens, perurens & quasi in cineres vertens, aut natiui caloris exstinctionem: Sic iamiam morientium partes omnes liuent nigricantque vitalis spiritus radiis non amplius illustratæ Hoc docuit Galen. lib. 1. de crisibus & commentar. 2. prog. exemplo. partium nostri corporis, quæ ab immodico solis æstu & ambientis frigore nigredinem contrahunt; sic sanguis dum refrigeratur aut exuritur ater fit. Atu-

Distinctio vrinarum nigrarum. traque causa lethalis est. Cæterum dum vrinas nigras exitiales dico, eas intelligo, quæ tales sunt liquore & generatione: Nam quæ nigræ sunt permistione humoris cuiusdam atri, salutares plerumque esse solent & criticæ, tum in acutis, tum in diuturnis morbis. Solet (inquit Galen.) natura deponere πλεονεξίαν τῶν μοχθηρῶν χυμῶν prauorum humorum abundantiam per vrinas. Mulieribus quibus suppressi sunt menses si nigræ appareant, refluente ab vtero ad renes, aut vesicam sanguine, nihil malum. Obseruauimus sæpe spleniticos & quartanarios vrinarum nigrarum liberali profusione sanatos: Quomodo autem & per quos du-

Vrina prærubra. ctus id fiat lib. 1. controversiarum nostrarum anatomicarum exposuimus: Sæpe etiam ab epoto medicamento vrinæ nigræ minguntur salutariter, vt docet Actuarius longa historia serui sui lib. 1. de iudiciis vrinarum: Sed hæ omnes vrinæ tales sunt permixtione γενέσει, non liquore. Vrinæ prærubræ initio morbi longitudinem arguunt, in statu vero mortem. Atque hæc sunt, quæ in liquore spectare debet medicus, vt diem & tempus crisis, eiusdemque securi-

tatem

tatem & celeritatem tuto prædicere queat: Nunc quæ in contentis luceant coctionis aut cruditatis signa explicemus.

Qualia apparere debeant in vrinæ contentis coctionis & cruditatis signa.

CAP. IX.

EX contentis, quæ Græci ὑφιστάμενα vocant, plura apud Hippocrat. coctionis & cruditatis, salutis & mortis, celeritatis & tarditatis criseωn indicia petuntur, quam ex liquore: Raro enim liquoris meminit, sæpissime contentorum in Aphor. prog. epid. coacis. Contentum appello quicquid crassius & corpulentius in vrinis consistit. *Quid sit contentum.* Hoc duplex statui solet: Antenim de vrinæ substantia est, id est, cum vrina ortum perfectionemque nanciscitur, communiori vocabulo ὑπόστασις dicitur; aut aliunde aduenit, vt ab vniuerso corpore, vel ab aliqua parte, hepate, renibus, vesica. *Contentorum duplex genus.* Hypostasis pro varia loci & situs ratione triplex statuitur: vel enim in imo subsidet & proprie hypostasis dicitur, vel in medio propendet & ἐναιώρημα vocant, id est, suspensum, sublimamentum: vel summa facie innatat, νεφέλη ἢ νεφέλιον nubes, nebula, nubecula dicitur: solet tamen sæpissime Hippoc: in prog. coacis & epid. tria hæc confundere. *Hypostasis differentia triplex propter situs varios.* Hypostasis si in vrinis appareat celerem crisin ostendit, estque certissimum futuræ criseως argumentum. Exstat illud Hippo. οἷσι γὰρ ταχέως ὑπόστασιν ἴσχει ταχέως ἐπικρίνονται, id est, Quibus vrina cito hypostasin habet, celeriter illi iudicantur, ad salutem aut mortem, ad salutem, si laudabilis sit, ad mortem, si praua. Laudabilis hypostaseos notas ex Hippoc. doctrina quatuor reperio. *Laudabilis hypostaseos notæ omnes.* Debet esse alba, læuis, æqualis & moderate crassa. Albedo robur arguit solidarum partium: Hæc enim partes cum albæ sint & spermaticæ, crassam hanc alimenti partem assimilare conantur: hoc cum omnino præstare nequeant ob substantiæ dissimilitudinem, saltem in colore & qualitatibus id moliuntur: *Prima conditio ut alba sit.* omne siquidem alimentum, omne excrementum (vt docet Gal. primo de facultatibus naturalibus) referre debet naturam, ideam & colorem partis, à qua manat: manat à solidis partibus hypostasis earumque excrementum est. Debet igitur alba esse, si omnia κατὰ φύσιν se habeant. Secundo debet laudabilis hypostasis esse λείη, id est læuis, vt omni ex parte vnica sit planities, vnicum corpus continuum, & sibi cohærens, nihil habens asperitatis, nulla ex parte fissum rugosum aut diuulsum. *Secunda conditio ut læuis sit.* Tertio debet esse ὁμαλή, id est, æqualis, similaris: indicat hæc æqualitas vim natiui caloris, qui in omnes materiæ partes æqualiter sese diffudit. *Tertia conditio ut æqualis sit.* Cæterum æqualitatem hanc duobus modis interpretor. Primum æqualem intelligo eam, quæ vniusmodi est, id est, cuius partes omnes & crassitie & colore sui vbique similes sunt ut hac parte crassior non sit, illâ tenuior. Præterea æqualem voco eam, quæ constans est & similis toto morbi decursu; vt si semel alba & læuis apparuerit sequentibus diebus eadem permaneat, eam his verbis designauit Hippo. in prog. παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἐς ὃ ἂν κριθῇ ἡ νοῦσος. Quod si intermiserit morbus, diuturnior erit & minus securus. In coacis prænotionibus vrina bonum sedimentum habens & de repente non habens laborem & mutationem significat: Qua hæc inæqualitas, aut materiæ arguit inæqualitatem; cuius portio coquitur, portio propter malignitatem & contumaciam coctionem præterfugit, aut natiui caloris imbecillitatem. Postremo debet laudabilis hypostasis esse moderate crassa: Ex ea namque crassitie caloris robur indicatur, cuius imperio τὰ πεσσόμενα congregantur & τὰ ἐπιγενῆ segregantur. *Quarta conditio ut sit moderate crassa.* His quatuor dotibus exornata hypostasis quocunq; morbi die appareat, perpetuo salutaris & expetenda venit. Huic prima salutis & securitatis debetur laus: Hæc vt præclare annotauit Hippoc. aphor. 26. sect. 2. progn. ἀσφάλειάν τε καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον ἔσεσθαι σημαίνει, id est, morbi securitatem & breuitatem significat. De nubeculis & encoremate albis æqualibusque idem fere esto iudicium: coctionis enim inchoatæ, sed aliquantulum debilioris signa in bis lucent. Proximum huic sedimento albo est rubrum, quod prognosi 27. sect. 2. salutarem quidem morbum, sed paulo diuturniorem indicat, salutarem, quod à salutari humore, sanguine quippe exsuperante fiat, diuturniorem, quod serosus ille sanguis non tam cito coctionem admittat. *De rubro sedimento quid denotet.* De sedimento rubro scripsit etiam aphor. 71. sect. 4. aphor, his verbis. Quibus die septimo morbi iudicantur, iis vrina rubram die quarto nubeculam habet. Hypostasis nigra, aspera, inæqualis, semper pessima. *Hypostasis nigra.* Nigra vel maximum denotat incendium, vel extinctionem caloris natiui. Id autem intellige in febribus acutis. Nam hypostasis nigra sine acuta febre, nec mortem, nec periculum promittit, denotat plerumque quartanam febrem eiusque prænuntia esse solet. Hoc docuit me diuinus senex in coa. prænotionibus, τὸ ἐν πλανήτεσι πυρετοῖσι μέλαινα νεφέλια τεταρταῖα: Sedimentum nigrum in erraticis febribus, quartanam denuntiat. Aspera hypostasis morbifici succi contumaciam indicat. *Aspera hypostasis.* Quod si inæqualis sit & dissimilaris, coctionis difficultatem arguit. *Inæqualis.* Inæqualem hanc hypostasin solet Hippocr. variegatam appellare. Historia prima lib. 1. epid. Philiscus variegatam & nigram minxit vrinam, sexto morbi die interiit. Variegatum porro & inæquale sedimentum tribus modis interpretor, in colore, in figura, in consistentia, *Inæqualitas triplex.*

sistentia, in colore, cum modo album, modo rubrum, modo nigrum apparet, in figura, nunc στρόγγυλον, id est, rotundum, nunc διεσπασμένον, id est, diuulsum dispersumue, in consistentia nunc crassum, nunc tenue: omnis illa inæqualitas δυσκρασίαν perpetuo indicat. Atque hæc de contentis quæ cum vrina ortum perfectionemque habent & de illius essentia sunt. Sunt alia contenta quæ aliunde veniunt & ipsi vrinæ permiscentur: Adueniunt, aut ab vniuerso corpore, vt à colliquatione solidarum partium, hinc contentum multiplex, pingue, oleaceum, pultaceum, eruosum, lamineum, furfuraceum: aut ab aliqua parte, vt hepate, liene, renibus, vesica. Sunt autem ea, quæ permiscentur, varia, ramenta, pili, carunculæ, arenulæ, squammæ, sanguis, pituita, crassus humor, pus, semen, telæ aranearum & similia. Horum omnium causa vniuersalis est calor liquefaciens, torrefaciens, putrefaciens: A calore liquante & dissoluente, vrinæ pingues sunt, oleosæ, pultaceæ, lamineæ: A calore vrente arenulæ, calculi, pili: A putrefaciente fœtidæ & purulentæ. Pingues vrinæ vt plurimum sunt lethales, quia συντήξεως, id est, colliquationis signa sunt & Hippoc. eas vrinas pestilentes solet appellare, in prog. πονηρὸν τὸ ἐλαιῶδες ἐξουρούμενον praua est vrina, quæ oleosa meiendo emittitur. Pultaceum sedimentum, si sit à colliquatione carnosi generis, perpetuo est lethale: sin ab ingenti calore sanguinem perurente, morbi longitudinem prænuntiat. aphor. 31. sect. 7. Quibus febricitantibus in vrinis subsidentiæ crassiores polentæ similes fiunt, longum morbum significant. Æger secundus sect. 3. lib. 1. epid. Silenus pultaceum minxit, apparuit illi ὑπόστασις κριμνώδης, ἐν δεκάτῃ ἀπέθανεν vndecimo die interiit. Lamineum sedimentum aut à colliquatione fit, aut ab erosione, illud lethale, hoc vlceris tantum indicium est, illud sine fœtore est, hoc fœtidissimum esse solet, aphor. 81. sect. 4. Furfuraceum aut ab ingenti feruore fit, estque θανάσιμον, aut ab vlcere, & scabie vesicæ, aphor. 77. sect. eiusdem. Sunt hæc igitur κρίσιμα omnia & lethalia, & salutaria, quæ ex vrinæ contentis & liquore peti possunt. Quoniam vero multa sunt quæ vrinam immutant, ne in prognosi decipiatur medicus, aut præceps & temerarium sit eius de coctione & cruditate indicium, cautiones hæ adhibendæ sunt, quæ sequenti capite describentur.

Contenta quæ aliunde veniunt. — *Vrina pingues.* — *Pultaceum sedimentum.* — *Lamineum* — *Furfuraceum.*

Priusquam de vrinarum coctione & cruditate suum proferat iudicium medicus, Quid obseruare debeat.

CAPVT X.

EXcipiatur ex Galeni mandato comment. 2. progn. eius qui acuta febre laborat vrina, quauis die, hora, eaque tota mox in matulam pellucidam, æqualem, tersam, alieni coloris expertem, magnam & oblongam immittatur. Exceptæ vrinæ liquor, statim conspiciatur, turbidusne an perspicuus sit, non tamen de morbi euentu statim sententiam ferat medicus, quia inest adhuc alienus color nullaque apparent contenta à calore diuulsa. Quiescat vrina & resideat per horam, idque in loco temperato, non ventis perflato, ne quid permisceatur, non frigidissimo, ne crassior euadat, non radiis solaribus exposito, ne immutetur eius color. Inspiciatur autē quauis diei hora. Hippoc. in historia Endemici sub ortum solis vrinam conspexit, si quid interdiu meieret seruari iussit, si forte turbetur vrina, aut sponte, aut frigoris vi, igne dissoluatur. Quod si dissolui nequeat, verisimile est talem excretam fuisse. Rhazis 23. continentis hæc tradit signa, quibus vtraque vrina internosci possit. Quæ mingitur clara & postea turbatur, alba est: & concreta pinguedinis instar, nullam habet perspicuitatem, parietibus matulæ adhæret, illosque maculis quibusdam non obscuris inficit, quæ omnia vrinæ, quæ turbida meiitur, non conueniunt. Dum vrinam inspicit medicus, manum ponat ex aduerso matulæ, vt radii omnes colligantur tanquam in speculo; sit autem visio in mediocri distantia: remotior enim tenuiores, propinquior crassiores visui ostendat. Si tenuis appareat vrina & alba cum nubecula aut enæoremate diuulsis, vel cum nullo contento, crudum esse morbum tuto pronuntiet, sin mediocriter crassa, cum hypostasi alba, læui, æquali, securitatem & celeritatem criseωs polliceatur. Interea caueat medicus ne decipiatur ab his quæ vrinæ liquorem & contenta immutare solent: sæpe enim à causis non naturalibus, naturalib. & præter naturam alteratur vrina, quæ nihil lethale, nec sinistri præter se fert. Inter causas non naturales agnosco cibum & potum: sæpe ab vsu pulticulæ siligineæ aut lactis, vrinæ albæ funduntur, vt ab vsu pulticulæ leporinæ nigræ: Rheubarbarum, crocus, rubia tinctorum suo colore vrinam inficiunt: Asparagus, terebinthina alieno perfundunt odore, liberalior aquæ potus tenuem crudamq; profundit vrinam. Hæc omnia sinistri nihil nec δυσχερὲς τὸν præ se ferunt, peruertunt tamen iudicium medici, iisque præsentibus de morbi euentu nihil certum statui potest. Ad naturales causas refero ætatem, sexum, temperiem, vnde vrinarum varietas: Puerorum vrinæ albæ sunt; crassæ & cum multo sedimento, iuuenum, tenues & flauæ; senum albæ tenues, virorum vrinæ coloratiores sunt quam mulierum, sanguineorum, mediocriter crassæ biliosorum tenues, cum enæoremate potius qui hypostasi, pituitosorum crassæ, albæ, cum crasso & mul-

De urinis perturbatis nota. — *Cautiones adhibendæ ne in urinarum judicio fallatur medicus.* — *Causæ non naturales quæ urinam immutant.* — *Causæ naturales.*

multo sedimento, melancholicorum, crassiusculæ. Postremo ab iis quæ præter naturam sunt immutatur vrina, vt ab vlcere renum & vesicæ: ita enim nunc crassæ, nunc cruentæ, nunc purulentæ effluunt. Hæc omnia si attente obseruet prudens medicus vix in prognosi decipietur.

Sequitur tabella de coctionis signis.

Coctionis signa in vrinis maxime lucent: in vrina autem duo obseruantur:

- *Liquor in quô hæc spectanda.*
  - *Substantia ad quam refero*
    - *Corpus cuius ratione vrina dicitur.*
      - *Tenuis arguit*
        - *in imbecillitate virium, mortem,*
        - *inconstantia, longitudinem, abscessum, relapsum,*
      - *Crassa*
        - *Mediocriter securitatem in excessu, dolorum longitudinem indicat.*
    - *Perspicuitatem hinc vrina*
      - *Perspicua, quam visus acies penetrat.*
      - *Turbida triplex*
        - *Aut clara mingitur, deinde turbatur, coctionis rudimentum arguit.*
        - *Aut, turbata mingitur & mox fit limpida, signum vincentis natura.*
        - *Aut turbida mingitur aut manet; dolorem capitis, delirium, mortem minatur.*
  - *Qualitas, quæ in colore lucet maxime: colores autem sunt*
    - *Extremi*
      - *Albus*
        - *Sine febre, nihil lethale præ se fert*
        - *Cum febre, arguit hepatis incendium, translationem bilis & caloris imbecillitatem*
      - *Niger talis est.*
        - *Generatione, arguit aut incendium, aut exstinctionem.*
        - *Mixtione alieni humoris, salutaris interdum est.*
    - *Medii sunt*
      - *viridis*
      - *ceruleus*
      - *præruber, &c.*
- *Contentum vide B:*

B. Contentum est quicquid crassius in vrinis consistit. Hoc duplex

- *Aut de vrinæ substantia: triplex pro vario situ statui solet.*
  - *Hypostasis in imo subsidet, ea duplex*
    - *Salutaris cuius notæ sunt 4. Debet enim esse*
      - *Alba, quia manat à solidis partibus.*
      - *Leuis & sibi cohærens, vt materiæ bonitatem indicet.*
      - *Aequalis seu similaris*
      - *Moderate crassa vt caloris imperium denotet*
    - *Lethalis quæ est*
      - *Nigra*
        - *incendio*
        - *exstinctione*
      - *Aspera*
      - *Inæqualis*
        - *In colore cum modo nigra, modo rubra*
        - *In figura nunc rotunda, nunc diuulsa.*
        - *In consistentia; nunc crassa, nunc tenuis*
  - *Eneorema in medio propendet*
  - *Nubes summa facie innatat*
- *Aut aliunde adueniens scilicet*
  - *Ab vniuerso corpore hinc contentum*
    - *Pingue oleaceũ*
    - *Pultaceũ*
    - *Lamineum*
    - *Eruosum.*
    - *Horum omnium causa vniuersalis est calor*
      - *Liquefaciens à quo pingues, oleosæ, pultaceæ vrinæ*
      - *Torrefaciens à quo arenulæ; calculi, pili.*
      - *Putrefaciens à quo fœtidæ & purulentæ*
  - *Ab aliqua parte*
    - *Hepate liene renibus vesica;*

De aliis signis tempus & diem indicantibus.

CAP. XI.

EX coctionis & cruditatis signis celeritatem ac securitatem criseως tuto prænuntiari posse iam à nobis confectum est: Nunc quibus notis criseως dies indicari queat & pari ne an impari iudicaturus sit morbus, breuiter aperiamus. *Tria in morbo spectanda.* In morbo tria considerantur, idea morbi, mores & motus: Ideam seu speciem detegunt signa παθογνωμονικὰ, mores ἐπιφαινόμενα, motum ἐπιγινόμενα. Qui morbi celeriter & vehementer mouentur, hi celeriter iudicantur. Extreme peracuti primo quaternario, peracuti primo septenario, acuti simpliciter 14. die, quod longissimum est acuti ἐκ μεταπτώσεως, id est, ex decidentia ad quadragesimum vsque diem prorogari possunt. *Motus morbi indicat pari ne an impari die crisis contingere debeat.* Itaque ex morbi motu tarditas aut celeritas criseos prænuntiatur. Idem motus, diem crisis, pari ne an impari contingere debeat, certo indicat. Nam cum in statu tantum & paroxysmi exacerbatione fiant crises, nunquam in principio nec in declinatione; Sane si parib. diebus exacerbetur morbus, pari die speranda erit crisis, si imparib. impari. Hoc docuit Hipp. sect. 3. lib. 3, epid. τὰ δὲ παροξυνόμενα ἐν ἀρτίῃ κρίνεται ἐν ἀρτίῃσιν. ὧν δὲ οἱ παροξυσμοὶ ἐν περισσῇσι κρίνεται ἐν περισσῇσιν, id est, Quæ parib. diebus exacerbantur, paribus indicantur: at quorum exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus iudicantur. Philiscus sexto die ad mortem iudicatus est. *Sect.3. lib.1. epid. æger primus.* οἱ παροξυσμοὶ ἐν ἀρτίῃσιν, inquit Hippoc. erant illi acerbationes diebus paribus. Larissea virgo sect. 3. lib. 3. epid. 6. die perfecte ad salutem indicata est, at huic dolores paribus diebus contigerunt. *Æger III. sect.3. lib.3. epid.* Pithyon dieb. paribus exacerbationes habuit, decimo die mortuus est, Huius rei euidens demonstratio est. *Demonstratio.* Cum enim in crisi validum sit naturæ & morbi certamen, pugnentque mutuo, exemplo gladiatorum pariter dimicantium, necesse est eo die crisin contingere, quo vires acquirit morbus, id autem in exacerbatione fit. Hoc apertissimis verbis expressit Gal. lib. 3. de crisib. Crisis (inquit in idem tempus incidit cum accessione, & raro accidit vt leuiore die fiat crisis vt videatur bis tantum Archigenes toto ætatis suæ decursu id obseruasse, ego vero ad hanc horam semel tantum, & capite decimo eiusdem libri, optimæ crises in statu fiunt, in augmento vero, si salus sit subsequutura, vel imperfectæ, vel non securæ, in principio nunquam fiunt. Addamus nos ad huius rei illustrationem duo ad perfectam crisin requiri, stimulum, & coctionem, at in morbi exacerbatione duo hæc contingunt, irritatur enim in paroxysmo natura, circa statum vero coctus est humor. Sunt hæc igitur signa antecedentia ad tempus & diem crisis apparentia, quæ ex vrinarum coctione & morbi motu petuntur. coctio celeritatem & securitatem, motus paritatem & imparitatem criseως prænuntiat. *Signa quæ iam instantem crisin indicant.* Diem vero proximum ipsamque iam instantem crisin indicant signa perturbationis criticæ quæ pro varia excretionis specie varia exsistunt, solent tamen in vniuersum hæc omnia crisin præcedere. capitis dolor ingens, ἀλυσμὸς, id est, iactatio & anxitudo incredibilis. sitis inexplebilis, difficultas spirandi, pulsus inæqualitas, quæ omnia τῆς δυσφορίας nomine designauit Hip. aphor. 13. sect. 2. Ὁκόσοισιν ἡ κρίσις γίνεται, τούτοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ, id est, Quibus crisis fit, his nox grauis ante accessionem. Quod si interdin hæc appareant, crisis nocturna speranda est.

De signis antecedentibus quæ speciem crisis in vniuersum prænuntiant.

CAP. XII.

NON satis est ex morbi motu & coctionis signis, tempus diemque criseως prænuntiasse. Periti est artificis speciē criseως propriis signis quasi digito indicare. Species crisis duplex omnino est, excretio & abscessus, excretio in acutis, accessus in diuturnis sæpius contingit. Excretionis differentiæ sunt, sanguinis fluxus per nares, vterum, hæmorrhoidas, vomitus, sudor, alui & vrinæ profluuium. Abscessus nomine φύματα etiam complector & quæ sub cute erumpunt. *Signa vniuersalia ex quibus petenda.* Excretionis & abscessus signa prius tradam vniuersalia, mox cuiusque speciei propria Vniuersalia, ex morbi specie, motu, parte affecta, ægrotantis natura, ætate, temperie petenda sunt. Si speciem morbi consideres, calidi per excretionem iudicari solent: Frigidi vero per abscessus, quia in calidis affectibus omnes excretionis opportunitates lucent: Frigidi & difficilius coquuntur & ad motum pigri esse solent. *Motus morbi indicat speciem crisis.* Si casus apud Hippocrat. sudore aut hæmorrhagia soluitur, non abscessu. Si motum spectes morbi, acuti per excretionem, diuturni per abscessus iudicantur. Acutorum siquidem natura in celeri & vehementi motu consistit vt diuturnorum in tardo. *Obiectio.* Obiicies diuturnos morbos sæpe excretione iudicari: sic tertio epid. Nicodemus 24. die per vrinas, virgo Abderitana per sudores septuag. Anaxion per sudores 34. Cleanatides octogesimo riguit, multum sudauit, perfecte iudicatus est. *Solutio.* Expedita responsio est, solutiones eas, quæ in morbis longis per excretionem fiunt, non fieri continuato morbi acumine

sed

ſed dum modo remittit, modo exacerbatur, vnde acceſſiones interdum acutæ fiunt, in quibus excretionem fieri nihil prohibet. Pars affecta excretionis etiam ſpeciem ſolet indicare. Si hepatis connexa inflammatione obſidcantur, exſpectanda erit criſis, aut per hæmorrhagiam è nare dextra κατ' ἴξιν, aut per vrinæ profluuium; ſin caua afficiantur, alui fluxu, aut vomitu, aut ſudore potius ſoluetur morbus. Inflammationes cerebri & capitis totius, profluuio è naribus ſanguine ſæpe iudicantur, eo enim deſinunt extrema vaſorum: Meſenterii & ventriculi phlegmonas vomitus & alui fluxus ſuperuenientes ſanant. & apud Hippocra. lypiria febris, quæ ab eriſipelate & inflammatione ventriculi excitatur, cholera ſuperueniente exſoluitur, id eſt, prægnandi & citra bilis vacuatione ſurſum deorſumque. Poſtremo ex ægrotantis ætate & temperie excretionis ſpeciem præſagiet Medicus. Nam iuuenibus febre ardente correptis hæmorrhagiæ vt plurimum contingunt, ſenibus vero alui profluuia. Id confirmat. Hipp. hiſtoria tertia vniuerſali lib. 1. epid. αἱμοῤῥαγίαι, inquit, ᾗ πλεῖσαι ϖλείσοισι, μάλιςα δὲ μειρακίοισι καὶ ἀκμάζουσι. πρεσβυτέροισι ᾗ κοιλίαι ταραχώδεες, id eſt, proruptæ ſunt plurimis hæmorrhagiæ, potiſſimum vero adoleſcentibus & ætate florentibus: ſenibus autem perturbationes aluinæ & dyſenteriæ. Rationem affert Galenus, quia iuuenum humores bilioſi ſunt, tenuiſſimi & acerrimi propterea que ἀνάῤῥοποι, ſenum verò pituitoſi & κατάῤῥοποι. Atque hæc ſunt excretionis futuræ ſigna vniuerſalia, nunc quæ ſint cuiuſque ſpeciei propria explicemus.

Pars affecta ſpeciem indicat.

Aegri natura ſpeciem criſis demonſtrat.

Signa quæ apparent ad futuram hæmorrhagiam.

CAP. XIII.

CRiſeως ſpecies omnes, vnico apho. complexus eſt mirus Hippocr. his verbis. τὰ δὲ ὀξέα κρίνεται αἵματος ἐκ ῥινῶν ῥύεντος καὶ ἱδρῶτος πολλοῦ χωρήσαντος, καὶ οὔρων πυώδεος, καὶ κοιλίης μυξώδεος καὶ ἐμέτων, ᾗ ἀποσήματος ἀξιολόγου, id eſt, Morbi acuti iudicantur ſanguine è naribus proruptο, ſudore item multo, vrina purulenta, aluo mucoſa & cruenta, vomitionibus & abſceſſu commemorabili. Hæmorrhagia prima eſt ſpecies criſis, quæ febres ardentes, præcordiorum & viſcerum omnium phlegmonas perfecte iudicat, conſtitutione tertia lib. 1. epidem. Quibus acute febricitantibus ſanguis per nares erupit, hi periculo morbi defuncti ſunt, nec quemquam eorum vidi (inquit Hippocr.) qui in ea conſtitutione interierit. Methon quinto die propter ē naribus ſanguine ad ſalutem iudicatus eſt. Latiſſea virgo febre correpta καυσώδει, ſexto die quantumuis tyranno, per liberale hæmorrhagiam è naribus, febris expers perfecte iudicata eſt. Huius hæmorrhagiæ criticæ iam iam futuræ ſigna, primus omniũ aperuit Hippoc. hiſtoria ſecunda vniuerſali ſect. 2. libr. 1. epid. nec non in coacis prænotionibus, & progn. Si cui (inquit) febricitanti rubore ſuffundatur facies, capitis adſit dolor prægnandis & vna venarum emicet pulſus, profluuium ſanguinis è naribus exſpectare oportet addit in epid. ὑποχονδρίου ξύντασιν, τραχήλου πόνον, κροτάφων βάρος καὶ σκότωμα, id eſt, hypochondrii diſtentionem, colli dolorem; temporum grauitatem & caliginoſam vertiginem. Quæ ſingula ad Lydium, vt aiunt, lapidem & veritatis libellam reuocare placet. Ruber primum facies, quia transfertur humor ab inferioribus partibus ad ſuperiores qui mox per nares exitum ſibi parat. Excurrunt enim ad extimas vſque nares venarum internarum & externarum riuuli. Rubor hic ſanguinis arguit præſentiam. quia ex libello περὶ χυμῶν, Qualis humor, talis color in cute efflorеſcit. Dolent caput & collum, ob eandem humoris morbifici translationem, qui membranoſas partes exquiſitiſſimi ſenſus diuellens diſtendenſque, doloris ſenſum parit, ſed dolor ille grauis eſt & lancinans, grauis quia ab humore benigno, lancinans ratione membranarum. Pulſant venæ temporum, id eſt, micant arteriæ (ſolet enim ſæpiſſime arterias venas appellate Hippoc. vt tertio de morbis φλέβες σφύζουσι & in progn. φλέβες ἐξ ἰδεούμεναι venæ non conquieſcentes: At certum eſt venas diaſtoles & ſyſtoles motu non agitari.) Pulſant in-quam arteriæ dum in procinctu & hæmorrhagia, extraordinario motu, propter earum compreſſionem, quæ à particulari venarum repletione fit: Sic phlegmone omnis ob eandem arteriarum compreſſionem, pulſum aſpectabilem & tractabilem habet per petuo comitem. Eſt & aliud iamiam futuræ hæmorrhagiæ ſignum ἀμβλυωγμὸς viſus hebetudo, lucem tunc auerſantur, oculi, lacrymæ profunduntur inuoluntariæ, & vt ſcripſit Hippocr. progn. 33, ſect. 3. μαρμαρυγαὶ προφαίνονται marmatiges ante oculos obuerſantur: Appello marmariges minutula & diuulſa quædam corpuſcula maculis marmorum ſimilia. Hebetudinis porro cauſa eſt, quia copioſus & craſſus ad ſuperiora elatus ſpiritus meatus obſtruit, vnde fit vt denegato aditu ſpiritui animali, hebeſcat viſus: Apparent autem in aere corpuſcula & permixti colores varii, qui tamen intra corneam ſunt & cryſtalloidem, ex humoris ſurſum trãſlati vapotibus, qui licet interni ſint, externi tamen apparent, quia cryſtallinus humor externæ aſſuetus viſioni, quæcunq; intus ſint, extra eſſe iudicat: Neq; vero oculis tantũ ſed etiam cerebro & imaginationi viſa apparent mendacia, ex quibus iamiam futuram hæmorrhagiam prædicere poteſt medicus. Sic Gal. lib. de præno ſcendo inueni cuidam acute febricitanti prædixit erupturum è naribus ſanguinem, cum medici de ſanguinis miſſione contenderent,

Aeger 7. ſect. 3. lib. 1. epid.

Aeger. 12. ſect. 3. lib. 3. epid.

Cur rubet facies.

Cur dolet caput.

Vnde pulſus arteriarum.

Cur oculi caligant.

iuuenem scilicet è lecto exsilientem subito videtat, rogatus antem qua de causa exsiliret, cum nihil adesset metuendum: respondit rubrum serpentem ex tegula irrepentem se vidisse, ideoque aufugisse ne aberrans super ipsum delaberetur. Postremum hæmorrhagiæ instantis signum est ὑποχονδρίου ξύντασις, hypochondrii distentio fugax, & sine dolore cum spirandi difficultate. Distenditur porro hypochondrium, id est, hepar & intumescit ob sanguinis motum qui in suo fonte & venarum radicibus moueri incipit: at hepar θησαυρισμὸς est sanguinis, αἱματώσεως officina, τῶν φλεβῶν ῥίζωμα Hip. libello de alimento: Difficilis autem redditur spiratio quia dum ad superiores partes viam affectat sanguis, diaphtagma princeps liberæ respirationis organum premit, sed fugax est ea respiratio, vt & hypochondrii tensio, si enim perseueraret hæc duo, cum dolore, hepatis inflammati indicia essent. Addit & alia signa Gal. aurium tinnitum, ex vaporibus sursum elatis, ceruicis tensionem, narium titillationem, adde iuuenibus à decimo octauo ad trigesimum ætatis annum, biliosis, febre acuta correptis.

Hypochondrii distentio cur.

De signis quæ sudorem criticum prænuntiant.

CAP. XIV.

EST altera criseως species naturæ maxime familiaris & consueta, quæ febres ardentes viscerumque omnium phlegmonas sæpe soluit, sudor quippe calidus, copiosus, vniuersalis: Huic si κατὰ λόγον suscipiatur, maxima debetur salutis laus. Sudoris huius critici iamiam futuri signa duo sunt apud Hippoc. vrinæ suppressio & rigor: De vrinæ suppressione critica meminit sæpe in prog. sed eam eleganter descripsit sect. 1. lib. 6. 5. epid. his verb. περὶ ῥίγεος αἱ ἐπισχέσιες τῶν οὔρων ἢν ἐκ χρηστῶν ἴωσι, id est, Ante rigorem (id est sudorem qui proxime rigorem sequitur) vrinarum suppressiones si ex bonis fuerint. Cur autem suppressio hæc sudoris prænuntia sit, hæc mihi videtur ratio, quod vrinæ & sudoris eadem sit materia, ὀρρὸν, scilicet, τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν, serum eorum, qui in venis continentur humorum: si ergo serosi humoris fiat in vniuersum corporis habitum translatio, aut supprimetur vrina aut saltem exigua erit illius quantitas, propterea qui multum sudant, parum meiunt & contra. Alterum futuri sudoris signum est rigor: Rigoris causa est seri acrimonia panniculum neruosum (vulgus carnosum vocat improprie) exquisitissimi sensus vellicans, Rigorem hunc tandem sequitur sudor. De eo rigore critico ita scripsit Hippocr. aphot. 58. sect. 4. ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ῥίγεος ἐπιγενομένου λύσις, id est, febre ardente occupato rigor superueniens eam soluit. Addunt recentiores pulsum mollem, fluctuantem & vndosum, extima omnia his calent, facies rubescit, sentiturque è corpore calidus quidam vapor copiosus efferri. Signa hæc critica ex pulsibus non descripsit Hippoc. (vt annotauit Galen. 3. de crisibus, vel quia ignorabat vel quia non existimabat magni momenti. Sunt qui ex insomniis sudoris mox erumpentis signa colligant. Nonnulli, (inquit Galen. libello de dignotione ex insomniis) quibus per sudores morbus finiendus erat, lauari & in aquæ calidæ lacu natare se somniarunt. Somnia hæc naturalia sunt & συγκριματικὰ: sequuntur quippe κρᾶσιν & humoris prædominantis naturam. addit Auicen. prærubrum vrinæ colorem.

Sudoris critici signa duo.

1. vrinæ suppressio.

Alterum signum est rigor.

Alia signa sudoris.

De signis futuræ vomitionis & deiectionis aluinæ.

CAP. XV.

VEntriculi, intestinorum, mesenterij & hypochondriorum phlegmones superueniente vomitu aut alui deiectione sæpe curantur. Est igitur vtraque vacuario inter species criseωn numeranda. Vtriusque imminentis signa hæc sunt apud Hippocratem. vomitionis quidem ἆσαι, καρδιωγμοὶ, πτυαλισμοὶ, τὸ ὀρφνῶδες, id est fastidia cordis morsus, crebræ saliuæ, tenebricosa visio. Iactatio primum adest eaque cum nausea; ob bilem in ventriculo stabulantem ὅταν (inquit Galen.) τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ὑπὸ μοχθηρῶν δάκνηται χυμῶν, id est, cum ventriculi os à prauis vellicatur & mordetur humoribus: Ab eadem causa καρδιωγμὸς excitatur, morsus cordis, id est, oris superioris ventriculi, quod veteres Græci καρδίαν appellauerunt, quia maxima est eius cum corde συμπάθεια, & symptomata inuehere solet cardiaca, id autem refero ad sensum eius exquisitissimum, quem nerui duo insignes stomachici dicti à sexta coniugatione orti impertiuntur. Est tertium iamiam futuræ vomitionis signum πτυαλισμὸς sputatio frequens, quæ fit exundante humore à ventriculo in os, idque per interiorem tunicam, quam ventriculo & ori continuam esse docet anatome. Apparet etiam præ oculis obscurũ quidpiam ob fumidum vaporem, qui ab impuro ventriculo exhalat. Addamus nos alia signa, labri sc. inferioris palpitationem, linguæ amarorem, crebram horrescendi & subsudandi vicissitudinem, partes infra hypochondrium frigidiores, cordis παλμὸν, spirandi difficultatem, durũ pulsum & inæqualem, acutum capitis dolorem, cuius causam refert Gale. ad vaporis biliosi acrimoniam, nec non ad sympathiam membranarũ cerebri & totius neruosi generis. Diarrhœæ vero signa aperuit Hip.

Vomitionis signa.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Signa diarrhœæ.

Hip. in coacis prænotionib. his verbis, ὅσοι δὲ ἐρυγμοὶ, φῦσαι, ψόφοι κοιλίης καὶ ἐπάρσιες, ἐκταράξις κοιλίης, id est, Quibus ructus, flatus, crepitus ventris, ejusdemque inflatio, his rapide fertur aluus: Arguunt enim hæc omnia translatum humorem à majoribus vasis & à toto corpore in mesenterii venas & ab his in intestina, vnde rugitus & inflammatio ventris. Addit in Epid. Hipp. lumborum dolorem. Est autem dolor ille sympathicus per mesocoli continuitatem, quod à ligamentis, quæ lumborum vertebras connectunt, oritur. Ex pulsu & vrina, signa diarrhœæ instantis petunt Arabes, pulsum paruum & frequentem esse volunt, vrinas vero tenues & albas apparere, translata quippe ad aluum & intestina copiosissima bile: Supprimitur etiam quandoque vrina: quia vt mictio noctu plurima facta paruam deiectionem denotat, apho. vltimo sect. 4. ita si profusior futura sit aluus, aut supprimetur vrina, aut exigua illius erit quantitas.

De signis perirrhiæ, id est, vrinarum profluuii.

CAP. XVI.

PER vrinas vniuersum corpus expurgari & grauissimorum virorum auctoritas & experientia ipsa fidem faciunt. Multos acuto morbo laborantes vrinæ profluuio superueniente perfecte sanatos sæpe obseruauimus. Non enim vnicam vrinæ agnoscimus materiam, potum scilicet (vt voluerunt quidam) sed, nunc serum quatuor, qui in venis continentur, humorum, (propterea ὀρὸν definit Gal. ὀῤῥὸν τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν.) nunc humores omnes biliosos, pituitosos, melancholicos. Solet (inquit) Gal. commentario in primum epid.) vniuersum corpus deponere περιουσίαν τῶν μοχθηρῶν χυμῶν, id est, prauorum humorum varietatem & abundantiam per vrinas. Est ergo περίῤῥοια quædam critica, eaque vniuersalis, per quam vniuersum corpus totumque venosum genus expurgatur, cuius meminit Hippo. sect. 2. lib. 1. epid. πολλοῖσι (inquit) δὲ περίῤῥοιαι μὲν πόνῳ χολώδεες ὑδατώδεες ξυσματώδεες οὐ νεφριτικὰ, ἀλλὰ τελέουσιν ἀντ᾽ ἄλλων ἄλλα, id est, multi vrinas profundebant cum dolore biliosas, aqueas, abradentes, quæ tamen non erant nephriticæ, sed his alia pro aliis. Est & περίῤῥοια quædam critica particularis, quæ partis cuiusdam affectum sanat. Sic lienosos multos vrinarum nigrarum liberali profusione sanatos vidimus: Erant autem eorum vrinæ nigræ, non γενέσει, (quia tales cum aut incendium maximum denotent, aut natiui caloris exstinctionem, perpetuo sunt lethales, (sed permixtione humoris atri, quem lien expurgabat & deponebat in renes. Thoracis affectus quamplurimi per vrinas salutariter iudicantur: Pleuritidis, peripneumoniæ, emphyematis, materia per renes & vesicam sæpe expurgatur. Hoc obseruauit Hip. sect. 3. lib. 3. epid. in constitutione pestilenti. τῶν inquit περὶ πλεύμονα πάντων διάδοσις κάτω, id est, omnium quæ circa pulmonem erant, in inferiora erat decubitus. Galen. eam thoracis per vrinas expurgationem confirmat cap. 4. lib. 6. de locis affectis. Negant (inquit) quidam abscessu in pulmone orto pus expurgari posse per renes. Nos vero pulmonis vomicam per vrinas expurgari vidimus sæpe & ante Galeni tempora eam puris per renes expurgationem agnouerat Diocles: Mesueus vero & Rhazius eius meminere. Quomodo autem & per quas vias id fiat, lib. 3. controuersiarum nostrarum anatomicarum aperuimus: docuimus enim per arterias & sinistrum cordis ventriculum expurgationem eam fieri posse: id clarissimorum virorum auctoritatibus & historiis fide dignis illustrauimus. Statuatur ergo περίῤῥοια species quædam crisis. Eius autem signa nulla tradidit Hippocrat. Nos ex reliquarum specierum priuatione ea colligemus, ita monente Galen. si enim hæmorrhagiæ, sudoris, vomitus, deiectionis aluinæ, nulla signa luceant, præcesserint autem & coctionis & perturbationis criticæ signa, verisimile est, per vrinæ profluuium morbum iudicatum iri, maxime vero si grauitas in hypogastrio & ardor in extremo pudendi persentiatur, si item toto morbi decursu copiosas & crassas minxerit vrinas, adde senilem ætatem, & tempestatem hybernam.

Multiplex vrinæ materia.

Quid vrina.

Vrinæ profluuium criticum.

Lienosi perirrhœa curantur.

Thoracis affectus per vrinas indicantur.

Expurgatio empyricorum per vrinas.

Signa vrinæ profluuii.

De sanguinis expurgatione per vterum & per hæmorrhoidales venas earumque signis.

CAP. XVII.

SVpersunt excretiones duæ criticæ, profluuium menstruale & hæmorrhoides: illud mulieres plerasque acuto morbo laborantes perfecte iudicare solet. Testem habeo locupletissimum Hippocr. const. 3. lib. 1. Epidem. Mulieres, inquit, quibus die critico menses eruperunt omnes periculo morbi defunctæ sunt, nec vllam ex his quibus recte id contigit, mortuam vidi. Aphor. 158. Coa. prog. febrem soluunt sanguinis profluuia è naribus, aluus biliosa, copiosa vrina, genuum dolores, ἐν γυναικὶ δὲ καὶ ἐπιμηνίων ῥύσις, idem quoq; facit in fœmina profluuium menstruale. Mulier Thasia copiosa exitu mensium à febre, conuulsionibus & graui periculo liberatur. Larisseam virginem, acuto morbo laborantem, prima menstruorũ eruptio ab inte-

Menstrua vacuatio plures ab interitu vindicauit.

interitu vindicauit. Ne longum faciam, salutaris & critica est hæc excretio, si iure & loco perficiatur. Eius autem signa hæc tradidit Hippoc. in Prorrh. æstum & grauitatem lumborum, *Signa profluuii menstrualis.* hypogastrii dolorem & tensionem. Addit Galen 3. de cris. certissima hæc esse iudicia, si aliarum excretionum nulla apparuerint. Æstum porro & grauitatem lumborum præsentiunt, ob copiam sanguinis eo confluentis, qui venam cauam lumborum vertebris superstratam distendit, à qua spermaticus & hypogastricus ramus vniuersum vteri corpus rigantes, scaturiunt. *Hæmorrhoidale profluuium.* Sanguinis quæ per hæmorrhoidas fit vacuatio, non ita familiaris est, soluit tamen plerumque melancholicos omnes affectus; nec non totius venosi generis & viscerum inflammationes. De melancholicis exstat aphor. 56. sect. 6. Insanientibus varices & hæmorrhoides superuenientes insaniam soluunt. Venarum autem plethoram, per hæmorrhoidas vacuari sæpe obseruarunt medici. Hæmorrhoidum namque alias statuunt internas, alias externas: Ille à ramis portæ, hæ à ramis cauæ oriuntur: illas cacochymiæ vacuatrices vocant: illæ mesenterii & hypochondrii sinistri: Hæ totius venosi generis affectus plerumque sanant. Huius excretionis quæ per hæmorrhoidas fit, signa nulla traduntur, si tamen coctionis suo die, & perturbationis criticæ signa apparuerint, nullaque sudoris vomitus, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, perirrhœæ indicia obseruet medicus, & consueuerit æger hæmorrhoidas pati, huic verisimile est mox esse fluxuras.

De altera specie crisis quæ fit per abscessus & quæ sint illius signa.

CAP. XVIII.

Morbi omnes aut per excretionem, aut per abscessus iudicari solent. Excretio in acutis, abscessus in diuturnis sæpius contingit, acutorum namque materia tenuis est, & natura *Diuturnitatis morbi causa duplex.* satis valida. Itaque humorem morbificum nunc ἔξω per sudores nunc ἔσω per vrinas, deiectiones, hæmorrhagiam excernit. At diuturni morbi causam agnoscunt, aut naturæ imbecillitatem, quæ humorem morbificum coquere, secernere, excernere nequit, aut humoris crassitiem. In his ergo sperabilis non est excretio, sed vel abscessus vel transitus in aliam morbi speciem. *Abscessus causæ duæ.* Abscessuum enim duæ sunt causæ, altera ex parte agentis, altera ex parte materiæ. Agens natura est debilior, materia humor est crassus, aut copiosus, qui à natura regi non potest: ex eorum alterutro abscessus fiunt. Si tenues sint & calidi humores, non opus est facultate valida, sin frigidi, validum naturæ robur requiritur. Quod si vtrumque iungas, humoris scilicet crassitiem & naturæ imbecillitatem maximam; nec fiet excretio, nec abscessus, sed aut morietur æger, aut in aliam speciem transmutabitur morbus. Excretionis species omnes earumque signa exposuimus, nunc quibus notis abscessum iamiam futurum indicare possit medicus, aperiamus. *Abscessus significationes variæ.* Quoniam vero abscessus nomen in Hippocrat. doctrina varium est ac multiplex, ne nobis homonymia imponat; singulæ eius acceptiones distinguendæ sunt prius. Abscessus Græcis ἀπόστασις si nomen spectes omnem humoris ab vna parte in aliam translationem denotat. *Prima. Abscessus duplex.* At quicunque humor transfertur, aut effluit, aut decumbit. Erit itaque duplex abscessus, alter κατ' ἔκροην, id est, per excretionem, alter κατ' ἀπόθεσιν, id est, per decubitum. Hac fusa & ampla significatione omnis excretio abscessus appellabitur. Meminit abscessum qui per excretionem fiunt Hipp. in epid. sect. 1. lib. 2. epid. Optimi (inquit) sunt abscessus, qui per effluxionem fiunt, velut sanguis è naribus, pus ex aure, sputum, vrina. Sect. 2. libr. 1. epid. Multi abscessus oriebantur aut maiores quam ferre possent, aut minores quam vt quicquam *Secunda acceptio.* prodessent: erant autem dysenteriæ, lienteriæ, tenesmi, sudores. Nonnunquam abscessus transmutationem morbi in morbum significat, vt sect. eadem ἔστι δ' οἷς οὐκ ὀλίγοισιν ἐξ ἄλλων *Tertia.* πυρετῶν, καὶ νοσημάτων ἀποστάσιες ἐς τεταρταίους ἐγένοντο. Quibusdam inquit non paucis, ex aliis febribus & morbis abscessus in quartanas fiebant. Interdum abscessus nomen pro suppuratione vsurpatur, vt aphorism. 36. sect. 1. progn. τὰς δ' ἀποστάσιας ἧσσον τὰ ἐν τῇ γαστρὶ οἰδήματα ποιέει, *Quarta.* id est. Tumores in ventre minus faciunt abscessum quam in præcordiis. Abscessum interpretatur Galenus suppurationem. Sæpe abscessus, vitium omne cutaneum, & quicquid sub cute erumpit è causa interna denotat, vt eius tam late pateat significatio quam phymatis. Hoc nomine tubercula omnia, exanthemata, ecthymata, furunculi, abscessus dicuntur. sic *Quinta & propria abscessus significatio.* sect. 1. lib. 2. epid. τὰ ἀπὸ δέρματος ἀφισάμενα ἐς τὸ ἔξω φύματα, ἀποστάσιες vocat. Sed proprie abscessus pro humoris decubitu, qui tumorem facit vsurpatur. Ita abscessum hic intelligendum putamus, cuius signa primum tradam vniuersalia, deinde particularia. Quæ abscessum in v- *Signa abscessus vniuersalia.* niuersum prænuntiant, descripsit Hippo. sect. 3. Progn, aphor. 23. 24. 25. 26. Si vigesimum diem excesserit morbus, tunc exspectandus abscessus, adde eodem auctore, si nullus dolor affligat, ob inflammationem aut ob aliam manifestam causam. Cum enim (vt interpretatur Gale.) triplex sit causa prorogationis febrium, pars affecta curatu difficilis, humor crudus & crassus, aut aliquis error commissus ab ægro, medico, astantibus, externis: si nec affecta sit ea pars, nec error vllus contigerit, sane longus erit morbus ob humores crassos, quos cum per excre-

excretionem foras trudere nequeat natura, eos in partem ignobiliorem pellere solet. Hoc idem in Coac. prænot. scriptum legitur: Quibus inueteratio est morbi, abscessum dolorificum imis in partibus exspectare oportet, potissimum vero innioribus. Et alibi: in diuturnis febribus aut phymata fundi solent, aut in articulis abscessus oriri. Et aphor. 44. sect. 4. quibus febres longæ, iis tubercula ad articulos, vel dolores fiunt. Est aliud futuri abscessus signum, vrinæ scilicet tenues & crudæ, toto morbi decursu cum salutaribus signis apparentes. *Aliud signum futuri abscessus.* Aphor. 34. sect. 2. Prog. Qui tenuem crudamque vrinam diutius mingunt, τουτέοισιν ἀπόστασιν δεῖ προσδέχεσθαι ἐς τὰ κάτω φρενῶν χωρία, abscessus exspectare oportet in partes diaphragmate inferiores. Inspicere etiam oportet anni constitutionem. Hyeme inquit Hippocr. Progn. 29. sect. 3. abscessus frequentius contingunt, tardius cessant & minus recurrunt, frequentius contingunt, quia tunc temporis frigidus humor dominatur, tardius desinunt, ob humoris naturam & aeris circundantis frigus, minus recurrunt, quia frigidus humor ad motum omnino ineptus est. *Tertium signum.* Sed & abscessum præsagiet Medicus, si excretionem inchoatam viderit non omnino perfectam: consueuit enim sæpe natura excretionem criticam in abscessum conuertere: *Quartum.* Quod ita docet Hippo. 6. epid. partic. 2. καὶ ἢν μὲν τῶν ῥυέντων ἐγκαταλείπηται, ἐπίσημον τὸ νόσημα πρὸς ἀπόστασιν, id est, Si eorum quæ excernuntur supersit pars aliqua, tunc in abscessum morbus est facilis. Atque hæc sunt abscessuum signa in vniuersum, nunc quæ pars, quis articulus, superior, an inferior abscessum suscipere debeat, videamus. Exoriuntur (inquit Hippocrat. Prog. 66. sect. 2.) ad inferas quidem partes, quibus hypochondria incandescunt, ad superas autem, quibus hypochondrium quidem molle est & doloris expers, ipsi vero paulisper suspiriosi quiescunt sine causa, verum hæc de peripneumonicis tantum intellige. Nos ex humoris motu, naturæ impulsu & meatuum sursum deorsumne spectantium conditione & situ, superos, aut inferos abscessus certo coniiciemus. *Signa particularia abscessuum.* Si tenuis sit humor, ad superiores partes potius, si crassus, ad inferiores viam affectabit. Si validum sit naturæ robur κάτω, προσωτάτω & ἀξίως τῆς προβολῆς, deorsum, procul & pro dignitate morbi fiet. Quinetiam si ante morbum pars quæpiam laborauerit, in eam morbus decumbet, aphor. 33. sect. 4. Aphor. Spectare etiam debet Medicus meatuum sursum deorsumque spectantium conditionem & situm. Nam peculiaris est partium κοινωνία & rectitudo, per quam humoris decubitus non tam naturæ robore, quam à forma humoris elementari fieri solet: fit autem motus qui elementarem formam sequitur ad perpendiculum & κατ' εὐθυωρίαν.

Sequitur Tabula de signis futuræ excretionis criticæ.

- *Excretionis futuræ signa sunt*
  - *Vniuersalia quæ petuntur ex*
    - *Specie morbi*
      - *Calidi, per excretionem iudicantur.*
      - *Frigidi, per abscessus.*
    - *Motu*
      - *Acuti, per excretiones*
      - *Diuturni, per abscessus*
    - *Parte affecta vt*
      - *Hepatis*
        - *Connexa, hæmorrhagia, vrinæ profluuio*
        - *Caua, vomitu, alui fluxu, sudore*
      - *Cerebri inflammationes hæmorhagia soluuntur sæpius.*
      - *Ventriculi & mesenterii*
        - *vomitu*
        - *Alui fluxu*
    - *Aegrotantis natura*
      - *Iuuenibus hæmorrhagiæ*
      - *Senibus, dysenteriæ contingere solent*
  - *Particularia*
    - *Hæmorrhagiæ*
      - *Rubor faciei.*
      - *Capitis & colli dolor.*
      - *Arteriæ temporum micantes.*
      - *Hypochondrii distensio fugax*
      - *Oculi caligantes.*
    - *Sudoris*
      - *Vrinæ suppressio, ob translationem seri.*
      - *Rigor vellicato panniculo.*
      - *Pulsus vndosus.*
    - *Vomitus*
      - *Cordis morsus.*
      - *Nausea.*
      - *Sputatio frequens.*
      - *Oris amaror.*
      - *Labri inferioris palpitatio*
    - *Diarrhœæ*
      - *Ructus.*
      - *Flatus.*
      - *Ventris inflatio.*
      - *Lumborum dolor.*
    - *Menstrui & vrinæ profluuii signa ex reliquarum excretionum priuatione colligenda.*

De signis crisin comitantibus. Ac primum quæ signa sint laudabilis excretionis, dum fit.

CAP. XIX.

HActenus quæcunque crisin præcedere soleut signa & quomodo tempus, diem & speciem crisis præsentire possit Medicus ex Græcorum & Atabum doctrina videor explicasse. Nunc ad alterum signorum genus transeundum est; Signa hæc comitantia voco, quod cum ipsa specie crisis simul appareant, crisinque ipsam dum fit, bona ne, sit an mala, perfecta, an imperfecta, quasi digito indicent. Signa hæc non aliunde quam ex criticis causis perenda sunt & ipsæmet causæ sunt criticæ. At criticas causas duas tantum agnouit Hippocr. excretionem scilicet & abscessum: Quæ igitur excretio bona sit, aut mala, quis abscessus legitimus aut illegitimus, videamus.

Excretionis laudabilis conditiones.

Excretio ea salutaris & bona dici debet, quæ commode fit. Vt autem commode fiat, quatuor requiruntur, qualitas laudabilis, quantitas sufficiens, tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris.

Qualitas.

Qualitas humoris qui excernitur laudabilis erit, si & peccans, & coctus humor vacuetur.

Peccans humor excerni debet.

Quod peccans humor excerni debeat, docet Hippoc. Aphor. 2. sect. 1. ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν, ἢν δὲ μὴ τἀναντίον. In alui perturbationibus & sponte factis vomitionibus, siquidem talia purgentur, qualia purgari oportet, confert & leuiter ægri ferunt: sin minus contra.

Coctus excernendus.

Quod humoris excernendi coctio requiratur, sexcentis locis scripsit Hip. Nulla vnquam in cruditate salutaris crisis exspectanda est: Quicunque diebus criticis riguerunt, indeque meraca vomuerunt, pessime omnes habuerunt. Si cui bilis atra sursum deorsumue exeat, θανάσιμον. Damnantur nigræ, æruginosæ & crudæ omnes, id est, à natura non domitæ deiectiones: Eorum enim humorum effera vis non minus exitiosa est partibus per quas repit, quam earum partium à quibus manat, exitium ostendit.

Secunda conditio. Quantitas humoris.

Secundo vt Salutaris sit excretio requiritur quantitas. Debet humor noxius totus vacuari, non per partes. Quæ enim relinquuntur in morbis relapsus facere consueuerunt. aphor. 12. sect. 2. Debet etiam moderata esse quantitas:

Nihil paucum criticum.

Vt enim nihil paucum est criticum, ita quod nimium est damnatur. De eo quod paucum est, exstat solemne Gal. edictum commentario ad aphor. 47. sect. 2. prioris Prorrhetici τῶν κρισίμων (inquit) οὐδὲν σμικρὸν εἶναι προσήκει, id est, eorum quæ critica sunt nihil conuenit esse paucum.

Ratio.

Rationem subiungit eodem loco: Quia quod paucum excernitur, aut malignos & multos humores naturæ dominatu regi non posse, aut summam naturæ fatiscentis exsolutionem denuntiat. Suspectæ sunt apud Hippoc. sudatiunculæ, substilla sanguinis, exigui vomitus.

Sudatiuncula damnatur.

De sudatiuncula hæc scripsit in prog. οἱ κεγχροειδέες καὶ μοῦνον περὶ τὸν τράχηλον γινόμενοι πονηροί, id est, sudores miliares, quo ceruix & clauiculæ tantum exsudant, pessimi sunt. In coacis prænotionibus οἱ ἐφιδροῦντες ἐν πυρετῷ κακοήθεες, Qui exiguo sudore madet cum febre, male se habent,

Substillum sanguinis prauum.

De substillo sanguinis exstat Aphor. 58. Coacarum prog. Στάξιες αἱ ἐλάχισται κακαί, id est, perexigua sanguinis stillicidia sunt praua. Sectione 3. lib. 1. epid. Philisco. Epaminoni & Sileno, σμικρὸν ἀπὸ ῥινῶν ἔσταξεν καὶ ἀπέθανον, pusillum quid è naribus stillauit & interiere. Mulier puerpera febre ardente correpta, decimo quarto die è naribus sanguinem profudit, interiit tamen, quia euacuationis quantitas, magnitudini morbi non respondebat.

Exigui vomitus pessimi.

De exiguo vomitu legitur aphor. 47. sect. 2. prioris. prorrh. τὰ, inquit, σμικρὰ ἐμέσματα χολώδεα κακόν, Pauci vomitus biliosi, mali sunt. Exigua igitur omnis excretio, siue per sudores fiat, seu per vomitum, aut hæmorrhagiam, aut alui profluuium, suspecta esse debet. Quod vnico aphor. complexus est mirus Hippoc. his verbis. Exigua apparere, vt sanguinis stillicidia, vrinas, sudores, vomitus, deiectiones, est quidem omnino malum, sed eo peius quo frequentius reuerterint.

Immodica vacuatio periculosa.

Immodica etiam excretio periculosa est, πᾶν γὰρ ait Hippocrat. aphor. 51. section. 2. τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, id est, omne nimium naturæ est inimicum & aphor. 22. section. 2. prioris prorrhet. In acuta febre, qui copioso sudore diffluunt, male se habent. In epid. profusior omnis hæmorrhagia terrifica est, liberalior vrinæ & alui profusio multos ante diem ad exitium præcipitauit. Hæc itaque excretionis laudabilis secunda lex sanciatur, vt moderata & sufficiens eius sit quantitas.

Tertia conditio laudabilis excretionis.

Tertio requiritur tempus, id est, dies criticus: Quæcunque enim diebus non criticis contingunt, suspecta sunt. Sunt hi velut arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi propterea eos γονίμους, id est, fœcundos appellare solet Hippocrat.

Quarta.

Postremo in excretione laudabili ipse excernendi modus considerandus est. Debet primum confertim fieri, non sensim & paulatim. Debet etiam fieri per loca conferentia & legi naturæ commoda, quæ ξυμφέροντα χωρία vocat Hippocrat. vt autem per loca conferentia fiat vacuatio, tria sunt necessaria.

Vt fiat excretio per loca conferentia requiruntur.

Primum vt locus non sit loco morbi dignior, deinde vt habeat rectitudinem, postremo vt transitus patentes habeat.

Primum.

Primum ita interpretor, vt per nobiliora loca non fiat excretio: Nam quæ ab ignobilioribus ad nobiliores fit μετάστασις periculo non vacat. Empyicorum, pleuriticorum & peripneumonicorum materia in thoracis cauitate contenta, sæpe

per

per arterias & sinistrum cordis sinum expurgatur in renes, vnde vrinæ abradentes & strangu-riosæ, sed in ea expurgatione multi moriuntur, & hoc plerisque imponit, qui abscessum in corde fuisse clamitant. Fieri autem per sinistrum cordis sinum & arterias eam pauris expurgationem, primus omnium Diocles prodidit, & postenm Galen. cap. 4. lib. 6. de locis affectis: Nos vero lib. 3. controuersiarum nostrarum anatomicarum, vias eas aperuimus & historiis fide dignis illustrauimus. Debet secundo fieri excretio κατ' ἴξιν ἢ κατ' εὐθυωρίαν, id est, secundum rectitudinem è directo. Nam quæ fit ἀνάπαλιν, id est, è diuerso, damnatur ab omnibus, sic aphor. 33. sect. 3. prioris prorrhet. τὸ ἀνάπαλιν αἱμορραγέειν πονηρόν, id est, sanguinem è diuerso fluere malum est, vt in liene magno, si è dextra nare fluat & de hypochondriis eodem modo. Arguit excretio hæc quæ fit è directo, validam naturæ contentionem, vt quæ è diuerso sit humoris malignitatem & obsessæ partis imbecillitatem. Tertio requirit vt locus transitus habeat patentes, id est, vt meatuum adsit libertas: sitque εὔροον τὸ σῶμα, quod ita expressit Hippocr. sect. 3. lib. 6. epid. τὰς ἐφόδους ἀνεῳγμένας, ὅσον δεῖ, id est, transitus apertus esse oportet, & alia quibus opus est: Vbi notabis Hippoc. laudabilis excretionis notas omnes indicasse his verbis ὡς δεῖ καὶ ὅτε, καὶ ὅπη, καὶ ὅσον δεῖ, id est, vt oportet, & qualia, & quando, & qua parte, & quantum opus est. Prima particula, excretionis modum designat, secunda qualitatem, tertia tempus, quarta rectitudinem, postrema quantitatem. Loca porro naturæ familiaria & ordinaria, per quæ excretiones fiunt, sunt aures, nares, intestina, vterus, pudendum, venæ narium, hæmorrhoidum & cutis ipsa. Nam per hæc effluunt pus, sanguis, sputum, vrinæ, deiectiones, sudores. Sunt hæc omnia laudabilis excretionis signa vniuersalia: Particularia vero cuiusque, vt sudoris, vomitus, deiectionum, vrinæ, hæmorrhagiæ, ex Hippocr. progn. petenda sunt, Quæ nos vno capitulo ad finem huius operis in rudiorum gratiam complectemur. Adde his omnibus, morbi speciem, ægrotantis naturam, ætatem, anni tempus.

Secunda.

Tertia conditio.

De signis laudabilis & legitimi abscessus.

CAP. XX.

LEGITIMI & salutaris abscessus conditiones, paucis verbis ita expressit diuinus senex, sect. 2. lib. 6. epid. σκεπτέα τῶν ἀποστάσιων καὶ ὅθεν ἢ διότι, id est considerandum, quo, vnde, & propter quid. Quo, partem denotat in quam decumbit, vnde partem ex qua, propter quid, causam designat, ob quam oboritur abscessus, id est, num à natura cocto morbo, aut à materia cogente & diuexante adhuc humore crudo. De partis in quam decumbit humor conditione, primum dicam. Debet esse inferior, ignobilior, remota ab affecta parte & totius materiæ morbificæ capax. Itaque ratione partis suscipientis debet legitimus abscessus fieri κάτω προσωτάτω ἢ ἀξίως τῆς ἀσθενείης deorsum, procul à morbi foco & pro dignitate morbi. Quod deorsum & procul fieri debeat docet Hippocrat. senten. 17. sect. 1. lib. 6. epid. Si infra vmbilicum superiora constiterint in inferioribus articulis bonum. & progn. 67. sect. 2. Progn. αἱ δὲ ἀποστάσιες αἱ ἐς τὰ σκέλεα λυσιτελέες μὲν πᾶσαι, Abscessus qui erumpunt ad crura in peripneumonia vehementi vtiles omnes sunt. Apertius sect. 1. lib. 2. epid. Optimi, inquit, sunt abscessus αἱ κάτω, ἢ αἱ κατωτάτω κοιλίης, ἢ προσωτάτω ἀπὸ τῆς νόσου qui infra fiunt, & longissime infra ventrem, & remotissimi sunt à morbo. Quod partis recipientis capacitas requiratur docet idem auctor in epi. prorrh. & coa. sectione 1. lib. 2. epid. Debet abscessus legitimus fieri pro morbi dignitate: id autem contingit dum in partem totius humoris morbifici capacem decumbit, sin secus contingat periculum est recursus ad nobiliores partes, vnde cita mors venit. Partic. 2. libr. 1. epidem. exanthemata apparebant parua, nec digne morborum excretioni respondentia, inde mox rursum euanescentia, eadem sectione multi abscessus oboriebantur, aut minores quam vt quicquam prodessent aut maiores quam ferre possent. In prorrh. Quæ apud aures extuberant in paraplecticis suspecta sunt, quia magnitudini morbi non respondent. Extant ad huius rei illustrationē elegantes historiæ in epid. Ægernonns sect. 3. li. 1. Crito abscessum habuit in magno pedis digito, nocte delirauit, postridie interiit. Historia quinta particulari sect 3. lib. 3. epid. Caluus Larisseus fœmur dextrū doluit, quarto die circa meridiem mortuus est, celerrime & acutissime. Sect. 1. lib. 2. Temeni neptis ex vehementi & acuto morbo abscessum habuit in digito, cumque pars totius materiæ non esset capax, recurrente eadem ad superiores & nobiliores partes interiit. Considerandum igitur in abscessu laudabili ex summi Hipp. mandato, Quo, id est, in quam partem fiat decubitus: spectandum etiam est vnde, id est, à qua parte dextra ne an sinistra: si dextra laboret pars, in dextram fiat decubitus, si sinistra in sinistram. Atque vt in excretione requiritur τὸ κατ' ἴξιν ita & in abscessu. Sic Hephæstophonti cū intumuisset lien obortus est in crure abscessus κατ' ἴξιν & præter spem conualuit. Postremo considerandum est propter quid, id est, vt interpretatur Gal. num coctoā natura morbo fiat, aut eadem irritata: Si crudo existente morbo oboriantur abscessus, praui sunt, & mor-

Conditiones partis recipientis.

Debet fieri deorsum & procul.

Debet fieri in partem capacem.

Historiæ elegantes.

Altera conditio abscessus legitimi.

Tertia.

morbum perfecte non indicant: Cruda enim (inquit Hip. sect. 2. lib. 1. epid.) & incocta, & in prauos abscessus conuersa, aut morbi longitudinem, aut periculum, aut mortem minantur; & apho. 67. sect. 2. prog. Si sputum non facile excernatur, neque vrina hypostasin habeat laudabilem, periculum est ne ab abscessu articulus claudicet, aut multum molestiarum exhibeat. Est igitur vt rem in pauca contraham, salutaris & legitimus ille abscessus, qui fit deorsum, procul à parte affecta; pro dignitate morbi, secundum rectitudinem & morbo à natura concocto.

Tabula signa omnia crisin comitantia concludens.

- *Signa crisin comitantia sunt ipsæmet causæ & species criticæ quæ duæ omnino sunt.*
  - *Excretio quæ vt salutaris sit quatuor requiruntur*
    - 1\. *Qualitas laudabilis, vt coctus humor & peccans vacuetur*
    - 2\. *Quantitas moderata Nam*
      - *Exigua damnatur*
        - *Substilla sanguinis*
        - *Sudatiuncula*
        - *Vomitus exigui*
      - *Immodica periculo non vacat*
    - 3\. *Tempus, vt die critico contingat: Quæ enim aliis diebus contingunt suspecta esse solent*
    - 4\. *Excernendi modus in quo hæc spectanda vt*
      - *Fiat confertim, non sensim & paulatim*
      - *Fiat per loca conferentia, vt autem id fiat tria requiruntur*
        - *Locus non sit loco morbi dignior.*
        - *Locus habeat rectitudinem*
        - *Locus transitus habeat patentes.*
  - *Abscessus vt legitimus sit tria spectanda*
    - 1\. *Quo, id est, pars in quam decumbit, quæ debet esse.*
      - *Inferior.*
      - *Ignobilior.*
      - *Remota ab affecta parte.*
      - *Totius materiæ morbificæ capax, alioqui periculum refluxus,*
    - 2\. *Vnde, id est, à qua parte fiat, dextra ne an sinistra, debet enim fieri decubitus secundum rectitudinem.*
    - 3\. *Propter quid, num fiat cocto à natura morbo, aut eadem irritata: Nam si crudo existente morbo fiat prauus erit abscessus.*

De signis Crisin consequentibus.

CAP. XXI.

TERTIVM superest criticorum signorum genus, quod crisin iam factam perfecta ne sit, an imperfecta, secura, an infida nobis commonstrat. Signa hæc consequentia appello quia crisin consequuntur. Ea autem ex qualitate corporis, actionibus & excrementis petenda sunt. Qualitas corporis cernitur in colore, figura & mole totius, sed præsertim faciei. Actiones tres sunt, naturalis, vitalis, animalis: Naturalis, coctione, distributione & excretione absoluitur, vitalis in pulsu, respiratione, colore & calore totius lucet. Animalis aut princeps est, aut motrix, aut sensifica. Excrementa hic intelligo vniuersalia, vrinas & deiectiones. In his tribus signa omnia quæ crisin consequuntur, apparent, & ex his perfectam, aut imperfectam crisin salutarem aut lethalem iudicabit medicus. Absoluta igitur crisi per insignem aliquā excretionem. *Qualitas corporu.* Qualitatem primum corporis spectare debemus in colore & mole: si enim bene sit colorata facies, salutaris fuit excretio, sin color liuidus, citrinus, niger, sympromatica. Si prius à morbo & febris vehementia intumuerat facies, repente detumescat, perfecta est crisis: si vero post crisin, faciei tumor remaneat, sintque adhuc turgidulæ palpebræ, periculum subest relapsus. Hoc docuit me diuinus senex section. 5. lib. 2. epid. ἢν πυρετοῦ ἔχοντος τὰ περὶ τὸ πρόσωπον ἰσχνὰ ἢ ἐν ἡμέρῃ γονίμῳ, τῇ ἐπιούσῃ λύει, id est, si cui febricitanti facies die critico extenuetur, sequenti die soluetur omnino morbus. Hoc idem in Coacis prænotionibus scriptum legitur. Facies extumescente residens, vox item blandior, tum spiritus rarior & facilior, remissionem perfectam fore denuntiant. *Actiones.* Obseruata corporis qualitate, actiones omnes percurrere debet medicus, primumque naturales. *Naturales.* Nam si peracta crisi, cibum apperit ex animi sententia, belle coquit & deiicit, atque vt breuius dicam bene ingerit, digerit, egerit, de relapsu non est quod metuamus. Quod si nausea, cibi fastidium, ructus acidi, aut nidorulenti, sitis, hypochondriorum tensio, remanserint, signa sunt impuritatis aluinæ & reliquiarum, vnde relapsus. *Vitales.* Vitalis facultas in respiratione, pulsu, colore & calore totius conspicua est. Si itaque pulsus æqualis, remissior & temperatus sit, si spiritum ducat ex facili, si color sanorum similis, si denique omnis alieni caloris sit expers, planeque ἀπύρετος, perfectam & salutarem omnino crisin exclamet medicus: Quod si frequens sit pulsus, calorque acrimonia quantum-

uis

nis leui tactum feriat, recidiuam polliceatur. Remansit enim ἐμπύρωμα, quod superesse cuiusdam visceris intemperiem testatur, à qua noua humoris generatio fieri potest: At quæ relinquuntur in morbis, relapsus facere consueuerunt aphorism. 12. section. 2. Ex animalibus facultatibus, signa hæc petenda sunt, si absoluta crisi mens tranquilla sit, non deliret, sensus integerrimi sint, decumbat in alterutrum latus, manibus, pedibus, cruribusque modice reflexis, perfecta fuit crisis, sin minus, imperfecta. *Animales facultates.* Postremo, ex vniuersalibus excrementis, vrinis scilicet & deiectionibus, indicia quædam perfectæ, aut imperfectæ crisews peti possunt: Si post crisin vrinæ tenues appareant, relapsus periculum subest. Æger secundus section. 1. lib. 3. epidem. Hermocrates decimo quarto die liberatur à febre, decimoseptimo vrinæ tenues apparuerunt, vigesimoseptimo mortuus est. Vrinæ etiam rubræ post crisin, reliquiarum aliquid superesse arguunt. Sunt hæc omnia crisin consequentia signa: Sed inter ea principatum obtinet somnus: quando quis nuper morbo defunctus suauiter dormit, signum est firmissimæ, perfectæ & absolutæ criseos. Hoc docuit Hippocrates in Coac. præno. ὕπνοι βαθέες μὴ ταραχώδεες βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν, οἱ ἢ ταραχώδεες μετὰ ἀλγήματος σώματος, ἀβέβαιοι, id est, Somni profundi nec turbulenti firmam & stabilem crisin significant, turbulenti vero & cum dolore corporis, inconstantes sunt. Atque hæc sunt signa omnia critica & antecedentia, & comitantia & consequentia.

Finis libri primi.

Signa crisin consequentia, eam iam factam secura ne sit an infida, nobis commonstrant, spectantur in

- *Qualitate quæ cernitur in*
  - *Colore*
    - *Si facies bene sit colorata salutaris excretio.*
    - *Si color liuidus, citrinus, niger, symptomatica.*
  - *Figura*
  - *Mole.*
    - *Si derepente detumescat facies quæ prius intumuerat perfecta est crisis.*
    - *Si turgidula remaneat, periculum est relapsus.*
- *Actionibus quæ tres sunt*
  - *Naturalis*
    - *Si bene ingerit, digerit, egerit, relapsus non subest periculum.*
    - *Si fastidiat cibos, ructusque acidi, sitis, hypochondriorum tensio remanserint, metuendus est relapsus.*
  - *Vitalis lucet in*
    - *Pulsu qui si æqualis & remissior sit perfectam indicat crisin*
    - *Respiratione facili*
    - *Colore sanorum simili*
    - *Calore temperato*
  - *Animalis*
    - *Sensifica, si sensus integerrimi & somnus placidus sit nec turbulentus, perfecta fuit crisis.*
    - *Motrix si belle decumbat in alterutrum latus*
    - *Princeps si mens tranquilla sit*
- *Excrementis*
  - *Deiectionibus coloratis, figuratis.*
  - *Vrinis quæ*
    - *Si sanorum similes sint salutarem crisin testantur.*
    - *Si tenues appareant aut rubræ relapsum minantur*

LIBER SECVNDVS, IN QVO DIERVM CRITICORVM DIFFERENTIÆ omnes, & eorundem vires explicantur.

Quomodo dies critici à medicis inuenti sint.

CAPVT I.

Dierum obseruatio apud antiquos.



ANTA apud Antiquos fuit olim superstitio, vt certo quodam dierum numero omnia constare, ab his pendere singula, his vitam hominis dispensari existimauerint. Sanctissimos Ægyptiorum sacerdotes in priuatis, & politicis actionibus peculiares dies obseruasse legimus. Græci suos habuerunt dies, quos ἀποφράδας, id est, nefandos appellatur. Fuerunt apud Romanos atri & infausti quidam dies, qui ex Pontificum decreto, neque præliares, neque puri neque comitiales erant. Rustici & ægricolæ in plantarum amputatione ac satu dies peculiares obseruant. Astrologi & Genethliaci in suis natalitiis maximam dierum rationem habent. Sunt & nautis suspecti quidam dies, quibus mari se audent committere. Tales notantur Martii primus, septimus, quintusdecimus, septimus & decimus, vigesimus quintus: Aprilis quintus, sextus, duodecimus, vigesimus, Februarii sextus, quintusdecimus, septimusdecimus, nonus & decimus, vigesimus. Sunt & felices in mari dies, quibus venti omnino consilescunt, summaque in mari notatur tranquillitas, Alcyonios vocant. Verum superstitiosa hæc omnia, incerta, fallacia. Præclarius Medici, certa & longa experientia edocti, philosophicam dierum contemplationem, medicæ artis exercitationi subiecerunt. Cum enim in morbis dies alios, aliis potentius decernere, & imparibus fere omnibus, naturam aduersus morbum insurgere, insignique alia excretione, aut abscessu ἀξιολόγου, humorem morbificum nunc ἔξω, nunc εἴσω, nunc ἄλλῃ ὅπῃ δεῖ, id est, foras, aut intro, aut alio quo oportet trudere obseruarent, Dies quosdam statuerunt, quos in vniuersum, κρισίμους, κριτικὰς καὶ κρινούσας ἡμέρας, id est, criticos, decernentes, iudicatorios, decretorios, vocarunt, eorum alios salutares & faustos, alios lethales, infaustos, & nefandos statuentes. Hos admirandus Hip. primus omnium quorum memoria ad nos peruenit in epid. aphor. prog. & lib. de iudicationibus accurate descripsit, salutares passim γονίμους, id est, fœcundos appellans. Hunc sequuti sunt Archigenes, Diocles, Heraclides Tarentinus, Philotimus. Neque vero summo illi Philosopho & naturæ genio Aristoteli, incognita fuit dierum criticorum vis. Nam cap. 6. lib. 5. Physic. morbi solutionem quæ diebus vere criticis contingit vult fieri, κατὰ τὴν ἀλλοίωσιν φυσικήν, id est, secundum naturalem alterationem. Quæ vero diebus non criticis, κατὰ τὴν βιαίαν ἀλλοίωσιν, id est, per violentam alterationem. Tandem subsequutus est Gal. qui dierum omnium naturam, differentias & vires libris tribus ita accurate & eleganter descripsit, vt nihil fere desiderari possit. Nos secundo hoc libro dierum criticorum differentias omnes & quæ sit cuiusque diei dignitas atque in decernendo vis clarius explicabimus.

Dies suspecti.

Quomodo dies critici à medicis inuenti.

Quid sit dies Medicus, & quænam eius sint partes.

CAP. II.

Dies duplex. *Naturalis.* *Artificialis.* *Quid dies medicus.*

ANte quam dierum criticorum differentias aperiamus, videamus primum quid dies sit medicus, & quot sint eius partes. Diem Astrologi duplicem faciunt naturalem & artificialem. Naturalis viginti quatuor horis constat æqualibus, quæ ἰσημεριναὶ, id est, æquinoctiales dicuntur Galen. 7. 8. method. Eius diei partes sunt duæ, dies, id est, sol lucens super terram, & nox, id est, vmbra terræ in solis oppositum diametraliter extensa. Artificialis dies dicitur quandiu sol est supra terram, hic inæqualis esse solet, nam æstate longior est, hyeme breuior, & eius horæ inæquales sunt καιρικαὶ, id est, temporales appellatæ. Dies medicus & criticus naturalis est constatque 24. horis. Hoc docuit Galen. 1. & 2. de crisi. lib. de septimestri partu. Diem, inquit, appello interuallum 24. horarum æquinoctialium: sic & annum trecentis & sexaginta quinque diebus & quarta insuper diei parte constare dicunt. Diem porro Athenienses, Persæ & Boæmi à solis occasu incipiunt, Vmbri & Arabes à meridie, Babylonii ab exorto sole,

ſole, Ægyptii & Galli à media nocte, Medici ab ea hora qua cœpit æger decumbere & manifeſte laborare, vt poſt hac fuſius demonſtrabitur. Diem naturalem veteres Romani in partes vndecim ſecuerunt, mediam noctem, Gallicinium, conticinium, crepuſculum matutinum, dilnculum, auroram, diem clarum, meridiem, tempus occiduum, ſupremam tempeſtatem & veſperam. Medici diei naturalis quatuor tantum ſtatuunt partes, matutinum tempus, meridianum, veſpertinum, & nocturnum. Hoc primus indicauit Hippocr. ſect. 1. lib. 2. epid. & ſect. 1. lib. 6. dum ſcribit, veſperi exacerbari & annum ad veſperam & aſcarides, Gal. in comment. diem toti anno proportione reſponderi vult, vt enim quatuor ſunt anni partes, ver, æſtas, au umnus, hyems, ita & diei. Matutinum tempus veris analogiam præ ſe fert, æſtati aſſimilatur meridies, Autumno veſpertinum tempus, nox autem hyemi. Horis matutinis dominatur ſanguis. Circa meridiem quæ æſtuoſa eſt bilis. Circa veſperam melancholicus humor. Noctu pituita. Obſeruatunt Arabes, morbos à ſanguine obortos mane exacerbari, quia, tunc temporis mouetur ſanguis, & ea ratione matutinis horis mittendum ſanguinem præcipiunt, melancholici omnes affectus circa veſperam magis affligunt, pituitoſi noctu, vnde nocturnæ febres fere omnes ſunt pituitoſæ: Ita ergo diei naturalis quatuor ſunt partes in Græcorum & Arabum Medicorum doctrina, quibus ſingulis criſes contingere poſſunt, ſed nocturnæ periculoſiores eſſe ſolent. Iam vero criticus dies is dicitur, qui decernit, qua fuſa & ampla ſignificatione omnis dies criticus dici poteſt, quia quolibet die iudicari poteſt morbus: Sed proprie & vere criticus dies is dicitur, qui frequenter & ſecure decernit, cum excretione vel abſceſſu.

Diei naturalis partes 11. apud Romanos.
Diei naturalis partes 4. apud Medicos.
Reſpondent diei partes quatuor anni temporibus.
Quid dies ſit criticus.

Differentiæ dierum Criticorum ex Hippocrate.

CAP. III.

Dierum criticorum numerus, eorundem vires & differentiæ multis quidem difficultatum inuolucris ſunt implicatæ: Nos tamen ſingula hæc explicare & in perſpicuam lucem proferre conabimur: Atque vt ordine progrediatur diſputatio noſtra, quid admirandus Hippocr. quid Galen. ea de re ſcriptis mandarint, primum aperiemus. Deinde quid ſentiamus paucis explicabimus, Hippocrat. criticorum dierum differentias, aliter in epid. aliter in prog. & aphor. tradidit. Sect. 3. lib. 1. epid. dierum alios impares alios pares ſtatuit. Pares ſunt quartus, ſextus, octauus, decimus, decimusquartus, vigeſimus octauus, trigeſimus, quadrageſimus octauus, ſexageſimus, octogeſimus, centeſimus. Impares ſunt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, vndecimus, ſeptimusdecimus, vigeſimus primus, ſeptimus & vigeſimus, trigeſimus primus. Interea emendandus Hip. locus. Nam in Græcis codicibus ita legitur: Ἐκ τῶν δ' ἐν τῆσι περιόδησι κρινόντων περιόδων. α.γ.ε. id eſt, circuituum qui iudicant imparibus diebus, primus, tertius, quintus, vt ita videatur primus dies eſſe criticus: Quod tamen falſum eſt. Nam apud eundem Hipp. (vt ſuo loco demonſtrabitur) primus & ſecundus dies non ſunt decretorii, cum nullus morbus, cuius coctionem exſpectamus, finiri vno die poſſit, quamquam eadem die ſæpe mori contingit, vt ex angina, &c. Legendum ergo loco α. πρώτη vt ſit auctoris hic ſenſus. Primus dies impar eſt tertius, vel circuituum qui iudicant imparibus dieb. primus eſt tertius, vt eorum qui decernunt diebus paribus, primus eſt quartus, neque etiam ſecundi diei meminit eo loco. Itaque vt eo redeamus, vnde digreſſi ſumus, in Epidemiis dies omnes, quibus criſes contingunt perfectæ, criticos appellauit, quia tunc temporis, quæ ſingulis ægrotis contingebant bona, aut mala obſeruabat Hippocrates, neque certa erat adhuc & explorata criſimorum dierum cognitio: Et ſane (vt annotauit Galenus Epidemiorum libri ſunt ὑπόμνημα & velut obſeruationes quas ſibi ad memoriam, non aliis ſcribebat. Accuratius in progn. & Aphor. aureis & plane diuinis libris, criticorum dierum differentias propoſuit, & eos tantum, qui vere ſunt critici, quibus frequentes, fidæ & ſecuræ contingunt criſes, deſcripſit. Itaque quaternarios omnes in acutis morbis potenter decernere voluit, acutorum autem terminum ſtatuit vigeſimum diem. Sunt hæc Hippocrat. verba ſect. 3. progn. Primus acutorum impetus quarto die finitur, ſecundus ad ſeptimum producitur, tertius ad vndecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad vigeſimum. Hi igitur impetus ex acutiſſimis morbis per quatuor ad viginti ex additione deſinunt. In aphoriſ. eadem fere ſcripſit, aphor. 14. ſect. 2. Septenorum quartus eſt index, Alterius ſeptimanæ octauus principium, Eſt autem & vndecimus ſpectandus, ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus vero ſeptimus decimus ſpectandus. ipſe ſiquidem eſt quartus à quarto decimo, ſeptimus vero ab vndecimo. Itaque à primo ad vigeſimum ſex ſunt quaternarii & tres ſeptimanæ, quæ ita numerandæ ſunt, vt ſecunda à prima omnino ſeparetur, id eſt, vt octauus dies ſecundæ principium ſit: Tertia vero cum ſecunda copuletur, id eſt, quartusdecimus dies bis numeretur, vt ita in vigeſimum diem, non primum, & vigeſimum cadat criſis. Intercidentium dierum non meminit in prog. & aph. quoniam quæ his dieb. contingunt criſes, imperfectæ ſunt,

Differentia dierum Criticorum ex Hippoc.
Pares qui.
Impares qui
Emendatur locus Hippo.
Differentia criticorum dierum ex progn. & aphor.

ętæ sunt, & ab ἀυτομάτῳ potius, aut ob aliquod extrinsecus adueniens irritamentum contingunt, quam ex lege & præscripto naturæ. Hæc est admirandi Hippocrat. de criticorum dierum differentiis doctrina.

Differentia criticorum dierum ex Galeno.

CAP. IV.

Galenus, quæ paulo obscurius à summo Hippocrate tradita erant, scriptis illustrauit elegantissimis, libris tribus de Crisibus & totidem de diebus decretoriis. Itaque dierum duos statuit ordines. Alii bene & perfecte iudicant. Alii male & imperfecte. Eorum qui bene iudicant, tres sunt differentiæ. Alii principes dicuntur, qui eas omnes habent notas, quæ ad perfectam crisin requiruntur, decernunt quippe secure, perfecte, manifeste, cum indice, tales sunt septimus, decimus quartus, vigesimus. Alii ad eos accedunt proxime, vt nonus, vndecimus, septimus decimus. Alii minus perfecte iudicant, vt tertius quartus, quintus. Qui imperfecte & male iudicant, suos etiam habent dignitatis, aut potius malitiæ gradus: Alii namque frequenter decernunt, vt sextus, qui Tyranno confertur: Alii rarius vt octauus & decimus: Alij rarissime, vt duodecimus & sextus decimus. itaque ex Hippocr. & Gale. scriptis hæc colligo: tres esse ordines circuituum, primus ad vigesimum diem, Alter ad quadragesimum, Tertius ad centesimum extenditur, Primus sex constat quaternariis, Secundus tribus septenariis, Tertius tribus vicenariis. Quaternarii omnes, à primo ad vigesimum critici sunt, Septenarii omnes à vigesimo ad quadragesimum, vicenarii à quadragesimo ad centesimum. Statuantur ergo tres dierum criticorum circuitus: vnus minor ex quaternionibus, Alter maior & ἡμιτελὴς ex septimanis, Tertius maximus & perfectissimus ex vicesimo in se ducto & multiplicato. Sed hæc iunioribus obscuriora fortasse videri poterunt, nostra igitur diuisione illustriora clarioraque euadent.

Tres ordines circuituum.

Tres circuitus dierum, iunior minor, maior, maximus.

Perfecta & vera dierum criticorum diuisio.

CAP. V.

Dies criticos appello, in quibus mutationes contingunt plurimæ ac firmæ. Eorum in morbis acutis tres omnino statuo differentias. Alii sunt vere & perfecte critici: Alii indices, Alii intercidentes. Perfecte critici, absolute κύριμοι dicuntur aut principes, Barbari radicales dicunt, quoniam quæ his diebus contingunt crises, omnes perfectæ criseωs notas habent. Eiusmodi sunt septenarii tres, septimus, quartus decimus, vigesimus. Debet perfecta crisis esse εὔσημ@-, id est, indicata. At quilibet septenarius, suum habet indicem, septimus quartum, quartus decimus vndecimum, vigesimus septimum decimum. Debet esse σαφὴς, id est, manifesta, cum excretione laudabili, vel abscessu ἀξιολόγῳ: At solet natura sponte nullo lacessita pharmaco, septimo die, decimoquarto, vigesimo humores excernere. Debet esse ἀκίνδυν@-, id est, sine periculo: At illis diebus plures sanantur, quam moriuntur, vt obseruauit Galen. cap. 7. libr. 2. de diebus decretoriis plures quam quadringentos homines acuto morbo laborantes æstate vnica septimo die perfecte iudicatos fuisse. Hi ergo tres vere & absolute critici ac principes dici debent. Secundus criticorum dierum ordo eorum est, quos θεωρητὰς ἢ ἐπιδήλους vocat Hippocrat. nos contemplabiles, indices, internuntios; contemplabiles, quod eorum obseruatio ad crisis præsensionem Medico necessaria sit; Iudices quod criseωs die principi futuræ, signa in his luceant, indicentque diem crisis, si coctionis signa in excrementis appareant vniuersalibus vrinis præsertim: sic in progn. & apho. vrina quæ quarto die hypostasin habet albam, læuem, æqualem, solutionem morbi septimo fieri ostendit, Sunt autẽ indices dies numero tres, quartus, vndecimus, septimusdecimus; quia tres tantum septimanæ, & quilibet septenarius suum habet indicem, primus quartum, secundus vndecimum, tertius septimumdecimum. Tertius superest criticorum dierum ordo, quos Græci παρεμπίπτοντας, Latini intercalares, intercidentes, interrepentes, appellant, quia inter vere criticos & indices, intercidunt, intercalantur. Quidam prouocatorios dicunt, quod naturam proritent & ante tempus excernere cogant. Eiusmodi sunt in prima septimana tertius & quintus, in secunda nonus & tertiusdecimus, in tertia decimusnonus. Sunt autem hi in morbis acutis ea prærogatiua critici, quia impares, & quæ illis diebus crises contingunt, imperfectæ sunt, quia naturæ motum & ordinem non sequuntur, sed irritata ac lacessita natura fiunt. Tot ergo à nobis crisimorum dierum statuuntur differentiæ, vt alii sint principes, alii indices, alii intercidentes. Reliqui omnes vt sextus, octauus, decimus, duodecimus, sextusdecimus, octauusdecimus à Doctis quibusdam vacui & medicinales dicuntur: vacui, quia nec decernunt, nec indicant, nec prouocant. Medicinales vero, quia illis diebus ægris mederi eisque cathartica citra periculum exhibere potest medicus. Hoc apertissimis verbis expressit Diuinus senex

Dies vere critici & principes.

Dies indices.

Dies intercalares.

Dies vacui & medicinales.

ſenex lib. 4. de Morbis, Quicunque, inquit, febre continua correpti cathartico diebus paribus vſi ſunt, hi nimium purgari ſunt nunquam: At qui diebus imparibus cathartico ſunt vſi, nimium ſunt purgari & multi perierunt. Dies hos, quidam criticos artificiales vocant, quod arte medica morbos iudicent, id eſt, ſoluant.

Tabula dierum differentias omnes comprehendens.

Dierum in morbis acutis quatuor ſtatuimus differentias.

- *Alii ſunt vere & perfecte critici principes dicuntur aut radicales, eiuſmodi tres tantum ſunt.*
  - *Septimus.*
  - *Decimus quartus.*
  - *Vigeſimus.*
- *Alii ſunt indices ſeu contemplabiles qui criſin ſeptenario futuram indicant, ſolentq; in illis ſigna coctionis apparere Tres tantum ſunt quia tres ſeptimanæ.*
  - *Quartus ſeptimum indicat ſi nihil magnum & rarum ſuperuenerit.*
  - *Vndecimus index eſt quarti decimi,*
  - *Decimus ſeptimus vigeſimi.*
- *Alii ſunt intercidentes intercalares. qui inter principes & indices intercidunt & quæ illis diebus contingunt criſes irritata natura fiunt. Sunt autem hi.*
  - *In prima ſeptimana tertius & quintus.*
  - *In ſecunda nonus & 13.*
  - *In tertia 9.*
- *Alii ſunt vacui & medicinales qui nec iudicant nec indicant nec prouocant, & illis cathartica tuto exhibere pteoſt medicus, Tales ſunt 6. 8. 10. 12. 16. 18.*

Quodnam ſit morbi principium & à quo die numerare debeat medicus.

CAP. VI.

ANtequam dierum criticorum vires, & quæ cuiuſque ſit in decernendo dignitas aperiamus, videndum prius quid ſit morbi principium: Eo enim ignorato quis primus, quis quartus, aut ſeptimus dies dici debeat, ſtatui non poteſt. Principii apud Hippocrat. & Galen. multiplex eſt acceptio, vt colligo ex commen. in 1. progn. ex comment. ad aphor. 12. ſect. 1. ex lib. 1. de criſi. cap. 6. 7. 8. & ex lib. de totius morbi temporibus. Sæpe principium denotat τὴν πρώτην εἰσβολὴν τοῦ νοσήματος οὐδὲν ἔπω πλάτος ἔχουσαν, id eſt, primum morbi inſultum, nullam adhuc latitudinem obtinentem. Principium illud momentaneum eſt & fere indiuiſibile, conſiſtit, ἐν τῷ νῦν, in puncto. Secundo, principium ſumitur pro primo die decubitus, vt dicatur tunc morbus incipere cum decumbit æger. Interdum ſignificat eum inſultum, qui ad aliquod tempus, tertium ſcilicet vel quartum diem extenditur, vt primus quaternarius principium morbi dici poſſit. Quin etiam primum morbi tempus denotat, cum morbum in quatuor diuidentes tempora, principio, incremento, ſtatu & declinatione conſtare pronuntiamus. Nonnunquam principium pro toto cruditatis tempore vſurpatur, vt tandiu dicatur morbus eſſe in principio, quandiu humorum adeſt cruditas, licet ad decimum quartum diem extendatur. Hac principii ſignificatione vtitur paſſim Hippocr. in Aphor. Aphor. 22. ſect. 1. Cocta medicari atq; mouere non cruda, μήτε ἐν ἀρχῇσιν, id eſt, nec in principiis. & Aphor. 24. eiuſdem ſect. In acutis morbis raro & principiis medicamentis purgantibus vtendum, quamdiu ſcilicet crudus eſt humor. Poſtremo vſurpatur principii nomen pro eo tempore quo manifeſtam perſentit æger actionum læſionem, & febris adeo σφῶς facultates lædit, vt rectus ſtare amplius nequeat, ſed coactus decumbat, ſi per tempus, occaſionem & locum liceat. Hæ ſunt principii omnes apud Hipp. & Galen. acceptiones. Nunc quomodo in hiſtoria critica principium intelligi debeat videamus. Non à primo quaternario, neque ab humorum cruditate principium incoandum, ita enim tertius dies non eſſet criticus, & aliquando decimusquartus primus eſſet morbi dies, quia poteſt ad decimumquartum extendi naturæ oppreſſio & humorum cruditas. Non à primo inſultu primum morbi diem numerare debet Medicus, quia principium hoc eſt inſenſile & momentaneum: At Medicus ſenſualis eſt artifex. Non à primo die decubitus, fieri enim poteſt vt delicatior quiſpiam leui de cauſa & ſine febre de-

Principii multiplex acceptio. — Prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta. — Quomodo principium hic intelligi debeat.

cum-

cumbat: Contra sæpe contingit robustos, vel grauioribus negotiis occupatos, licet febricitent, tardius decumbere quam deberent. Quid igitur statuendum? Soluit eleganter quæstionem hanc Galen. primo de diebus decret. docetque ab ea hora principium morbi incoandum, qua sentit æger manifestam actionum læsionem, & qua febris adeo σαφῶς facultates lædit, vt rectus stare nequeat. Id confirmat summi Hippocrat. auctoritate. Scribit enim in epid. Loros plerosque, cœnatos acberie cibum capientes, derepente morbo correptos fuisse. Sect. 3. lib. 1. epid. Erasinus statim à cœna igne correptus. Pythion primo die tremore manuum cum febre acuto vexatus est, Caluum Larisseum femoris dextri dolore cum acuta febre derepente prehensum legimus, contr. epid. 1. scribit Hippocr. multis ad alteram aurem obortos tumores, plurimis ad vtramque sine febre & rectis. & sect. 1. lib. 3. epid. Eum qui in Dealcis horto iacebat, diu capitis grauitate laborantem dextroque tempore dolentem, cum occasione, igne prehensum fuisse & iacuisse scribit. Ex quibus planum fit & apertum ab eo die principium morbi numerandum, quo cepit æger febricitare, non dolore, nec aliis symptomat. infestari.

An in partu principium morbi à die partus numerandum sit, an à die febris.

CAP. VII.

Contra nostræ conclusionis veritatem obiici multa solent quæ diluenda sunt. Nam si principium morbi ab eo die incoandum, quo cepit febricitare E. & in partu & in capitis vulnetibus, & in viscerum inflammationibus, principium à die febris numerandum: At contrarium suadent ratio, experientia & grauissimorum virorum auctoritas. *Auctoritates Hippo de partu.* De partu primum dicam. Constans est Hipp. Gal. Aui. omnium denique Medicorum assertio, non à die febris, sed à die partus principium morbi numerandum. Sententia 10. sect. 3. progn. hæc scripsit Hipp. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τῇσι γυναιξὶν αἱ κρίσιες ἐκ τῶν τόκων γίνονται, id est, iuxta vero eandem rationem mulieribus quoque iudicationes fiunt à partu. *Auctoritas Galeni.* Gal. in com. clarius Hip. sententiam enarrat. Principium (inquit) numerationis tibi fiat, non quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint. Sect. 2. lib. 3. epid. in ægris decimo 11. 12. supputationem à die partus facit Hip. Huius rei est euidens demonstratio. *Demonstratio.* Nam ab eo die numerandum morbi principium, quo incipit moueri humor, At in die partus moueri incipit humor. Est enim ex summa Hip. doctrina lib. de septimestri partu, partus velut quædam crisis, & eo die maxima est naturæ contentio, quo tempore qui latitant humores exagitari incipiunt. Itaque ex eo humorum motu & naturæ contentione supputatio fieri debet, non à die febris. Sic in omni inflammatione, non à die febris, sed à die inflammationis supputatio facienda; quia febris illa symptomatica est. *Obiectio.* Verum sibi ipsi aduersari videtur Hip. Nam sect. 3. lib. 1. epid. in Philini vxore morbi principium numerat à die febris; non à die partus. Huic (inquit) decimoquarto à partu die superuenit febris, sexto die delirauit, vigesimo interiit. Erat autem vigesimus ille dies trigesimus quartus à partu. *Solutio.* Expedita responsio est, si febris post sextum aut septimum diem superuenerit iam non à partu, sed à die febris computationem faciendam, quia febris hæc non sequitur humoris motum, qui paulo ante partum, aut etiam in ipso partu contingere solet, sed forte ab aliqua causa externa, vt ira, metu, intempestiua victus ratione aut simili alio errore excitatur. *Obiectio.* Opponet nobis fortasse argutiolus quidam historias duas, quibus secundo à partu die febris oborta est, & tamen à die febris, non à die partus principium numerauit Hipp. Sect. 3. lib. 1. epid. Epictatis vxorem & Dromeade febris corripuit secundo à partu die. Legite eas historias apud auctorem. Nam singula hic transcribere, hominis esset otio ac literis abutentis. *Responsio.* Respondet Petrus Aponensis, partum alium esse naturalem, alium non naturalem, si naturalis sit partus, à die febris computatio fiat, verisimile enim est, febrem non ab agitatione partus excitari, quia omnia κατὰ φύσιν se habent, sed ab aliqua causa externa: Quod si naturalis sit partus, fiat computatio à die partus, quia tunc temporis partus morbi rationem habet, & febris superueniens symptomatis, vel dicamus cum Gal. Hipp. in epid. multa sparsim & confuse annotasse, non vt ederentur, sed vt essent velut aduersaria & ὑπομνήματα ad memoriam iuuandam: In prog. vero & aph. singula paulo accuratius explicasse, & ad certam veritatis regulam accommodasse. Itaque his libris computationem à die partus incoandam censet, si modo ab alia causa non contingat febris, quam ab eo humorum motu, quem pariendi conatus excitauit. *In vulnerib. capitis quo modo fieri debeat computatio.* Quæ autem de Partu à nobis dicta sunt, ad capitis & reliquarum partium vulnera, aut inflammationes accommodari posse existimamus. Principium namque non à die febris, sed ab eo quo inflictum est vulnus numerandum, sic solet Hippoc. lib. περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων dies numerare. Multi (inquit) æstate ante septimum diem, hyeme ante decimum quartum moriuntur. *Residua numeranda quomodo.* Cæterum ne quid prætermissum à nobis videatur, quod ad morbi principium & dierum λογισμὸν spectet, hæc pro disputationis coronide annotanda sunt, dum morbus redit, recidiuam cum priore morbo iungendam esse, si modo relapsus ex morbi reliquiis, non ex alia causa contingat. Testem habeo locupletissimum Hippocr. qui

prima-

primarios affectus eum recidiuis coniungere solet. Æger secundus sect. 2. libri tertii epid. Hermocrates, decimo quarto die liberatur à febre, septimodecimo rursum febricitauit, vigesimo febris expers, quarto & vigesimo rediit. Tandem septimo & vigesimo moritur. Æger octauus sect. 3. lib. 3. epid. Anaxion vigesimo die sudauit, febre liberatus est omnino, septimo & vigesimo rediit febris, quarto & trigesimo totum illi corpus calido sudore diffluxit, cessauit febris, perfecte iudicatus est.

Cui diei attribuenda sit crisis.

CAP. VIII.

QVoniam sæpe contingit crisis multos dies occupare, adeo vt incertum sit, ad quem eorum referri debeat, ne quid fluctuantes studiorum animos remoretur, ea paucis explicare non erit studiosis (vt opinor) ingratum. Statuatur exempli gratia vacuatio quædam critica, vt sudor, qui septimo morbi die erumpere incipiat, sequente autem 8. desinat, cui horum attribuenda est crisis? 7. ne an 8.? Nos ad quæstionis dissolutionem, tria in die critico Medico diligenter obseruanda volumus, morbi παροξυσμὸν, id est, accessionem, Diei naturam & temporum criticorum numerum. Paroxysmorum hæc est ratio. Si diebus imparibus exacerbetur morbus, diei impari potius crisis attribuenda, etiamsi in parem sæpe incidat, quoniam ex summi dictatoris doctrina iisdem diebus iudicantur morbi, quibus exacerbantur. & sectio. 3. lib. 3. epid. τὰ παροξυνόμενα ἐν ἀρτίῃσι κρίνεται ἐν ἀρτίῃσιν. Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus indicantur, at quorum exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus iudicantur. Secundo dierum vis & natura consideranda. Alii enim, aliis potentius decernunt, quibusdam diebus fidæ & perfectæ, aliis infidæ & imperfectæ contingunt crises. Demus exempli gratia nono & decimo diebus sudasse ægrum, si crisis perfecta fuerit & salutaris, noni erit non decimi diei, si imperfecta ad decimum referenda potius. Postremo spectandus est numerus temporis critici. Sunt autem critica tempora tria ἡ ἀρχὴ τοῦ κριτικοῦ παροξυσμοῦ, ἡ ἀρχὴ τοῦ κριτικοῦ κινήματος, τὸ τέλος τῆς κρίσεως, id est, principium accessionis, principium motionis criticæ & finis crisews, solutio scilicet morbi. Qui dies duo in se tempora complectitur, is magis crisin sibi vendicat, vt si septimo die ceperit perturbari natura, octauo autem & excretio, & solutio contigerit, octaui erit non septimi diei crisis. Quod si tria hæc in tres dies distribui contingat, illi maxime tribuenda erit crisis, in quo cepit excretio, siquidem is maximus est naturæ impetus. Cæterum obseruatione dignum est, peracutos morbos & vere acutos vnica die crisin absoluere, eos vero qui decimum quartum excesserunt duobus, qui vigesimum tribus. Hoc videtur in historiis suis particularibus tacite indicasse Hippoc. vt eleganter obseruauit Galen. cap. 5. lib. 2. de diebus Decretoriis. Nam dum crisis vno tantum die absoluitur (quod ante decimum quartum diem fieri solet) hac dicendi formula vritur Hippc. Morbus huic quinto, septimo, nono, vndecimo, iudicatus est, nec reperias dixisse Hippocra. quemquam circa quintum vel septimum diem iudicatum, sed ἁπλῶς πεμπταῖον, ἑβδομαῖον κέκριται: At vbi morbus decimumquartum excessit diem, quia plures dies occupare solet crisis, mutat dicendi formulam, & ita loqui consueuit, Circa vigesimum, aut trigesimum, aut quadragesimum iudicatus est, innuens tacite, huic aut illi diei posse crisin attribui. Ita ex his dierum paulo spinosioribus senticetis euadendum putamus. Nunc quæ sit cuiusque diei dignitas, & in decernendo facuitas, aperiamus.

Tria in die critico spectanda.

1. Paroxysmus.

2 dierum vis spectanda.

3. Numerus temporum criticorum.

Obseruatio.

De diebus vere criticis qui principes appellantur, ac primum de septimo die & eius dign...e.

CAPVT IX.

DIerum non eandem esse vim, sed alios aliis potentius decernere, longo vsu & certa experientia, jam à multis seculis obseruatum est: septenarios autem eiusmodi esse, & primus prodidit Hip. & ratio ipsa suadet. Habet enim perfectæ ac salutaris criseos notas omnes. Debet perfecta crisis esse εὔσημος, σαφὴς, τελεία, ἀσφαλὴς, id est, indicata, manifesta, absoluta & secura. At solis septenariis hæc insunt omnia: Merito itaque principes & absolute κρίσιμοι dicendi sunt. Septenarii porro in acutis tres sunt, 7. 14. 20. quorum historiam primum describere postulat dignitatis & naturæ ordo: Sed 7. primum debetur laus criseos, propterea cum Gal. c. 4. l. 1. de dieb. decret. primum inter decret. appellat, non numero & ordine, sed δυνάμει & ἀξιώματι, id est, viribus & dignitate. Eum Regi confert clementissimo, & sexto opponit tanquam Tyranno: vt enim Rex clementissimus multis parcit & pœna liberatos dimittit, ita septimus dies insigni facta excretione, multos ab interitu vindicat. De septenarii præstantia multa, à sanctissimis Ægypriorum Sacerdotibus, à Chaldæis, Græcis & Arabibus sunt prodita, quæ hic lubens sciensque prætereo: fateor enim multas nugas numerorum prætextu cir-

Septenarii vere critici.

cumferri, vt in nostra de septimestri partu disputatione annotauimus. Quid enim sapienti curæ est si pleiades septem sunt, si vtraque vrsa ἑπτάστερος, si septem in orbe mirandá, septem orbes planetarum, septem Hyades, septem lunæ facies, septem Triones maiores, minores, septem vocis mutationes, septem motus naturales, septem quæ conspiciuntur septem ætates, septem apud Græcos vocales, septem Græciæ sapientes, septem metalla, septem ostia Nili: hinc illud Poetæ, *Et diuersa ruens septem discurrit in ora.* septem in capite, sacra Palladis arce, fenestræ, septem quæ vna sibi muro circundedit arces, septem vocis mutationes, septem artes liberales, septem humanarum actionum causæ, septem de stirpe Homeri certantes vrbes, &c. Quid inquam hæc ad septenarii vires? Nam & de senario, ternario, quinario, cæterisque numeris mira prædicant quidam. Præstat in Hippocr. Aristot. & Galeni hortulos multis doctrinæ floribus peramænos arridentesque diuertere. Ὁ δὲ αἰὼν (inquit diuinus Hippocr. libello περὶ ἀρχῶν) ὁ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπταήμερος, id est, Hominis ætas septenario dierum numero constat. Nam & plerique eorum, qui per dies septem nihil quicquam aut edere, aut bibere volunt, his ipsis diebus moriuntur, quia & contrahitur ieiunum intestinum, & ventriculus diuturna officii vacuitate, sui omnino redditur immemor. Semen quod post viri eiaculationem intra septem horarum spatium non fuerit ineffusionem relapsum hæsisse in vitam pronuntiatur. Septimo post conceptionem die, spermaticarum omnium partium prima apparent rudimenta, habetque (ait summus Dictator) genitura septimo die, quæcunque corpus habere par est, septimestres partus ζώσιμοι sunt, non octimestres, septimo post partum die iactat reliquias vmbilici. Post bis septem incipit ad lucem visus eius moueri. Post septies septem liber etiam & pupulas, & totam faciem vertit ad motus singulos, Septimo mense dentire incipit, Post his septem sedet sine casus timore, Post ter septem sonus eius in verba prorumpit, Post quater septem incedit, post quinquies septem incipit lac nutricis horrescere. Septimo anno dentes permutat, fitque vt scribit Hippocrat. lib. περὶ ἀρχῶν dentium tertia generatio à solidioribus alimentis, tunc loquendi integritas absoluitur, vnde septem apud Græcos vocales. Bis septem annis perfectis lucent pubertatis indicia, puellis enim erumpunt menstrua, turgent mammæ, noua lanugine insperguntur genitalia, totum corpus libidine titillatur, Mares vero τραγίζειν & ἀφροδιζεῖν, id est, hircire, vocem asperiorem edere, & venerem agnoscere incipiunt, ob natiui caloris, ἐκλαμψιες. Post ter septenos firmam aggrediuntur ætatem. Quarto, quinto, & sexto septenariis conseruantur vires, eaque ætas virilis & constans dicitur. Septimus septenarius quadratus est, Nonus climactericus & periculosissimus iudicatur: Obseruatum enim in multa hominum memoria expertumque est (vt notat A. Gellius in senioribus plerisque, hunc vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. Elegans legitur apud eundem auctorem Diui Augusti ad Caium Nepotem de anno climacterico congratulatio. Decimus septenarius qui septuagesimum annum complet meta creditur viuendi, quod Regius ille Propheta cœlesti numine plenus ita cecinisse est visus: *Septuaginta anni dies sunt hominis, hos vltra labor & dolor.* Sunt ergo septimi dies menses & anni (quos hebdomaticos vocant) maxime considerandi, quoniam insignes in illis mutationes contingunt. Propterea monet Ficinus ille Platonicus, vt qui vitam producere cupit, septimo quoque anno Astrologum & Medicum consulat: Astrologum quidem vt vnde vitæ impendet periculum intelligat: Medicorum vero vt rectam victus rationem præscribens, astrorum minas & vim maleficam effugiat. Aristoteles septimo de historia Animalium hoc quasi eximium septenario tribuit, quod singulis septenariis mutationes maximæ contingunt. Gale. sanitatis præcepta tradens, per septenariorum rationem, ætatum facit discrimina. Merito itaque Pythagorici septenarium rerum omnium principium, Tullius rerum omnium nodum nexumue (Geminam quippe vim habet vinciendi) Medici vero certa experientia persuasi, Regem inter decretorios dies appellarunt: Nam septimus dies multos iudicat, τελείως, πιστῶς, σαφῶς, προδήλως καὶ ἀκινδύνως, id est perfecte, fide, manifeste, cum indice & sine periculo. Narrat Gale. cap. 7. lib. 2. de diebus decretoriis, se plures quam quadringentos homines acuto morbo laborantes, æstate vnica perfecte iudicatos vidisse. Cæterum licet septimus dies salutariter & perfecte vt plurimum iudicare soleat, quidam tamen (vt obseruat Galen. cap. 4. libr. 1. de diebus decretoriis) septimo die moriuntur, plerique etiam insignem in deterius mutationem eo die nacti, in sequenti aliquo decretorio intereunt. Id autem contingere solet, aut propter materiæ contumaciam & malignitatem, vt in febribus pestilentibus, aut propter expultricis facultatis imbecillitatem, aut denique ob meatuum obstructionem. De his qui septimo die interierunt, exstant elegantes historiæ 1. & 3. epid. Mulier quæ apud Plantimedem habitabat, cum primo die febre correpta fuisset, septimo interiit. Altera ex abortiuo partu phrenitica die septimo obiit. Adolescens qui in mendacium foro iacebat, septimo ἀπέθανεν. De his qui septimo die deterius se habentes, sequentibus diebus criticis interierunt exstant historiæ in epid. Æger tertius lib. 1. cum septimo die obtumuisset, vndecimo moritur. Æger duodecimus cum septimo die omnia exacerbata essent, quintodecimo interiit. Plura collige ex Epidemion libris.

De septenarii virib. obseruationes medicæ & philosophicæ.

De anno climacterico.

Quid die interierunt.

De die quartodecimo, qui secundus est dignitate & viribus.

CAP. X.

SEcundus dies vere & perfecte criticus est quartusdecimus. Huic veterum quidam maiorem in decernendo vim tribuunt, quam septimo, argumentum à Lunæ oppositione sumentes, in quo aspectus maior oritur inimicitia, quam quouis alio tempore: sed deliramenta sunt hæc & meræ nugæ. Nam septimus dies, & numero, & dignitate, principatum inter vere iudicatorios, (quos radicales vocant Barbari) obtinet, sed si 7. die perfecta non contingat crisis, non est ante quartumdecimum exspectanda, nisi forte irritetur natura, aut copia, aut qualitate humoris, vel iuuetur à Medico: ita enim cogitur ante diem & præter institutum humorem excernere. De his, qui quartodecimo die perfecte iudicari sunt exstant commemorabiles historiæ in epid. & hoc vnum inter cætera eius diei dignitatem ac securitatem testatur, quod suum habeat indicem vndecimum. At nulla crisis perfecta & salutaris dici debet, nisi fuerit εὔσημος, id est, bonis signis indicata. Verum in hac 14. diei historia multa obseruantur inuoluta, ac ptimum illud quæri potest, sit ne ex parium vel imparium dierum numero. Deinde vtrum sit acutorum morborum terminus. Quod ad primum attinet, certissimum est in supputatione aritbmetica, 14. ex nnmero esse parium, quia in duos æqnales secatur numetos, & ex duobus imparibus, quales sunt septenarii, perpetuo par numerus generatur, Hipp. sententia decimaquarta sect. 3. lib. 1. epid. inter pares criticos numerat. Eius bæc sunt verba: Est autem primus dectetorius circuituum, qui diebus paribus iudicant, quartus, sextus, octauus, decimus, quartusdecimus. Hæc si vera sunt, non erit quartusdecimus perfecte decretorius, quia perfecta crisis diebus contingit imparibus, & vt sæpe iam annotauimus, Acuti morbi iisdem iudicantur diebus, quibus acerbantur, mouentur autem imparibus diebus, quia acutorum materia est bilis, cuius hæc est proprietas vt tertio quoque die moueatur. Nos quæstionem hanc ita soluendam putamus, diuersam esse Arithmeticorum & Medicorum supputationem: Numerant enim Medici per septimanas, ita vt octauus dies secundæ septimanæ principium sit, & quartus decimus septimus sit secundæ septimanæ. Hoc docuit Hippocrates aphoris. 24. sect. 2. Septenorum (ait) quartus est index: Alterius septimanæ octauus principium. Itaque in Logismo Medico quartusdecimus dies ex numero erit imparium.

Dignitas diei quartidecimi.

An 14. dies par sit vel impar.

Solutio quæstionis.

An quartusdecimus dies acutorum morborum sit terminus.

CAP. XI.

DE acutorum morborum termino dubitandi occasionem præbuerunt dissentientes Hippo. loci. Nunc enim quartumdecimum, nunc vigesimum, nunc quadragesimum diem acutorum finem videtur agnouisse. De decimoquarto in Aphor. & Coac. prænotionibus hæc scriptis mandauit. Aphor. vigesimotertio sec. 2. τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, id est, Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur prog. 143. Coacarum. τοὺς καυσώδεας διακρίνουσιν αἱ τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέραι, κὴ φίζωσιν ἢ ἀναιρέουσι, id est: Ardenter febricitantes iudicant quatuordecim dies, vel ad interitum, vel ad salutem. In epid. plures historias annotaui eorum, qui acuto morbo laborantes septimodecimo & vigesimo iudicati sunt. Herophon decimoseptimo iudicatus est. Philini vxor 20. interiit. Cherion vigesimo iudicatus est, febre omnes acuta correpti. Section. 3. Prognos. vigesimum diem acutorum statuit terminum. Febres (inquit) malignissimæ quarto die, aut prius occidunt. Primus itaque ipsarum insultus sic definit: Secundus ad septimum producitur, tertius ad vndecimum, Quartus ad decimumquartum, quintus ad decimumseptimum, sextus ad vigesimum. Hi igitur impetus ex acutissimis morbis per quatuor ad viginti ex additione desinunt. In eodem progn. quadragesimum diem acutorum morborum terminum statuit. Prognosi vigesima quarta sect. 1. Libera (inquit) & facilis spiratio, maximam ad salutem vim habet in omnibus morbis acutis, qui cum febre sunt, & in quadraginta diebus iudicantur. Itaque pugnantia videtur loquutus Hippo. Interpretum quidam vt se ab his laqueis extricarent, Hippocrat. scripta ita conciliare ausi sunt, quartumdecimum diem non esse acutorum morborum terminum, sed quatuordecim tantum esse dies decretorios, si quis à tertio ad quadragesimum supputauerit. Hoc illi commento probabile quiddam afferre videntur, sed tamen Hippocra. splendori tenebras offundunt. Nam neque id somniauit vnquam Hippocr. neq; vera sunt quæ ipsi proferunt. Plures quippe sunt, pauciores quam quatuordecim dies decretorii, à primo ad quadragesimum. Si enim vere decretorios numeres, sex erunt tantum septenarii ad quadragesimum vsque, septimus, decimusquartus, vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimus quartus, quadragesimus. Si indices tantum, sex erunt etiam, quia quilibet septenarius suum habet indicem: si principes decretorios & indices simul iungas, erunt tantum duodecim: si

Dissentientes Hipp. loci de termino acutorum.

Explicatio quorundam commentitia.

his addere velis intercidentes, plures erunt quam quatuordecim. Itaque quocunq; velis modo, aut plures erunt, aut pauciores quam quatuordecim. Ridicula ergo & tota nugatoria est hæc interpretatio. Nobis dissentientes hos Hipp. locos conciliare non erit difficile, si acutorum morborum naturam & differentias ob oculos proponamus. Acutos morbos definit Hippocr. in epid. qui celeriter, continenter & vehementer mouentur, adeo vt acuti morbi ex motu nomen sortiantur, propterea laudat Archigenem Galen. 2. de dieb. decre. quod non ex sola temporis breuitate, sed & ex motu & natura morbi, acutum, aut peracutum morbum appellare consueuerit: Eum namque qui lento motu & cum interuallis ad quadragesimum vsque protenditur, nemo sanæ mentis acutum reuera dixerit. Neque etiam morbus omnis, qui celeriter iudicatur, acutus dici debet, nec idem est acutus cum βραχυχρονίῳ, id est, breui; ita enim ephemera febris acutus esset morbus, sed requiritur ad morbi acumen celeritas, continuitas, & vehementia. Quod si obiicias acuto morbo opponi πολυχρόνιον, id est, longum (ita enim repertias apud veteres Medicos, morborum alios esse acutos, alios diuturnos. Respondebo ex Gal. doctrina cap. 13 lib. 3. de dieb. decretoriis, ob dictionum penuriam id contigisse, & καταχρηστικῶς acutum morbum diuturno opponendum. Statuatur ergo acutorum natura in celeri, continuo & vehementi motu. Acuti porro duorum sunt generum, Quidam sunt peracuti, Quidam acuti simpliciter. Peracuti rursum, aut sunt ἀκριβῶς ὀξύτατοι, id est, extreme peracuti, Perperacutos dicunt quidam, aut peracuti simpliciter. Acuti etiam alii sunt peracuti simpliciter: Alii acuti ἐκ μεταπτώσεως, id est, ex decidentia. Gal. comment. ad aphor. 23. sectio. 2. annotauit verius & elegantius acutos dici debere per prioris status in alium mutationem, aut à sua specie degenerationem, quam acutos ex decidentia. Itaque retinent bi nomen tantum morbi acuti, sed illius naturam plane amiserunt, lento enim mouentur & incedunt gradu, vnde νοσήματα κωλυόμενα καὶ βραδέως κινούμενα, quasi cohibitos freno morbos, nec laxis habenis ad suum terminum properantes dicuntur. Horum quidam tales sunt per crisin imperfectam, quidam propter inæqualem vicissitudinem remissionis & exacerbationis. His ita iactis fundamentis duo extreme peracutos primo quaternario iudicari. Testem habeo Hipp. aphor 2 sect. 3. prog. κακοηθέστατοι πυρετοὶ τεταρταῖοι κτείνουσιν, id est, febres malignissimæ, horrendisque comitatæ symptomatis, quarto die interimunt. Peracuti simpliciter primo septenario iudicantur. Acuti simpliciter decimo quarto die, quod longissimum est, finiuntur, adeo vt morbi continuatum acumen plures quam quatuordecim dies excedere non possit, id quotidianus rerum euentus commonstrat & ipsa suadet ratio: Acuti enim, vehementiam & celeritatem cum habeant comitem, magnam vim naturæ inferunt: At apud Philosophos nullum violentum est perpetuum. Acuti ex decidentia ad quadragesimum vsque prorogari possunt, de quibus intelligendus Hipp. in prog. non enim dixit simpliciter in acutis, sed cum addito, iis qui quadragesimo die iudicantur. Qui vero morbi decimo septimo aut vigesimo iudicantur, fuerunt ab initio parui, mites, ad motum tardi, submersi, propterea in illis supputatio à die decubitus, aut febris fieri non debet, sed à die vehementis & citatioris motus, quo acuti esse cœperunt. Itaque decimus septimus aut vigesimus ille dies, erit perpetuo decimus quartus. Hæc quæ multis obscuriora videri poterunt, exemplorum appositione clariora & illustriora euadent. Si quis febricitans quarto die phrenitide corripiatur & septimodecimo iudicetur, apud nos decimoquarto iudicatus creditur, quia cœpit tantum quarto die morbus celeriter & vehementer moueri, at à quarto ad septimum decimum sunt quatuordecim tantum dies. Hoc nouerat ante Gal. Diocles. Phreniticos enim non à primo die statim fieri, sed procedente morbi tempore enuntiauit. Si primum septenarium exegerit quis cum febre mitiori, & septimo die acute cœperit laborare, etsi is vigesimo die iudicetur, tamen decimo quarto crisin contigisse existimandum. Hoc confirmat Adolescens in Mœlibea libr. 3. epid. Cœpit decimo die delirare, Quartodecimo omnia exacerbata sunt, vigesimo valde insaniuit, vigesimoquarto interiit. Fuit illi vigesimusquartus, quartusdecimus à decimo. Vera est igitur summi Hipp. sententia: Acutos reuera morbos, intra quatuordecim dies, quod longissimum est iudicari, id est, morbi continuatum acumen plures quam quatuordecim dies excedere non posse.

Quid sit acutus morbus.

Obiectio.

Acuti ex decidentia.

Vera explicatio quæstionis.

De vigesimo die, qui tertius est radicalis.

CAP. XII.

Tertius inter principes decretorios à nobis statuitur 20. Est enim septimus à quartodecimo, & suum habet indicem septimum decimum. Multos hic secure iudicat & perfectum complet circuitum. Est hic acutorum morborum terminus, eorum dico, qui tardi fuerunt ab initio, aut quorum continuatum non fuit acumen. De eo maxima disceptatione certatur inter Medicos Sunt enim qui vigesimum primum præferant vigesimo, quod ille tribus constet perfectis

Auctores. qui 21. diem praferunt 20.

perfectis septenariis, hic imperfectis. Eius sectæ principes sunt Archigenes & Diocles. Celsus quoque lib. 3. cap. 4. referens dies crisimos, quos antiqui sequebantur, vigesimumprimum recenset non vigesimum. Meminit etiam Hippocrat. vigesimi primi in epid. Aphorism. & libello de diebus decretoriis. Primo epidem. Circuituum (inquit) qui iudicantur diebus imparibus, primus est, tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, septimusdecimus, vigesimusprimus. Aphorism. 36. sectio. 4. Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vigesimoprimo. Libello de diebus decretoriis Iudicantur (ait) febres primo die, septimo, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vigesimoprimo. Nos tamen certa experientia persuasi & ex summi Hippocrat. doctrina, vigesimo principatum decernendi tribuimus, non tamen vigesimum primum à decretoriis diebus omnino excludimus. Quod vigesimus dies, criticus potius dici debeat, quam vigesimusprimus, ipsa circuituum ratio, & totus dierum ordo satis superque suadet. Nam si vigesimusprimus perfecte criticus sit: Ergo & decimus octauus index statuetur, & post vigesimumprimum hi erunt critici, vigesimus quintus, vigesimusoctauus, trigesimus secundus, trigesimus quintus, quadragesimus secundus, sexagesimustertius, octogesimusquartus: At eorum nunquam meminit Hipp. in historiis suis vniuersalibus & particularibus, sed criticos omnes numerat à vigesimo, vigesimumquartum, vigesimum septimum, trigesimum quartum, trigesimum septimum, quadragesimum, sexagesimum, octogesimum, centesimum. Quibus frequenter crises contingere solent. Poterunt singula hæc particularibus historiis illustrari. Cherion, Philini vxor, Eurianactis filia vigesimo die iudicati sunt, Abderitana virgo vigesimoquarto, Anaxion trigesimoquarto. Clazomenius quadragesimo, vt & qui in Dealcis horto iacebat: Vxor Iphicratis quadragesimo die pauca biliosa vomuit, octogesimo perfecte iudicata est: sic & Cleanatides octogesimo riguit, multum sudauit, integre iudicatus est, Heropytus centesimo vigesimo perfecte iudicatur. Quid multis opus? Nullus vnquam (vt eleganter annotauit Galen. 2. de dieb. decretoriis) in epid. aut saluus euasisse, aut obiisse comperietur, in toto illo dierum ordine, qui est à decimo octauo & vigesimo primo, sed omnes illis diebus iudicati sunt, quia decimoseptimo & vigesimo ordinem sumunt. Statuatur ergo vigesimus dies princeps & radicalis decretorius, non vigesimus primus. Rationem affert Hippoc. in progn. quia septimanæ integræ supputandæ non sunt, vt neque dies, neque anni. Id vt clarius innotescat obseruatione dignum est, Tres esse circuituum ordines vniuersales, maximum, medium, minimum. Vigesimus minimus est, quadragesimus medius, centesimus maximus, Vigesimus quaternionibus constat, quadragesimus septenariis, centesimus vicenariis in se auctis & multiplicatis. Vigesimi quaterniones sunt sex. Quartus dies finis est primi & principium secundi, Tertium complet dies vndecimus & huius principium est octauus dies, Quartum, decimusquartus cum tertio coniunctus, Quintus cum quarto coniungitur & in decimumseptimum diem cadit, Sextus cum quinto copulatus in vigesimum diem cadit. Itaque vigesimus dies sex constat quaternariis, & tribus septimanis, ex quibus prima integra est, secunda cum tertia copulatur. Quod autem dies integri numerandi non sint, demonstrari potest ex logismo veterum Astrologorum, cuius mihi copiam fecit Doctissimus Medicus Franciscus Vertunianus ex Magni & Clarissimi Iosephi Scaligeri obseruationibus.

Vigesimus potius est criticus & cur?

Historia.

Ratio Hipp.

Mensis περιπάτου σελήνης sine horis appendicibus.

		Dies	Horæ
Iudicatorii &	1	3	9
indicatorii dies	2	6	18
	3	10	3
	4	13	12
	5	16	21
	6	20	6
	7	23	15
	8	27	0

Hippocrates, vt vulgus Astrologorum æqualium suorum putauit Lunam ad idem punctum Zodiaci, à quo primum profecta fuerat, redire viginti septem solidis diebus sine vllis appendicibus horarum.

Hæc ita intellige, vt primus dies criticus tres habeat integros dies & nouem horas quarti, secundus sex dies integros & 18. horas septimi, & ita de cæteris.

Mensis

Mensis Lunaris profectionis A Iosepho Scaligero obseruatus cum horis appendicibus.

	Dies	Hora	Appendices horarum I	II
1	3	9	57	33
2	6	19	55	46
3	10	5	53	40
4	13	15	51	33
5	17	1	49	26
6	20	11	47	20
7	23	21	45	13
8	27	7	43	7

De secundo ordine dierum, quos indices & contemplabiles vocant, ac primum de quarto die.

CAPVT XIII.

SEcundus criticorum dierum ordo eorum est, quos Hippoc. ἐπιδήλους καὶ θεωρήτας vocat, *Cur indices dicti?* nos indices & contemplabiles, Indices, quod perfectam crisin indicent, contemplabiles, quod eorum obseruatio ad crisewn præsentionem Medico sit necessaria. Si enim illis diebus salutaria signa, qualia sunt coctionis, appareant, salutaris crisis die principi & radicali sperari debet, sin lethalia, qualia sunt in vrinis hypostasis nigra, in deiectionibus, aquæ, spumantia, nigra, viridia, liuida, in sputis rotundum, spumans & viride sputum, lethalis crisis exspectanda. Dies hi, tres tantum numero sunt, quia tres tantum septenarii, quartus, vndecimus, septimus decimus. Quartus septimi index est, vndecimus decimiquarti, septimusdecimus vigesimi. Neque vero his iudicandi ius denegatur, decernunt enim aliquando, sed imperfectius, estque exigua eorum vis, properea indices, verius & magis proprie dici debent quam iudices. Cæterum vt in decretoriis principibus, suus est dignitatis ordo, ita & in indicibus. Septimus *Quarti diei dignitas in indicando.* primus erat δυνάμει καὶ ἀξιώματι, id est, viribus & dignitate. Quartus inter indices primas tenet, melius enim & perfectius septimum indicat quam vndecimus quartum decimum. De quarto hæc scripsit Hipp. aphor. 24. sect. 2. τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, id est, septenorum quartus est index. & aphor. 71. sect. 4. Quibus die septimo morbi iudicantur, iis vrina rubram die quarto nubeculam habet. Est ergo quartus dies, primo per se, & ex sui natura perpetuo index septimi. Illud per se docte interpretatur Gal. c. 11. lib. 1. de diebus decretoriis, si nihil rarum & magnum superuenerit, id est, si nihil externum, aut internũ contingat. Fieri enim potest ob externam aliquam causam, aut internam, vt quartus, septimum non indicet. Externarum causarum nomine quatuor complector, Ægrum, Medicum, Astantes & exteriora, quæ aphor. 1. paucis complexus est Hippoc. δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, id est, Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & adstantes & exteriora. Medicus peccat, ignorantia artis, audacia, timiditate. Itaque si septimo die catharticum exhibuerit, etiamsi quarto signa apparuerint coctionis, crisin perfectam impediet, Æger vel Medici mandatis non obsequitur, vel sibi indulget nimium, aut impatiens est. Adstantium, ministrorum quippe domesticorum & clinicarum mulierum errores sunt varii. Exteriorum nomine multa complectimur, aerem, cibos, potus, animi pathemata, &c. quæ fusius persequitur Gal. cap. iam citato & commentario ad aph. 1. sect. 1. Si itaque in his quatuor errores contingant, naturæ ordinarii motus impediuntur & circuituum ordo interturbatur, vnde fit vt quartus non primo & per se, sed ex euentu *Interna causa.* septimi non sit index. Iam vero internarum causarum occursu plerumque accidit, quartum septimi indicem non esse. Interna hæc causa duplex est, Morbi natura & ægrotantis temperies, constitutio, habitus. Morbus si extreme peracutus sit, impediet, quominus quartus septimum indicet, quia iudicabitur primo quaternario: si tardius moueatur, vndecimo, quartodecimo aut vigesimo die soluetur. Idem de ægrotantis natura statui potest: Iuuenis enim & biliosus celerius iudicabitur quam senex & pituitosus. Statuatur ergo quartus dies ex se & ex natura sua perpetuo index septimi, modo nihil magnum & rarum superueniat, id est, si neque Medicus quid peccauerit in victu instituendo, neque æger, aut ministrorum quisquam, *Quartus 6. index quomodo.* imo si neque extrinsecus vllus error commissus fuerit. Est & quandoque quartus dies sexti index, sed ex euentu, quia si quarto die praua appareant signa, septimum diem non attinget *Quartus dies decretorius est.* æger, sed sexto morietur. Noui etiam aliquid molitur dies quartus. Nam si primo & tertio die exacerbetur morbus, non secundo, quinto die accessio exspectanda erit, non quarto, quod si quarto die contingat, nouum aliquid & sinistrum minatur. Est etiam quartus dies inter decretorios collocandus: Iudicat enim morbos extreme peracutos, vt summi Hippocr. edicto confir-

confirmari potest, aphor. 2. sect. 3. progn. Febres, inquit, mitissimæ & signis securissimis firmatæ, quarto die desinunt aut prius, malignissimæ vero, & horrendis comitatæ symptomatis, quarto die aut prius occidunt. In epid. Pericles quarto die prorupto vniuersali sudore acutissima febre defunctus est, Caluus Larisseus femur dextrum doluit, 4. die circa meridiem mortuus est celerrime & acurissime. Verum raræ sunt quarti diei crises, sæpius enim in tertium aut quintum incidunt; quia acutorum morborum exacerbationes diebus fiunt imparibus: At iisdem apud Hippocr. iudicantur diebus morbi, quibus exacerbantur, propterea restatur Galen. se die quarto semel tantum crisin obseruasse, & Archigenem bis. Id autem intellige in biliosis morbis, quales esse solent acuti fere omnes; Nam sanguinei quia paribus mouentur, paribus etiam iudicantur.

De vndecimo die, qui index est decimiquarti.

CAP. XIV.

EStquoque vndecimus dies contemplabilis (ait diuinus senex aphor. 24. sect. 2.) αὕτη γὰρ τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος, ipse siquidem quartus est alterius septimanæ, Non tamen ita perfecte quartumdecimum indicat, vt quartus septimum: Vt enim dierum perfecte indicantium, vis sensim minuitur, ita & iudicantium. Huius rei hæc vera mihi videtur ratio. Quoniam si quarto die cœpit natura humorem morbificum coquere, poterit eum breui temporis interuallo totum domare & septimo excernere. At si vndecimo tantum coctionem incoanerit, debilior forrasse decimoquarto, non semper excernet, sed ad septimumdecimum aut vigesimum relegabit: Quod si ante vndecimum, septimo quippe, aut nono coctionis signa appareant quantumuis leuissima & vndecimo magis luceant, perfecta crisis quartodecimo exspectanda erit, modo Æger, Medicus, adstantes nihil peccauerint sintque externa rite comparata. Est etiam vndecimus dies decretorius multosque solet iudicare, nunc ad salutem, nunc ad mortem. Sect. 3. lib. 1. epidem. Melidia quæ iuxta Iunonis templum decumbebat, vndecimo die perfecte copioso superueniente sudore iudicata est. Æger secundus eiusdem sect. Silenus vndecima die mortuus est, vt & æger duodecimus Galen. cap. 17. 2. de diebus decretoriis, se vno Autumno omnes vndecimo indicatos obseruasse scribit.

Cur minuatur vis iudicantium dierum.

11 dies est etiam criticus.

De septimo decimo die, qui index est vigesimi.

CAP. XV.

TErtii septenarii index est decimus septimus, finis est quinti quaternarii & principium sexti. Archigenes & Diocles decimum octauum malunt indicem statuere, quia vigesimum primum perfecte decretorium & principem agnoscunt. Verum vt in historia vigesimi annotauimus, si decimus octauus criticus, & index statuatur, omnis crisimorum dierum ordo immutabitur. Proferam Galen. elegans argumentum, quod est à contrariis. Si dierum ordo à decimo septimo ad centesimum validior est. Ergo imbecillior erit ordo, qui à decimo octauo exsurgit, & contra: At constat ordinem dierum, qui à decimoseptimo manant, validiorem esse: Erit itaque decimusseptimus potius criticus quam octauus decimus. Hippoc. anctoritate & historiis particularibus id confirmari potest. Meminit in epid. decimiseptimi non octaui, plures vigesimo, quadragesimo, sexagesimo, octogesimo, centesimo, indicatos scribit, nullos autem quadragesimo secundo, sexagesimotertio, octogesimoquarto. Iudicabantur, inquit, multi circa vigesimum diem, alii circa quadragesimum, nonnulli circa octogesimum. Faciat ad huius rei illustrationem, quæ capite duodecimo huius libri annotauimus. Cæterum obseruatione dignum est septimum decimum, minus quidem perfecte iudicare, quam vndecimum & quartum, sed potentius multo decernere, vt ea ratione à Gal. & Medicis omnibus inter validiores crisimos numeretur. Heropitus decimoseptimo die iudicatur. Duo fratres qui ad Epigenis theatrum decumbebant decimoseptimo die sunt iudicati. Hip. 1. epid. postquam de decimoseptimo multa prodidit, tandem in hæc verba erumpit. Neque vnquam eorum, qui hoc modo ægrotassent, morbi recidiuam factam animaduerti.

Demonstratio Galen. de die 17.

De tertio ordine dierum, quos intercidentes & intercalares vocant.

CAP. XVI.

TErtius criticorum dierum ordo, eorum est, quos παρεμπιπτούσας ἡμέρας dicunt, id est, intercidentes, intercalares, interrepentes, quoniam inter principes decretorios & indices intercidunt, intercalantur. Vocantur à quibusdam Prouocatorii, quod naturam prorirent & ante tempus excernere cogant. Sunt autem in qualibet septimana intercidentes quidam. In prima, tertius & quintus. In secunda, nonus & tertiusdecimus. In tertia, decimusnonus.

Intercidentes cur dicti.

Cur decretorii sint?

Hi ea

Hi ea prærogatiua decernunt, quia impares sunt: At acuti morbi cum imparibus iudicari solent. Quæ porro diebus intercalaribus contingunt crises, fere omnes imperfectæ sunt, quia quicquid illis diebus aggreditur natura, id præter institutum molitur, eruptione prius facta quam oporteat: Irritatur quippe maligna humoris morbifici qualitate, vnde fit vt cruda & cocta simul excernat, & cum noxiis, laudabiles etiam humores pellat, hinc relapsus periculum. Nam licet vacuato humore noxio, videatur aliqua ex parte leuari natura, non habet tamen laudabilem succum quo recreari possit. Hoc eleganter expressit Hippocrat: libello περὶ χυμῶν, vbi relapsus tres caussas agnoscit, ἐὰν προεκρηγνύωνται, ἢ προεκκρίνωνται, ἢ ἐγκαταλείπωνται, id est, si prærumpant, aut prius excernantur, aut intus relinquantur. Quod relinquitur, aut humor est morbificus, aut qualitas morbosa, ἐμπύρευμα dicunt. Est autem προεκρήγνυσθαι ante tempus erumpere, dum natura ab aliqua caussa lacessita, aut irritata, in immaturam iudicationem erumpit. Caussa illa, aut externa est, aut interna. Externa multiplex, Medicus, æger, adstantes καὶ τὰ ἔξωθεν. Interna, morbus peracutus & malignus, paroxysmus & humores ita concitati, vt velut ebullientes erumpant ante coctionem; talis esse solet bilis temperamento calidissima & furens. Hæc dum naturam stimulant, eam ad excretionem quasi vltro impellunt, vnde cum cocto crudum simul excernitur, hinc recidiua, nulla enim in cruditate perfecta crisis spectari potest. Vt autem hæc iunioribus illustriora euadant, obseruandum est, Crises tribus modis contingere posse: Aut enim fiunt à natura sola vincente, quæ humorem morbificum sensim coquit, secernit, excernit. Tales in septenarios tres, 7. 14. 20. cadunt. Hos enim dies sibi elegit natura prærogatiua quadam occulta. Aut fiunt natura ita lacessita, vt ante diem, quem sibi ipsa ἀπαίδευτος, καὶ οὐ μαθοῦσα præfixerat, humorem non omnino coctum excernat: sic solent abortus contingere: sic ventriculus copia aut qualitatis mordentis acrimonia vellicatus, chylum nondum plane coctum excernere cogitur. In hac imperfecta & veluti abortiua crisi, naturæ, id est, facultati expultrici multum conceditur. At postremo fiunt crises à morbi solius ferocia & vehementia, Tales singulis diebus, etiam paribus contingere possunt, quia quolibet die moriuntur ægri.

Cur crises imperfectæ.

Quid sit ante tempus erumpere.

De tertio, quinto, nono, tertio decimo, nono, & decimo diebus intercidentibus.

CAP. XVII.

TErtius dies, primus est non modo intercidentium, sed etiam omnium imparium: Eo enim morbi extreme peracuti iudicantur. Hoc & in epidemiis & in prognostico docuit Hippoc. Nam quod in vulgari codice legitur, primum diem criticum esse, emendandum putauimus cap: 3. huius libri. Diem porro tertium ea tantum prærogatiua decernere volunt quidam, quia impar est, & eo die accessiones fiunt: At accessio ex internarum caussarum est numero, quæ naturam stimulant. Alii, quia ad quartum accedit proxime, adeo vt quod natura quarto die moliri conatur, id præripit tertius: Quod si tardior sit naturæ motus, quinto die exspectanda crisis: Libro 3. epid. Thasia mulier copioso sudore & mensium fluxu, tertio die à febre & grauissimis symptomatis liberatur.

Tertius dies cur criticus.

Quintus dies intercalaris est & prouocatorius. De eo multa Hippoc. in epid. Plures (inquit) quinto die iudicabantur, sed repetebat morbus. Æger septimus sect. 3. lib. 1. epid. Meton, quinto die iudicatus est, effluxit quippe è sinistra nare sanguis, & sudauit, sed imperfecta fuit crisis. Nam vt notat Hippocr. μετὰ δὲ κρίσιν ἄγρυπνος, παρέληρεν, οὖρα λεπτά, id est, post crisin vigil remansit, delirauit, vrinæ tenues apparuerunt. libro 3. epid. mulier anginosa, quæ apud Bitonem habitabat, & in Thaso Philistes die quinto interierunt.

Quintus dies.

Nonus dies intercidentium omnium est fortissimus: In medio enim septimi & vndecimi est collocatus, vnde fit vt vel crisin vndecimo die futuram præripiat, aut eam quæ septimo fieri debuit perficiat. Gal. inter decretorios secundi ordinis, nonum recenset. Itaque dissimilis videtur ratio intercidentium, & vere decernentium, ac indicum. Eorum qui perfecte iudicant, septenariorum scilicet, vires sensim minuuntur. Nam septimus dies præstantius decernit, quam decimus quartus, & hic quam vigesimus: Indicum quoque eadem est ratio: Quartus enim perfectius septimum indicat, quam vndecimus decimumquartum. De intercidentibus non ita statui potest, quia ex veterum omnium medicorum decretis, nonus dies, cum inter septimum & vndecimum sit situs, potentius decernit, quam aut tertius, aut quintus. Libro 1. epidem. Herophon 9. die iudicatus est. Dies decimustertius vt & decimus intercidentes sunt, sed omnium debilissimi & raro illis diebus contingunt crises. Est tamen validior decimustertius, & Galen. 1. de diebus decr. eum inter bene decernentes & non bene soluentes medium agnoscit.

Nonus dies.

Non eadem ratio vere iudicantium & intercidentium.

13. & 19. dies.

De diebus vacuis & Medicinalibus qui ſunt à primo ad vigeſimum: ac primum de ſexto.

CAP. XVIII.

HActenus dierum perfecte decernentium, iudicantium & intercedentium hiſtotiam ſatis accurate deſcripſiſſe videor. Nunc eorum qui interiecti ſunt, vt ſexti, octaui, decimi, duodecimi, decimioctaui, vires eadem methodo aperiendæ ſunt. Dies hos vacuos & medicinales appellauimus: Vacuos quidem, quod nec iudicent nec indicent, nec prouocent: Medicinales, quod illis catbartica exhibere poſſit Medicus. Decretorii etiam dici poſſunt, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed cum addito mali, nunquam enim perfecte & ſalutariter iudicant, ſed peſſime, infide, periculoſe, quoniam quæ illis diebus contingunt criſes à morbi malignitate fiunt, non à natura, aut vincente, aut irritata. Hi ſuos habent dignitatis, vel potius malitiæ gradus. Alii namq; frequenter decernunt, vt ſextus, Alii rarius, vt octauus & decimus, Alii rariſſime vt duodecimus & ſextusdecimus. Sextus dies omnium eſt peſſimus, crudelis, infidus, ſeptimo omnino contrarius, quem propterea Tyrannum vocat Galen. Nam ægros fere omnes ad exitium præcipitat, aut ſaltem in magnum vitæ diſcrimen adducit. In Coacis prænotionibus, Οἷσιν ἑξαίοισι ῥῖγεα γίνεται, δύσκριτον. Quibus ſexta die rigores fiunt, iis ægre morbus iudicatur. Sudores ſexto die manantes peſſimi. Icterus ſexto die lethalis. In epid. Dromeade vxor ſexto die riguit & interiit. Æger ſecundus ſect. 1. lib. 3. epid. Hermocrates ſexto die ictericus factus, vigeſimo ſeptimo moritur. Philiſcus ſexto die interiit. Gal. cap. 4. lib. 1. de diebus decretoriis, ſexti diei Tyrannidem his verbis expreſſit: Multos hic in Syncopem derepente coniecit, aut immodico ſanguinis profluuio exſtinxit, aut immoderatis vacuationibus, vel etiam catoche aut mania mulctauit, Alios vero in manifeſtam perniciem coniecit, icterum inuehens, parotidas ſuſpectas, rubras quippe & vertiginoſas excitans, & adhæc maraſmis inſanabilibus irretiens. Et quod demum mali genus ille dies non infert? Mihi quidem frequenter in mentem venit ſeptimi diei naturam Regi aſſimilare, Sexti vero Tyranno. Ille ſiquidem boni inſtar alicuius principis, proſpicit iis, qui à ſe iudicantur, vel ſupplicii malignitatem minuendo vel victoriam conferendo: At ſextum diem vel pernicie illius, quem indicandum cœpit, gaudere, vel eiuſdem ſalute dolere competies. Hæc Galen. Periculoſæ ergo lethales & infidæ ſunt ſexti diei criſes. Duos tantum reperias in epid. ſexto die ſalutariter & perfecte iudicatos, Lariſſeam, virginem & Heraclitem ſect. 3. lib. 3. epid. Lariſſea virgo viro matura, febre occupata καυσώδει cum ſænis ſymptomatis, die ſexto perfecte ad ſalutem iudicata eſt. Sed tanquam mirum id prædicat Gal. & cauſam ſalutaris criſeos, ad validum naturæ conatum refert, quæ triplicem in virgine vacuationem molita eſt, alteram per menſtruam purgationem, alteram per liberalem hæmorrhagiam è naribus, Tertiam per ſudorem toto fluentem corpore multum & calidum. Fuiſſe autem id rarum, ſatis indicant hæc Hip. verba. ταύτῃ οὐχ ὑπέστρεψεν ἀλλ' ἐκρίθη, id eſt, Huic non reuerſa eſt febris ſed iudicata eſt: At rara non ſunt artis. Quid ſi dicamus morbum fuiſſe ſanguineum? Erant enim οἱ πόνοι ἐν ἀρτίῃσι, id eſt, dolores diebus paribus? Obſeruarunt recentiores Medici ſextum diem in morbis ſanguineis magis eſſe iudicatorium quam ſeptimum, quia morbi iiſdem iudicantur diebus, quibus mouentur, mouetur autem ſanguis diebus paribus, vt docet Gal. li. 3. de criſibus. Heraclides autem ſexto die ictericus ab interitu vindicatur triplicis vacuationis beneficio, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, perirhœæ. Cæterum dum Gal. ſextum diem inſidioſum vocat, de bilioſis tantum qui imparibus exacerbantur diebus, non de ſanguineis morbis loquitur.

Vacui cur dicti & medicinales.

Quomodo ſint decretorii mali.

Sextus dies Tyrannus.

Hiſtoria eorum qui 6. interierunt.

6. diei malignitas.

Hiſtoria eorum qui 6. ſalutariter ſunt iudicati & cur.

Sextus dies in morbis ſanguineis criticus eſt.

De diebus octauo, decimo, duodecimo, decimoſexto, decimooctauo.

CAPVT XIX.

OCtauus dies ſexti naturam imitatur, eſt tamen minus periculoſus. Habet interdum quartum ſui indicem. Nam ſi quarto die praua appareant ſigna, & ſexto morbus non terminetur, in diem octauum cadet criſis. Decimus dies, eiuſdem fere eſt conſiderationis, Sect. 3. lib 6. epid. mulieri cuidam decimo die copioſus erupit ſudor. Libro 3. epidemion, In Thaſo Pithion decimo die interiit. Duodecimus numerum tantum addit diebus, neminem vnquam eo die iudicatum vidit Gale. Decimusquintus & ſextusdecimus nullius ſunt conſiderationis. Decimusoctauus apud Diocl. & Archigenem, iudex eſt 21. in Hippoc. & Gal. doctrina, nunquam inter decretorios numeratur.

Octauus.

Decimus.

Duodecimus.

15. & 16. Decimusoctauus.

De diebus criticis, qui ſunt à viceſimo ad centeſimum & viceſimum.

CAP. XX.

VIceſimus dies, acutorum morborum terminus eſt longiſſimus, acutorum intelligo, qui abſolute & ſimpliciter tales ſunt: Nam acuti ex decidentia ad quadrageſimum diem pro-

40. dies terminus omnium acutorū.

 rogan-

rogantur, de quibus intelligendus ille Hippoc. locus, qui Aphor. 24. sect, 1. prog. scriptus legitur. Bona & facilis spiratio magnam vim habet ad salutem in omnibus morbis acutis, qui cum febribus sunt, & in quadraginta diebus iudicantur. Sunt autem à vigesimo ad quadragesimum vere critici septeuarii tres, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, quadragesimus, perit enim post vigesimum quaternionum vis. Anaxion Abderites, constitutione 3. lib. 3. epid. 34. die sudauit, perfecte iudicatus est. Qui in Dealcis horto iacebat, quadragesimo die perfectam & salutarem habuit crisin. Idem contigit Clazomenio, cui cum humores pone aures vigesimo septimo die apparuissent, quadtagesimo tandem, morbi periculo defunctus est. Post quadragesimum, cessat septenariorum vis, tunc soli vicenarii sunt critici, sexagesimus, octogesimus, centesimus, centesimus & vigesimus. Empyicos quosdam sexagesimo iudicatos vidit Hip. sect. 3. lib. 1. epid. Cleonactides octogesimo perfecte iudicatus est: Epicratis autem vxor eodem die interiit, vt & mulier quædam in Thaso. Sect. 3. lib. 3. epid. Heropythus centesimo vicesimo perfecte & salutariter iudicatur, Parius in Thaso, centesimo vigesimo moritur. Post centesimum & vigesimum perit dictum vis, mensibus tunc & annis fieri crises dicuntur apbor. 28. sect. 3. Plurimi affectus puerulis iudicantur; nonnulli quidem in quadraginta diebus, alii in septem mensibus. Quidam in annis septem aphor. 7. sect. 5. Comitiales morbi quibus fiunt ante pubertatem, mutationem recipiunt: Quibus autem post vigesimum quintum annum fere commoriuntur. Apertius libello de semestri partu, Mulieribus (inquit) & fœtuum conceptus & abortus, & partus eo iudicantur modo, quo & morbus, & sanitas & mors, omnibus. ταῦτα δὲ πάντα τὰ μὲν καθ' ἡμέρας, τὰ δὲ κατὰ μῆνα ἐπισημαίνει, τὰ δὲ κατὰ τεσσαρακοντάδας, τὰ δὲ κατ' ἐνιαυτόν, id est, Hæc vero vniuersa, partim diebus, partim mensibus, partim dierum quadragenariis, partim vero anno iudicantur. Hæc vera est criticorum dierum historia.

Vicenarii omnes critici à 40. ad 100.

Post 100. diē mensibus & annis numerare oportet.

Finis libri secundi.



LIBER

LIBER TERTIVS, IN QVO CRITICORVM DIERVM CAVSÆ explicantur.

Criticorum dierum caussæ necessario statuendæ sunt.

CAPVT I.



CVTOS morbos, statis circuitibus & definitis temporibus, nunc paribus, nunc imparibus moueri, longo vsu & certa experientia iam à multis seculis est exploratum. Dierum non eandem esse vim, sed alios aliis potentius decernere, nemo nisi audax & demens negabit. Septenarios perfectissime iudicare, tum indices, postremo intercidentes luce meridiana est clarius. Naturæ certas esse leges nobis incognitas, quas ipsa inuiolatas & immutabiles seruat, nisi aut impedita, aut lacessita, omnium recte philosophantium consensu est approbatum. *Naturæ motus certi.* Sed horum effectuum causas assignare ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνει σύνεσιν, humani ingenii vires obscuris vallatas cancellis superat: Ita enim abditæ sunt, ita occultæ vt magnitudine suâ obstupescentem animum suspendant. Multa (inquit Lucretius) tegit sacro inuolucro natura. *Occulta in natura multa.* Est hoc imbecillitatis humanæ asylum. Hic hærent Philosophi, cæcutiunt Medici, stupet prophanum vulgus: non minus quam in Euripi angusti in Eubæa freti septies interdiu noctuque reflui motu, Oceani refluxu, Herculei lapidis ferrum ad sese trahentis viribus, Echenei pisciculi (Remoram vocant) nauem medio in mari impetu ventorum actam sistentis miraculo, Rhei bilem trahentis aut fugantis proprietatibus. Est tamen horum omnium physica & naturalis quædam causa. Causas si quis nullas esse profiteri audeat, is cum Heraclito innumeros incurrens absurdorum Labyrinthos, demonstrationem & scientiam omnem è rerum medio tollet. Qui certos & ordinarios effectus suis causis destituet, is fortunæ & casui omnia relinquet, quod vera ac solida nunquam patietur philosophia. Οὐδὲν (inquit admirandus Hipp. libro de aeribus locis & aquis) ἄνευ φύσεως γίνεται nihil in natura, sine natura, id est, caussa naturali fit. At certum est solos septenarios septimum, decimnm quartum, vigesimum perfecte decernere, solos quaternarios quartum, vndecimum, septimumdecimum secure indicare. Erit igitur eorum certa quædam & constans ratio. Eam veterum & neotericorum quam plurimi conati sunt explicare, sed tam variæ sunt, multiplices & inter se diffidentes eomm sententiæ, vt si quis eas omnes velut apud Censorem aliquem profiteri aut ordine recensere vellet, magnum & (vt poetæ loquuntur) improbum subiret laborem. Ego, licet hæc plus voluptatis quam vtilitatis Medico sint allatura, quæcunque grauiores tantum Philosophi Pythagorici, Arithmetici, Astrologi, Medici, de criticorum dierum caussis prodiderunt primum aperiam, Mox quid sentiam, paucis & breuius quam fieri poterit explicabo.

Prima opinio Pythagoræorum, qui ad numerorum vim omnia referunt.

CAP. II.

PYthagoram summum ætatis suæ philosophum tanquam diuinum & venerandum admiratur Plato, vnde olim Pythagorici σεβαστικοὶ dicti. *Pythagoræ auctoritas.* Eum apud suos tantum existimationis adeptum fuisse scribit Tullius, vt si quid affirmarent in disputando, quum ex eis quæreretur, Quare ita esset, respondere non vereréntur αὐτὸς ἔφα, hoc est, ipse dixit. Tantum eius opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Præclara quidem sunt Pythagoræorum mysteria, sed in his superstitiosa quam plurima, maxime vero quæ de numeris & eorundem viribus prodiderunt. Triplicem hi in rebus ordinem statuunt, specierum, figurarum & numerorum, sed numeros principatum obtinere volunt, *Triplex in rebus ordo.* Ab his enim omnia pendere, in his omnia consistere, Hos rerum omnium principia & elementa agnoscunt. *Numerorum vires.* Quin & numeros non solum inter efficientes causas, sed etiam inter substantias reponunt, Ens & vni-

ratem omnino confundunt. Sic autem ratiocinantur. Quemadmodum in numerorum materialium serie vnitas vnitati addita binarium constituit, eadem binario addita ternarium, & sic de cæteris: Ita vnitas substantia alteri addita binam efficit, adeo vt sicut vnitas numerum cui additur immutat, ita ipsa eadem, Ens cui adiungitur variat. Ex numeris porro alios pares, alios impares esse volunt. Pares fœminas, impares mares appellant. Illos imperfectos, diuiduos, infœcundos: Hos perfectos, indiuiduos, fœcundos: propterea que principii rationem obtinere putant, imparem numerum ἰσχυρότερον vocant, parem ἀσθενέστερον. Hac numerorum superstitione delusi quidam, existimarunt herbam πεντάφυλλον dictam, quinarii virtute venenis resistere, dæmonas fugare, & eius folium vnicum bis in die ex vino sumtum quotidianam febrem curare, folia tria tertianam, quatuor quartanam. Plato numerorum vim & dignitatem adeo extollit, vt neminem sine illis recte philosophari posse pronuntiet. Quærit diuinus ille philosophus, cur homo animal sit sapientissimum? Respondet, quia numerare nouit. Animam definit numerum seipsum mouentem. Sunt qui Aristotelem huius sectæ fautorem agnoscant. Is enim primo de cœlo, Ternarium numerum naturæ legem appellat, secundum quem naturalia omnia disponantur, atque propterea corporum tres dimensiones non plures esse putat; quod ternarius sit omnia, deducta demonstratione ex Pythagorica doctrina: Nullus in numeris ordo sine ternario, Arithmeticus namque Geometricus & Harmonicus ordo tribus absoluitur principio scilicet, medio & fine. Neque vero numerorum vim repudiauit admirandus Hippo. nam epistola quadam ad Thessalum filium hæc scribit. Ad numerorum scientiam multum studii adhibeto: numerorum enim ratio, & ad circuitus, & ad transmutationes febrium præter rationem fientes, καὶ τὰς κρίσιας τῶν νοσεόντων, id est, ad iudicia ægrotantium ac securitates in morbis sufficiens erit. Concludunt itaque Pythagorici, numeros iudicationibus præfici, & numerorum imperio omnia dispensari, moueri, gubernari. Septenarios vere decretorios esse, quaternarios vero eorundem indices, ideo tantum putant, quod septenarii maxima sit diuinitas & quaternarii dignitas pene incredibilis. De septenarii diuinitate multa alias annotauimus, quæ hic transscribere non lubet, eius tanta est maiestas, vt σεβασμὸν καὶ σεμνὸν, id est, sacrum & venerandum veteres appellarint, alii maioris & minoris mundi numerum. Quaternarium vero numerum perfectionis vocant Pythagorici, per quaternarium iurabant, quaternione constare, animam existimabant. Quatuor sunt in vniverso elementa, quatuor in sanguineis animalibus humores, quatuor nutrici famulantes facultates, quatuor tantum causarum genera, quatuor anni tempestates, &c. quæ curiosus quis perscrutari poterit. Ob septenarii ergo & quaternarii dignitatem, septenarios & quaternarios criticos esse volunt, Sic septimestres partus vitales esse ob solius numeri vim contendunt. Impares vero dies potius criticos esse quam pares, ex eo colligunt, quod impar sit velut masculus & ad agendum promtior, itaque humoribus calidis & agentibus magis conuenit quam patientibus; Agere autem magis biliosum humorem, substantia tenuissimum, temperamento calidissimum, qualitate acerrimum, ex ipsius elementi natura manifestum euadit: At acuti fere omnes à bile fiunt. In diuturnis morbis quorum materia contumax est, frigida & crassa, ad patiendum magis nata, crises diebus paribus contingunt, quia pares fœminei sunt & ad patiendum nati. Hanc fuisse summi Hippocr. sententiam contendunt Docti quidam. Quid enim (inquiunt) aliud sonant hæc toties ab Hippoc. decantata verba libello περὶ ἀρχῶν. ὁ δὲ αἰὼν τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπταήμερος, id est, vita hominis dispensatur septenario aphoris. quinquagesimo nono sect. 4 Tertiana exacta, κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι τὸ μακρότατον septem circuitibus quod longissimum est iudicatur. Aphor. 36. eiusdem sect. sudores septimo die manantes boni. Aphor. 127. Coacarum progn. Icterus ante septimum diem insidiosus, aphoris. 23. sect. 2. Acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur. Aph. 61. sect. 4. febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, relapsus periculum subest. Vnicam ergo criticorum dierum caussam agnoscunt Pythagorici, numerorum scilicet dignitatem & vim.

Numeri pares impares.

Plato numeros celebrauit.

Aristoteles quid de numeris senseriat.

Hipp. numerorum vim non reiicit.

Cur septenarii & quaternarii sunt critici.

Septenarii diuinitas.

Quaternarii dignitas.

Cur impares potius critici

Conuellitur opinio Pythagoræorum & demonstratur numeris agendi vim nullam inesse.

CAP. III.

PRæclara sunt (fateor) Pythagoræorum hæc de numerorum miraculis & viribus placita, sed si philosophica trutina & Medica statera ponderetur, erroris plena omninoque superstitiosa æquus veritatis æstimator iudicabit. Vt enim singula sigillatim excutiam; Numeris nullam agendi vim concedimus, Nullum hi in naturam habent imperium. Non sunt substantiæ, sed περὶ τὴν τῆς ποσότητος κατηγορίαν, ad quantitatis eiusque discretæ categoriam referuntur: At quantitas apud Philosophos nullam agendi vim habet, Tribuitur omnis actio qualitati. Aristoteles duodecimo metaphysices capitibus penultimo & vltimo arguit Pythagoræos, qui numeros substantias separatas & entium caussas esse volebant. Galen. cap. 8. lib. 3. de diebus

Numeris nulla inest vis agendi & cur.

diebus decretoriis. Omnia (inquit) quæ de numerorum viribus Arithmetici nugantur, tam facile absurda esse deprehenduntur, vt mirari mihi sæpe subeat, an sic Pythagoras ille simul & prudens fuerit, & simul numeros tanta posse existimauerit. Non posse autem ad numeros criticorum dierum causam referri, ita philosophatur Galen. eodem cap. Si numerus per se vim haberet decernendi, acuti morbi διὰ περιττῶν, id est, semper diebus imparibus iudicarentur nunquam paribus: At sæpe paribus iudicantur: Non ergo quia omnis par numerus fœmina est, impar vero masculus, acutorum crises in imparibus fieri pronuntiandum. Est & alia Galen. demonstratio. Crisis motus est (definitur enim μεταβολὴ ὀξύῤῥοπος mutatio subita ad salutem aut ad mortem) At mutationes non à numeris fiunt, accidit quidem certis numeris, aut innumeris dierum interuallis mutatio; quia motus omnis tempore perficitur, definitur autem tempus ἀριθμὸς τῆς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον; id est, numerus motus secundum prius, & posterius, Aristoteli quarto Physicor. Sed numerus quatenus numerus, nec agit in naturalia corpora, nec ea immutat. Plinius lib. septimo naturalis historiæ cap. 40. contra numerorum vanitatem ita exclamat: Heu vana & imprudens diligentia, numerus dierum computatur, vbi quæritur pondus, alius de alio iudicat dies, & tamen supremus de omnibus, ideoque nullis credendum est. Quid quod bona malis paria non sunt etiam pari numero? Mitto sapientis cuiusdam dictum, Numerorum per se nullam esse dignitatem. Quisque enim numerum, quem amat, celebrare solet. Sic de Senario mira prædicant quidam, eum γάμον καὶ τέλειον vocant; nuptiis eum accommodant & omnis generationis principium agnoscunt, quem tamen medici Tyrannum insidiosum & infidum vocant. Quod si serio philosophandum sit nobis, quomodo in hominis naturam imperium aliquod habebit numerus, cum numerus per se nihil sit, & si metaphysicis credendum, non sit ens reale; sed intellectus tantum. Non esse ens per se ita demonstrari potest. Quod est multa simpliciter, non est vnum simpliciter, & proinde nec vnum ens per se: At numerus est multa simpliciter, vt docet Aristo. cap. 7. lib. 3. Phys. vbi ait, Numerum esse vna plura, & decimo Metaphys. numerum vult esse multa vna. Quin etiam, ex duobus nunquam fit vnum per se, nisi illa inter se vniantur vnitate continuitatis vel intentionis, aut alterum sit forma alterius: At vnitates ex quibus constat numerus, neque vniuntur inter sese in aliquod vnum continuum, neque vna vnitas forma est aliarum: Non erit igitur ens per se. Adde quod si ex substantiarum vnitatibus non fit vnum per se, quomodo ex vnitatibus quantitatum fiet? Neque vero ens reale dici debet numerus: Numerus. n. quatenus numerus, constat ex vnitatibus, omnis vnitas quædam est indiuisio, omnis indiuisio negatio est seu priuatio; Constat ergo numerus negationibus: At negationes sunt non entia: Quod si obiiciat quis numerum à sensibus percipi, & ab Aristotele secundo de Anima inter obiecta communia reponi, propterea ens esse reale (liceat vocabulis vti scholasticis, quia ἐμφαντικωτέρως rem exprimunt.) Respondebimus ex eodem Philosopho numerum ex continui solius negatione percipi: Sic tenebræ, cæcitas & priuationes fere omnes à sensibus percipiuntur, non sunt tamen vera entia. Quod autem numerus non sit ens reale docet multis in locis Aristoteles. In prædicamentis scribit in partibus numeri esse ordinem, id autem fieri non potest, nisi quatenus ab intellectu percipitur: Octauo Metaphysices: Numerus inquit vnum non est, sed velut cumulus; aut si sit dicendum quidnam illud sit quod ipsi vnum efficit vnum ex multis, ac si diceret: Nisi detur in numero vltima vnitas, quæ sit velut forma præcedentium; non fiet numerus vnum quid; id autem non fit nisi intellectu & satis imperfecte; hoc est, non ratione compositionis, sed solius ordinis, qui mente colligitur. Tertio Physic. numerus est vna plura, quantum quædam. Est ergo numerus ens intellectus; non ens reale; non causa efficiens; non substantia, vt volunt Pythagorici, proptereaque nulla inest numeris agendi vis. Plato numeris multum tribuit, sed verisimile est (vt plerique sentiunt) eum non de materiali & vocali numero, sed de rationali & formali loquutum; & per numeros ipsas rerum naturalium formas substantiales intellexisse. Aristoteles dum libris de Cœlo ternarium naturæ legem dicit, non agnoscit eum numerum tanquam agentem caussam; sed (vt docti omnes interpretantur) legem ex causa manantem, aut caussæ iunctam cuius exemplo naturalia disponantur. Sunt enim mouentes omnes caussæ, certo præditæ numero; cuius ratione tanquam exemplari aliquo dispensantur, mouentur, gubernantur. Numerus ergo nihil agit, sed ratio numeri nobis incognita mira præstat. Septenarius quatenus numerus est, nullum efficiendi vim habet, sed eum sibi elegit numerum pro deliciis natura; eo mirum in modum oblectatur & gaudet, vnde fit vt septimo quoq; die; mense & anno maximæ contingant mutationes. Cur autem eum numerum elegerit natura; pollicetur Hippoc. se aliquando demonstraturum, Nam ad finem libelli περὶ αἰῶνος hæc scribit, τῆς δὲ φύσεως τὴν ἀνάγκην, διότι ἐν ἑπτὰ τουτέων ἕκαστα διοικέεται, ἐγὼ φράσω ἐν ἄλλοισιν, id est, Quamobrem autem & qua naturæ necessitate per septenariorum rationem singula hæc dispensentur, alio loco aperiam, sed nunquam id præstat. Dicamus nos cum Theologis, Deum diei septimo benedixisse, eum filiis Israel tanquam celebratissimum commendasse, die septimo quieuisse ab operibus suis: vnde vulga-

Galeni demonstratio contra Pythagoricos.

2. Ratio.

Plinius contra numerorum vanitatem.

Dictum sapientis contra numeros.

Numerus nõ est ens per se.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Numerus non est ens reale.

Obiectio.

Solutio.

Auctoritates Aristotelis.

Platonis sententia explicatur.

Aristotelis locus de ternario explicatur.

Cur septimum numerum elegit natura.

vulgatum illud. *Numero Deus impari gaudet.* Et antiquissimus ille vates Orpheus de septenario hæc cecinit:

> Ἑβδόμην φίλησεν ἑκάεργος Ἀπόλλων,
> *Ecce sagittifero pergrata est septima Phœbo.*

Natura itaq; (quam ordinariam Dei potestatem, etiam mirus prædicat Hip. lib. de aëribus, locis & aquis) numerum eum tanquam perfectissimum elegit, adeo vt conceptus, conformatio, motus, partus, vita, crises septenariis dispensentur, natura agente, non numero.

Altera opinio eorum, qui criticorum dierum causam ad Arithmeticam rationem referunt, eiusdemque confutatio.

CAP. IV.

Opinio Ferrerii. Hypotheses. Prima.

SVnt ex Medicis docti quidam, qui criticorum dierum causam ad Arithmeticam compositionem referre conati sunt: Eorum hæc sunt præcipua fundamenta, hæ hypotheses: Morbi acuti ad impares tendunt dierum numeros, & eos maxime, qui totius naturam induunt: Impares autem numeri qui totius naturam induunt, sunt septenarius & nouenarius. Nam cum numeri omnes denario claudantur, fit vt impares omnes qui denario continentur, vel ternarium, vel quinarium, vel septenarium, vel nouenarium componant; At ternarius & quinarius nouenarii partes sunt: Supersunt ergo duo tantum, septenarius & nouenarius, ipsi nullos alios componentes. Acuti itaque morbi septenariis & nouenariis iudicabuntur: Partes porro numerorum de proximis suis totis indicant, sic Architectus ex fundamentis parietes, ex parietibus tecta colligit: Fit itaque vt tertius de quinto indicet & quintus de nono, Quartus autem de Octauo non indicabit in acutis, quia acuti imparibus exacerbantur diebus, sed de septimo tantum, quia septenarii partes, in quas proxime resoluitur, sunt quatuor & tria, sed quaternarius propinquior est. Finita prima decade alteram rursum incipe, vel alterum quaternarium, senarium, octogenarium; Ita vndecimus criticus erit, quia quartus est à septimo decimusquartus omnium decernentium validissimus & perfectissimus, quia ab vtroque numero vim accipit. Est enim septenarius à septimo & à nouenario quintus, decimusoctauus criticus erit potius quam decimusseptimus, quia nonus est à nouenario, vigesimus primus etiam potius quam vigesimus de morbis discernit, quia septimus est à quartodecimo. Hæc criseωn in morbis acutis est ratio.

Morbi longi parib. diebus cur indicantur.

Morbi longi diebus monentur paribus, iis præsertim qui totius naturam induunt: Sunt autem pares denario conclusi, quartus, sextus, octauus, decimus, de quibus indicabunt suæ partes, de octauo quartus, de decimo quintus, de sexto tertius, de quarto secundus. Ita philosophatur Augerius Ferrerius Medicus & Philosophus eximius. Sed quoniam noua hæc crisimorum dierum ratio, Hippocraticæ & veræ doctrinæ splendorem obscurat, omnemq; decernentium dierum κόσμον inuertit, eam in Lyceo Medico non admittimus.

Conuellitur hæc opinio.

Nam nec tertius, nec quintus apud Hipp. vere sunt indices, sed intercalares tantum, nec quartus decimus omnium decernentium est validissimus. Septimum enim inter decretorios primum appellat Gal. δυνάμει καὶ ἀξιώματι, id est, viribus & dignitate. Nec octauumdecimum septimodecimo præferendum putamus, nec vigesimum primum vigesimo, vt iste contendit, ita enim vigesimus septimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus, non essent critici, quos tamen frequenter & perfecte decernere lib. 2. demonstrauimus & historiis quam plurimis illustrauimus. Valeat ergo Arithmetica hæc criticorum dierum demonstratio, maxime vero cum aliquam vim efficiendi tribuat numeris, qui cum sint quantitates & entia imperfecta, nihil quicquam agere apti natique sunt.

Opinio Astrologorum, qui caussam salutaris & lethalis criseos referunt ad beneficos & maleficos Planetas.

CAP. V.

ASttologi (qui vulgo iudiciarii dicuntur) & Genethliaci fere omnes, non criseωn modo, sed etiam euentuum omnium & humanarum actionum caussam, ad varios syderum aspectus, influxus coniunctiones referunt.

Ægyptiorum opinio.

Primi omnium Ægyptii & Chaldæi Planetarum duo statuebant genera, Alios temperatos & salutares, εὐκρατεῖς & ἀγαθοποιούς; appellabant; Alios intemperatos maleficos, horribiles δυσκρατεῖς καὶ κακοποιούς. Illos vulgus Astrologorum bonas fortunas vocat, quales sunt Iupiter, Sol, Venus; Mercurius: Hos malas fortunas, quales sunt Saturnus & Mars: si cum illis coniungatur Luna, fausti erunt & felices dies, si cum his infausti & lethales.

Abrahami Auenesre auctoritas.

Abrahamus Auenesre septem vult esse mundi gubernatores, qui per cœlos tanquam instrumenta oberrantes, coaceruatis stellarum omnium influentiis, eas in hæc inferiora distribuunt: Eos reuera Medicos dici debere putat, quoniam ex iis sanitas aut mors. Mercurius ille ter maximus libello de decubitu infirmorum vim quandam inesse astris malefi-

cam,

cam, quæ imperfectæ & lethalis criseωs caussa sit, apertissimis verbis declarat. Medicus inquit, ægri decubitum explorare debet; Quod si horam, qua ægrotare cœpit, exquisite deprehendere nequeat, spectare debet, quomodo cœlum affectum sit, & ad quam stellarum luna rationem habeat oppositam scilicet, vel quadratam; Cum maleficis enim si conformetur noxium morbum facit, cum beneficis salutarem. *Mercur. tris megistus.* Ptolomæus primo quadripartiti: Erraticarum, ait, stellarum atque fixarum circumuolutio calores, ventos, niues in ambiente aere efficit. Idem centum sententiarum, cap. 6. Super ægrotis criticos dies inspice ac lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterum; Vbi enim eos angulos bene affectos inueneris, bene erit languenti, contra male si afflictos inueneris. Sexdecim porro angulorum, quidam sunt pleni, qui respondent diebus criticis radicalibus, & sunt quartus, octauus, duodecimus, sextus decimus; Quidam semipleni qui respondent indicibus, & sunt secundus, sextus, decimus, quartusdecimus: Alii semidiuidiati, qui respondent intercidentibus, & sunt tertius, septimus, vndecimus, quintusdecimus: Alii sunt vacui, vt primus, quintus, nonus, tertiusdecimus. Tanta fuit quorundam Astrologorum vanitas & superstitio, vt singulis planetis peculiares morbos designarint, Saturno quidem, quartanas febres, lepram, scirrhum, cancrum, strumas, maligna vlcera, incubum, melancholiam, hepatis & lienis obstructiones, hæmorrhoides, varices, herniam, vteri præfocationem, Ioui cephalalgiam sanguineam, synochos, ephemeras febres, anginas, pleuritides, peripneumonias, phlegmones, apoplexiam. Marti tertianas febres, Hemitriteos, phrenitidem, maniam, hæmorrhagiam, choleram morbum, icterum, dysenteriam, erysipelata, exanthemata, herpetes, carbunculos. Soli febrem continuam, cordis palpitationem. Veneri œdemata, priapismum, satyriasin, gonorrhœam, imaginariam venerem, insaniam ex amore, morbum gallicum. Mercurio, vertiginem, tusses siccas, linguæ vitia. Lunæ epilepsiam, arthritidem, hydrope, Paralysin, Lethargum, coma, caron, catarrhum: Hoc idem voluit Hermes ille trismegistus. Qui, inquit, sub Saturno & Mercurio decumbunt, tardi sunt & ad mouendos artus imbelles, frigidum sentiunt, lucem auersantur, crebra ducunt suspiria, meticulosi sunt, vox illis acuta & exilis, paruus pulsus, respiratio minutula. Qui sub Marte & Sole decumbunt iracundi sunt, siticulosi, facies saturato rubore suffusa est, inordinati & inæquales pulsus, lingua aspera, oculos huc illuc voluunt cum δυσφορίᾳ & anxitudine pene incredibili. Neque vero planetis tantum, sed etiam singulis Zodiaci signis peculiares morbos assignant Astrologi. Arietis apud eos morbi sunt, epilepsia, aurium, narium, oculorum, dentium, oris dolores, scabies, impetigo, pustulæ: Tauri, omnes colli & gutturis affectus, angina, scrophulæ Geminorum morbi ex sanguine fiunt in manibus, brachiis & humeris. Cancri, pruritus, lepra, depilatio. Leonis, qui in corde & diaphragmate. Virginis qui in testibus & abdomine, atque ita de cæteris: E cœlo igitur dierum & horarum felicitatem ac infelicitatem deriuant Astrologi & Genethliaci, cœlo & Astris maleficam vim tribuunt: Superstitiosam hanc vanitatis plenam opinionem, Medici quidam iudiciarii sequuti sunt, crises salutaris, aut insidiosæ caussam ad benignum aut maleficum syderum aspectum referentes. Itaque simul atque decumbere cœpit æger, planetarum influxus & quomodo affecta sint sydera intuentur. Ad huius falsi dogmatis confirmationem possumus grauissimorum Medicorum & Philosophorum, Hippocrat. scilicet, Platonis, Aristotelis, Gale. & aliorum auctoritates proferre; Hippoc. lib. de aeribus, locis & aquis hæc scriptis mandauit: Medicum astrorum exortus considerare oportet, præcipue vero arcturi & Pleiadum occasum; Morbi enim in his maxime diebus perimunt homines: Sed & periculosissima sunt ambo solstitia, periculosum & æquinoctium vtrumque; Itaque neque illis temporibus cathartica exhibere, neque vrere, neque secare oportet, priusquam præterea ent dies decem aut plures. Secundo libr. de Diæta: Astrorum ortus, eorundem occasus agnoscere Medicum oportet, vt inde mutationes totius mundi, ex quibus morbi hominibus oriuntur obseruet, & libello περὶ ἀρχῶν: De rebus sublimibus in cœlo non est institutum dicere, nisi quarenus ex iis sanitas & morbus, ex iis bonum & malum, ex iis vita & mors. Videtur itaque Hippoc. cœlo & astris maleficam vim & quasi necessi-afem tribuere. Nam primo de Diæta, omnia inquit eueniunt per cœlestem ac diuinam necessitatem & quæ volunt, & quæ nolunt, libr. de natura hominis ab eadem necessitate omnia contingunt. Hinc illud θεῖον in morbis lib. de aerib. locis & aquis & 1. progn. Hanc admirandi Hipp. sententiam sequutus videtur diuinus Plato cum plerisque in locis, tum vel maxime in Timæo: Suadet enim vt diligenter inspiciamus, quid ex vario astrorum occursu, circuitu, aspectu cuique nostrum eueniuum sit. Astra namque alia frigus, alia calorem inducunt, & cuilibet animanti peculiare subest in cœlo astrum. Aristoteles libro de Cœlo, de ortu & interitu, de generatione animal. & meteor. Omnia hæc inferiora a superioribus pendere, esseque superiora inferioribus contigua apertissimis verbis declarat. Quin & primo politicorum Thaletem Milesium ex Astrorum obseruatione oleæ caritatem prænuntiasse scribit. Plinius cœlo & Astris maleficam vim tribuit, & quod commemorabile est, minimum animal formicam, siderum vim sentire. Marsilius Ficinus in qualibet stella dæmonem statuit.

Ptolomæus.

Morbi peculiares planetarum. *Saturni.* *Iouis.* *Martis.* *Solis.* *Venerис.* *Lunæ.* *Mercurii de morbis planetarum opinio.* *Singulorum Zodiaci signorum morbi.*

F Ad

Ad siderum ergo infelicitatem criseos lethalis caussam referunt Astrologi iudiciarii, & prout cœlestia illa corpora feliciter vel infeliciter affecta sunt, ita & nos & actiones nostras aut damno aut commodo afficere volunt, ex eorum aspectu triquetro (vt aiunt) quadrato, sexoli, opposito, futura omnia prædici posse pertinaciter astruunt diem & horam cum suis minutis, qua æger laborare cœpit obseruant, erectaque eo momento figura cœli, æquatis quatuor cardinibus & positis suo loco planetis, locorum apheticorum conditionem speculantur, dominique adscendentis & significatoris morbi situm & constitutionem, sumtoque inde iudicio ægritudinem lethalem aut salutarem, diuturnam aut breuem vaticinantur. Quæ an vera sint, ad Lydium (vt aiunt) lapidem & veritatis libellam nunc reuocare placet.

Conuellitur hæc Astrologorum opinio, & demonstratur cœlo atque Astris nullam inesse vim maleficam; nec diuinatrici Astrologiæ credendum.

CAP. VI.

Præclarum Catonis dictum. QVod olim de Aruspicibus Cato, id ego de iudiciariis & diuinatoribus Medicis dicere possum. Mirabatur ille, quod non rideret Aruspex, Aruspicem cum vidisset. Quota enim quæque res euenit prædicta ab his? aut si euenit quippiam, quid effetri potest cur non casu id contigerit? Non minor est diuinatricis Astrologiæ quam Aruspicinæ vanitas. Quam multa (inquit Tullius 2. de Diuinatione) ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, vt mihi permirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & euentis refelli. Diuinatricem eam Astrologiam Philosophi omnes, Pythagoras, Democritus, Plato, Panætius Stoicus, Archelaus, Aristoteles & neglexerunt & repudiarunt: vana enim sunt, ridicula & debilissima eius artis fundamenta. Ex astrorum quippe aspectu, humanæ vitæ casus & crises omnes præuideri posse impudentissime iactitant, propterea que natalitia cuiusque astra obseruanda esse medico: Quin & astra necessario in nos agere contendunt, eorumque alia benefica, alia malefica esse volunt, quæ singula absurdissima esse, ne dum veritatis pallio velata ratione & sensu (certissimis rerum omnium κριτηρίοις) demonstrare aggrediar. Atque vt sigillatim singula persequar, Quomodo ex stellarum aspectu morbi euentus & humanæ vitæ casus præuideri possunt, cum incognitæ sint astrorum omnium vires? stellarum quippe infinitus est numerus & magnitudo pene incredibilis.

Ratio I. An non pet stellarum incognitarum influxum, aliarum, quæ cognitæ sunt, effectus, aut impediri, aut variari poterunt? vana igitur & incerta erit prædictio. Scio quid respondeant Astrologi, se longa annorum obseruatione rerum statos & definitos euentus millies comprobasse.

Responsum Astrologorũ Sed an ignorant, quod naturæ genius Aristoteles prodidit, motus celi esse incommensurabiles, eandemque cœli faciem, eundem stellarum positum sæpe euenire oon posse, vt vix liceat homini semel in vita eandem cœli totius faciem intueri? Iam vero natalitia cuiusque astra obseruare qui prodest, eum in conceptu potius & conformatione partium beneficam aut maleficam vim, si quam habeant, impertiantur planetæ? plusenim in conceptu quam in partu ponderis esse fatetur Ptolomæus: At quis horam conceptus & conformationis explorare poterit? Solus (ait Galen. libello an omnes particulæ simul fiant) qui fœtum plasmauit nouit creator: Potest ne eo momento, quo decumbere incipit æger, siderum omnium aspectus, influxus, conuersiones obseruare medicus (cum & densissimæ sæpe obseruentur nubes) & ita rapidus sit stellarum motus, vt constellatio prius transuolet, quam à nobis deprehendi queat?

Secunda.

Tertia.

Quarta. Sed demus, stellarũ omnium vires illis esse cognitas, & primam decubitus horam, imò & momentum, poterit ne ex eo aspectu crisis totusq; morbi euentus præsentiri? Cœlum apud Philosophos vniuersalis est caussa, cuius vis licet infinita sit, per particulares tamẽ caussas & elementares determinatur. Sol nunquam sine homine hominem generat, requiritur ad effectuum productionem agens particulare, & certa quædam materiæ dispositio, quæ vniuersalis illius agentis vires immutat, euertit, alterat. Non ergo ad criseon præsensionem astra tantum spectare debet. Medicus, sed peculiares caussas, ægrotantis quippe naturam, temperiem, morbi ideam, magnitudinem, mores & motus. Sic nauium periti gubernatores, non ex Ioue, Saturno aut Marte imminentes tempestates præuident, sed ex aere, ventis, nubibus, sic rustici & agricolæ non à stellis, sed ab aere aeris dispositiones agnoscunt. Vt ergo aerem illi ex aere: ita Medici ægri salutem & perniciem ex ægro, id est, iis quæ in ægrotante apparent, non ex cœlo & astris præuidere debent.

Quinta. Præterea si varius ille stellarum influxus & aspectus sola statuatur criseon & criticorum dierum caussa: Ergo qui sub eodem aspectu & eadem hora decumbent, eodem omnes modo iudicabuntur: At obseruatum est eodem momento ægrotasse quam plurimos, eorum tamen alios intereiisse, alios superstites euasisse. Quam multi (inquit Phauorinus apud Gell.) omnis ætatis, sexus, sub diuersis stellarum motibus nati, eadem in naui fluctu obruti eodem genere mortis eodemque ictu temporis interierunt: Quod sane nunquam

euene-

euenerit, si momenta nascendi singulis attributa, suas vnum quodque leges haberent. Quid? *Sexta.* an non gemellorum conceptus, conformatio, partus, eadem hora, & sub eodem aspectu perficiuntur? At dissimiles eorum mores, affectus, casus sæpe obseruamus. Proclus & Eurifthenes Reges Lacedæmoniorum, fratres fuerunt gemini, eorum tamen & exitus vitæ dissimilis, & rerum gestarum gloria dispar fuit. Vana igitur & incerta ad morborum prognosin ea stellarum contemplatio. Impium vero & Christiano indignum, quod diuinatrix hæc Astrologia contendit, agere in nos cœlestia corpora necessario, Sapiens enim (vt sacræ testantur paginæ) dominabitur astris, & etiam demonstrauimus, vniuersalis caussa non agit, nisi pro dispositione particularis. Proferam Bardezanes Syri, non inelegans contra istos stellarum influxus & necessitatem argumentum. Apud Seras (ait) lex est prohibens occidere, fornicari & adorare simulacra, vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo homicida, nec voluntatem alicuius illorum ardentissima stella Martis in medio cœli constituta ad cædem hominis coegit, nec Venus Marti coniuncta vt alienam quispiam sollicitaret vxorem potuit efficere; At qui singulis etiam apud eos diebus, in medium cœli, Martem peruenire necesse est, & in tanta regione singulis horis nasci homines non esse negandum. Itaque nec natalitia sidera, nolentes Seras ad homicidium compellunt, aut Brachmanas ad esum carnium; Nec Persas à sceleratis nuptiis remouent, nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere, nec Parthos multas ducere vxores: Singulæ namque gentes vt volunt & quando volunt libertate sua vtuntur, legibus moribusque obedientes. Socrates sapientia clarus, sed illud quicquid esset, non natalitiis sideribus, sed assistenti numini acceptum referebat. Isocrates, cum ei filium exhiberet quidam, & quæreret quid ei necessarium arbitraretur, δεῖ ἐφηχαζει διου καὶ νῦ, id est, penna opus esse (Respondit) & mente. Nullam ergo necessitatem habent astra, ne agunt in nos, nisi vt caussæ vniuersales. Quod vero Astra quædam benefica, quædam malefica esse volunt, & commentitium id credimus, & erroris ac vanitatis plenum. Nunquam à cœlo, sed à materia elementari cum vitio proprio, nunquam inferiorum corporum tumultus à cœlo sunt, sed à materiæ motibus inordinatis, cœlestis harmoniæ legibus non obsequentibus. Quæcunque in sublunari regione contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera sint, quam benigni cœli. In cœlesti illa harmonia, quæ ex luminum omnium conspiratione resultat, omnia perpetuo consonant, per eam nihil in sublunari mundo vnquam dissonat: quod si asperum & discors quidpiam audiatur, id ad cœli tactum referri non debet, sed ad quatuor istas sublunaris cytharæ chordas, Qui cœlo maleficam vim tribuit, qui stellis morborum causas assignat, non minus reprehensione dignus est, quam qui naturam corpus nostrum dispensantem morborum causam agnoscit: At hæc ipsa morborum est medicatrix Hipp. in epid. Furor est benignam cœli virtutem maleficii accusare, Non fiunt (ait Philosophus, monstra, facultatis informantis errore, sed materiæ solius, quæ qualitate aut quantitate peccat vitio, cur ergo cœlo virtutem seminis facultate nobiliorem & diuiniorem damnabimus? Ceterum quas illi planetis elementares qualitates assignant, vt hic frigidus sit, ille calidus, hic siccus, ille humidus, si non actu, saltem effectu, eas non agnoscimus. Vt enim astra omnia lucida sunt, ita omnia calefacere necesse est, lux quippe omnis apud Philosophos calefacit: At siderum omnium vna est eademque lucis origo. Sic in plenilunio noctes sunt calidiores, quia lumen amplissimum. Hoc cum viderent Astrologi, ad influentias recurrere, & in stellis præter lumen, influentiam agnoscere coacti fuerunt, sic Saturnum per lucem calefacere quidem, sed per influentiam refrigerare volunt: ita duplicem in qualibet stella facultatem inesse putant, Alteram communem, quæ est vis illuminandi & calefaciendi; Alteram propriam, quæ est ab influentia, vt in Saturno refrigerandi. Quæ quam sint absona quis non videt? Non sunt in vno eodemque subiecto duæ facultates contrariæ. In heterogeneis corporibus diuersæ nonnunquam facultates comperiuntur, sed in homogeneis nunquam: At astra vnius sunt naturæ & simplicissima corpora benigna & prospera omnia, nunquam per se malefica. Si enim (vt notat Gellius ex Phauorino) morris hominum rerumque humanarum omnium tempus, ratio & caussa in cœlo & apud stellas forent, quid de muscis, aut vermiculis, aut echinis multisque aliis minutissimis terræ marisque animantibus dicerent Astrologi: an ista quoque iisdem quibus homines legibus nascerentur, iisdemque itidem exstinguerentur, vt aut ranunculis quoque & culicibus nascendi fata sint de cœlestium siderum motibus attributa: aut si id non putarent, nulla ratio videretur, cur ea siderum visiu hominibus valeret, si deficeret in cæteris. Quæ autem in aduersam partem allatæ sunt Hippoc. auctoritates, cœlum in hæc inferiora agere & mutationem omnium causam esse vniuersalem conficiunt tantum. Quod etiam voluit Aristot. dum cœlum inferioribus his esse contiguum non mathematico sed physico contactu scribit. Agere autem cœlestia omnia in hæc inferiora motu tantum & lumine existimauit idem Philosophus, vnde sit vt in æquinoctiis, & solstitiis ob aeris alterationem, cathartica exhibere, secare aut vrere vetet Hippoc. & aphor. 5. sect. 4. Sub cane & ante canem difficiles velit esse purgationes. Illud autem Hippocr.

Astra nullã habent necessitatem in homines.

Elegans argumentum Bardezanes.

Isocratis dictum.

Astra non esse malefica.

Astra omnia calefacere.

Reiicienda Astrologia diuinatrix. *Elegans contra diuinatores argumentum.*

θεῖον τι referunt omnes non ad cœli, sed aeris constitutionem. Explodatur ergo vetus illud Astrologorum dogma, & astris benigna tantum non malefica vis concedatur. Exsibiletur è Christianorum cœtu diuinatrix illa Astrologia, quam D. Basilius vanitatem appellat occupatissimam, Ambrosius inutilem & impossibilem, Cyprianus vanam, falsam, ridiculam. Aut enim aduersa euentura dicunt hi, aut prospera: si prospera, & fallunt, miser fies frustra exspectando: si aduersa dicunt & mentiuntur, miser fies frustra timendo Si vera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias. Si felicia promittunt eaque euentura sunt, tum plane duo erunt incommoda. Nam & exspectatio te suspensum fatigabit, & futuri gaudij fructum spes tibi iam defloraverit. Nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. Neque iudiciariis his medicis fides adhibenda, qui ex syderum solo aspectu crises totumque morbi euentum tuto præsentiri posse impudentissime iactitant.

Altera Astrologorum & Medicorum quorundam opinio, qui criticorum dierum causam ad solam Lunam referunt.

CAPVT VII.

Solis effectus mirabiles.

Maximæ sunt siderum omnium & cœlestium corporum in hæc inferiora vires, sed Soli ac Lunæ principatus omnino deferendus est. Sunt duo hæc vniuersi lumina & fulgentia sidera, Alterum maius, alterum minus. Sol annos, Luna menses regit. Solem itaque diuturnis, Lunam acutis morbis præesse volunt quidam. Sol vt quatuor anni temporum, veris, æstatis, autumni, hyemis auctor est: Ita humores quatuor singulis tempestatibus immutat, propterea scripsit Hippoc. lib. de natura hominis, morbos qui non diebus, sed mensibus mouentur, æstiuos quidem hyeme, hybernos vero æstate finiri. Solis mirabiles sunt, & pene diuini effectus, vnde Deus olim & creditus, & habitus. Heraclito fons dicitur cœlestis lucis, Tullio dux & moderator reliquorum Luminum, Quibusdam cor mundi, Aristoteles stellam appellat salutarem, prosperam, & γεννητικὴν, quod rerum omnium sit procreatrix & parens: Eius enim calore viuifico vniuersa exhilarantur ac vigent, arbusta gemmas trudunt, terra floribus tedimitur, animalia cuncta amoris stimulis incitantur, in amplexus veneteos ruunt ac vberrimo fœtu syluas, terram, mariaque frequentant, nihil denique in sublunari hoc mundo est ferax, nisi vis illa præpotens Solis fœcunditatem largiatur. Lunæ autem μεγάλα sunt (inquit Galenus capit. 2. libr. 3. de diebus decretoriis) τὰ ἔργα περὶ τὴν ἐν τῷ σῶμα ἄσιαν, ἀλλὰ τῶν ἡλίῳ δεύτερα, id est, magnæ sunt in hæc inferiora vires & effectus varii, sed qui tamen Solis effectibus cedant & secundas teneant. Hæc humorum est concitatrix & motrix. Hæc in humida omnia corpora habet imperium. Luna (inquit) Lucilius alit ostrea, implet & echinos muribus, fibras & pecu addit, Sola omnium capitatarum cœpa luna senescente augetur, iuuenescente flaccescit, quasi sideris cursum petosa. Hæc terras saturat (ait Plinius) accedensq; corpora implet abscedens inanit, Luna plena cancri pinguescunt, patet etiam sanguinem hominum cum eius lumine augeri ac minui, frondes quoque ac pabula sentire ea omnia eadem penetrante vi. Hæc mensibus præest, vnde illud Ouidii:

Lunæ vires.

Lunæ imperium in humida corpora.

> *Luna regit menses, huius quoq; tempora mensis*
> *Finit, &c.*

Qua ratione lunam μήνην antiquitus dictam notat Diodorus Siculus, & ab eo nomine μῆνα, id est, mensem deriuari, Eam Philo ὑπηρέτην καὶ διάδοχον ἡλίου, Solis ministram & successorem vocat. Maximæ sunt igitur Lunæ in hæc inferiora vires, Ipsa, vt scribit Gale. cap. 2. lib. 3. de diebus decretoriis, iis quæ oriuntur è terra dat incrementum, animantia saginat, menstrua stato tempore mulieribus sollicitat, morbo comitiali laborantium circuitibus auxiliatur. Hæc autem omnia præstat & motu suo, & lumine. Lumen à superioribus omnibus, sed præsertim à Sole mutuatur, hinc variæ apparent nobis Lunæ ad Solem accedentis, vel recedentis formæ, configurationes, schematismi, φάσεις dicunt Græci. Prima Lunæ mutatio nihil fere luminis eiaculatur: fit autem cum gradibus quindecim à Sole abest, vocatur hic Lunæ affectus σύνοδος, id est, tempus coitus & coniunctionis Lunæ cum Sole, ab aliis interlunium, nouilunium, intermenstruum, Luna silens. Durat fere trium dierum spatio. Quarto die è coitu Solis egressa, liberam faciem quasi pudore suffusa non audet ostentare, sed falcatam tantum, tuncq; μηνοειδὴς nuncupatur, distat à Sole quadraginta quinque gradibus. A quarto ad septimum sensim incrementum capit, tumque dimidiatam faciem ostendit, διχότομος, id est, in duas æquales partes dissecta dicitur, aut ἡμίτομος, quia medium iam inter a nouilunio ad plenilunium exigit, nonaginta gradibus abest à Sole. Vndecimo die tota propemodum est illustrata, portione tantum exili remanente, vnde ἀμφίκυρτος, id est, vtrinque gibba & curua dicitur: Distat tunc temporis centum triginta quinque gradibus à Sole. Tandem decimoquarto die perfecte & vndiquaque illustrata, liberam plenamque faciem ostentat πανσέληνος appellatur. Ita ergo

Luna vim à Sole accipit. *Lunæ configurationes variæ.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*

Quarta.

Quinta.

ergo se habent Lunæ à coitu Solis ad plenilunium vicissitudines. Rursum vbi post plenilunium & rutilantem illum splendorem ad Solis congressum properat, totidem nobis ostendit schematismos: Nam quarta sequenti die fit ἀμφίκυρτος vt erat vndecimo, deinde tertio septenario διχότομος, postea μηνοειδής: Tandem donec cum Sole rursum congrediatur, sensim decrescit & velut abdita lumen suum non impertitur. *Sexta. Septima. Octaua. Nona.* Quemadmodum porro Luna crescente augentur omnia, vt in animalium cerebellis, ossium medullis, ostreis cernere est: ita eius abeunte lumine exarescunt inferiorum corporum humores. Cum igitur per quaternarios & septenarios Luna moueatur, crises quaternariis & septenariis contingere volunt Astrologi. Hæc enim à prima accessione ad opposita quadrangula, aut quadrangulorum media loca defertur, *Opposita. Quadrangula.* insignes parit alterationes, in quadrāgulis septimo die magna fit agitatio, in quadrangulorum mediis vt quarto die, non ita vehemens. At in oppositionibus maxima commotio excitari solet, quia Luna & signa, tum radiis, tum qualitatibus sese mutuo oppugnant. Ex quibus colligunt Astrologi, quadrangulorum media, quæ quarto die contingunt, exiguam habere vim decernendi, sed indicandi maximam, quadrangulis maiorem vim inesse, oppositionibus vero multo maiorem. Si (aiunt) exempli gratia ægrotare ceperit quis, Luna arietem occupante, septimo sequenti die maximas alterationes patietur, quia eo die Luna cancrum signum frigidum & humidum arieti calido & sicco contrarium tenet. Sunt ex Astrologis quidam, qui Lunam non solum pro variis ad Solem & duodecim signa Zodiaci schematismis, mutationes insignes in his inferioribus excitare volunt, sed etiam pro diuerso eius motu & positu ad alios planetas, tum ad stellas fixas res mirabiles facere contendunt. *Opinio quorundam Astrologorum.* Itaque Lunam in principio ægritudinis cū malefico aliquo planeta coeuntem, aut in eius quadrato, vel opposito existentem maximas alterationes producere, cūm ad hostiles alios aspectus peruenerit, siue decretorio siue non decretorio die id contingat. Hæc de Lunæ viribus & imperio prædicant Astrologi. Quibus aliqua ex parte videtur assentiri Galenus, vt proprio capite demonstrabitur.

Conuellitur ea Astrologorum opinio & demonstratur, Lunam solam per se criticorum dierum causam non esse.

CAP. VIII.

CRises in humorales tantum morbos cadere omnibus, vt opinor, est exploratum: Lunam vero in humida corpora imperium aliquod habere experientia ipsa fidem facit. Non tamen propterea criticorum dierum hanc vnicam & solam caussam (vt sentiunt Astrologi) esse volumus, his persuasi rationibus. *Ratio 1.* Crisis motus est humorum, fitque vt iam ex Galeno annotauimus, τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ καὶ παρασκευαζούσης πρὸς τὴν ἔκκρισιν, id est, natura secernente humores noxios à bonis eosque ad excretionem præparante. Luna motum hunc facit, aut à se vim eam mouendi habet, aut ab alio, vt aspectu, reflexione, lumine, quadratura, oppositione: Si à se, non magis septima die mouebit quam octaua, quæ enim primo & per se insunt (ait Philosophus) semper insunt: si ab alio vt oppositione & quadratura, tunc solum mouebit Luna, cū in eo erit aspectu aut loco; At decumbat hodie Socrates, cras Plato, vterque septimo iudicabitur, cum tamen in eodem aspectu Luna non sit. Obseruauit Gale. cap. 7. lib. 2. de diebus Decretoriis, se plures quam quadringentos homines acuto morbo laborantes æstate vnica, septimo die perfecte iudicatos vidisse, non tamen omnes eadem die & sub eodem aspectu ægrotare cœperunt. *Secunda.* Præterea si Luna criticorum dierum caussa statuatur, vim eam aut à Sole accipiet, aut à signis Zodiaci; Galen. enim 3. de diebus decretoriis duplicem tantum Lunæ influxum agnouit, alterum à Sole, alterum à signis obliqui orbis, quæ motu proprio singulis mensibus permeat. Si à sole vim eam decernendi accipit Luna; Ergo ij tantum morbi septimo die iudicabuntur, qui nos in nouilunio aggrediuntur. Nam alioqui, nec diei septimæ Luna dimidia, nec quartædecimæ plena respondebit, in quibus quadrangularis & aduersa Solis consignatio ciet humores. Si à signis Zodiaci, ergo & sextus dies & decimustertius erunt perfecte critici: Nam cum inferiora permeans epicycli velocius fertur Luna, sexta die ad quadrata signa pertingit, & interdum tertiadecima ad opposita, cum vero superiora permeans tardius circumfertur, sæpe octaua vel nona in quadrangulari apparet loco; Cum ergo Luna omnes quartas motiones & circuitus æquales non sortiatur, non potest quartanæ aut septimanæ criseos caussa ad vnicam & solam Lunam referri. *Tertia.* Iam vero quomodo sola Luna criticorum dierum caussa statui poterit, cum post vigesimum diem septenarii omnes ad quadragesimum sint critici, vt vigesimusseptimus, trigesimusquartus, quadragesimus, pereatq; quaternionum vis, post quadragesimum vero vicenarii soli ad centesimum vsque decernant, vt sexagesimus, octogesimus, centesimus, pereatq; septenariorum vis? *Quarta.* Sed & si Luna ideo tantum crises per quaternarios & septenarios molitur, quia Lunæ motus per quadras & septimanas perficitur, cur non similes in animalium generatione, conceptu,

 vita,

vita, nutritione, actione producit effectus? At quis vnquam obseruauit septimo quoque die ventriculum perfectius coquere, semen in vterum iniectū validius esse, cæteraq; naturæ opera die septima felicius aut infelicius edi? Si in solis morbis septenarios hos Lunæ motus vim suā

Quinta. exserere putas, mirum profecto erit cœli quartas tam angustis arctare cancellis. Proferam hic elegans Fracastorii argumentum: Certissimum est, actionē omnem nō nisi contactu fieri. Cœli contactus mathematicus non est, sed Physicus; Emittitur ergo à cœlo quidpiam, nō corporeū, minueretur enim sensim, sed spirituale, qualitas quippe contrario catens, quæ ideo momento diffunditur, vt lumen: Qualitas hæc spiritualis aut primas producit qualitates, vt lux calorem, aut vim aliquam fugandi, trahendi, non ab hac vi crises fiunt, cum in indiuiduis hæc omnia insint magis proprie; Ergo à cœlesti lumine: At lumen non alia die magis calorem suggerit quam alia, nisi quo plus ad terram reflectit, quod in Sole quidem accidit, quanto aut propinquior, aut directior est: In Luna vero quando plus luminis à Sole accipit, accipit autem plus, quo magis ab eo remouetur: Quare cum octaua die magis recedat, quam septima, plusque lu-

Sexta. minis & caloris impertiatur, octaua erit potius critica quam septima. Postremo si lunæ ideo criticorum dierum statuatur caussa, quia per quadras & septimanas mouetur, necesse erit semper quadras & septimanas Lunæ cum morbi quaternionibus & septenariis concurrere: Atrarissime contingit vt septenarii morborum dies cum septenariis Lunæ coincidant, estque perpetuæ veritatis septenarios omnes perfecte decernere. Non potest igitur Sola Luna proxima & immediata criticorum dierum caussa statui. Eius maximas in hæc inferiora vires non negamus, sed quicquid præstat, id Lumini tantum & motui referendum putamus. Quod enim crescentis Lunæ tempus plantationi sit opportunum, id ideo contingit, quia largiore semina humore cibata velocius adolescunt, decrescentis vero Lunæ tempus cædendis arboribus ideo est commodum, quia tunc luna siccior. Laudat Hesiodus nonam Lunæ diem arboribus conserendis & decimam tertiam, quia insita vis radicibus pleniore iam lumine spargitur, decimam sextam negat idoneam plantationi, quia deficiens lumen germina satis non enocet. Sunt ergo omnes Lunæ effectus à lumine: At lumen criticorum dierum proxima & immediata caussa esse non potest.

Noua opinio Fracastorii, qui dierum criticorum caussam refert ad motum humoris melancholici.

CAP. IX.

DOctissimus Fracastorius libello de caussis criticorum dierum, nouam & inauditam crisium motum dierum rationem commentus est. Refert omnia ad motum humoris melancholici, cuius cum hæc sic proprietas, vt quarto quoque die moueatur, quaternarios omnes ideo

Fundamenta Fracastorii. criticos esse putat. Sunt autem eius opinionis hæc præcipua fundamenta. Raro contingit vt transeunte in humores vitio aliquo, vnus tantum humor corripiatur: Nam vt plurimum vel

Primum. duo, vel plures vitium idem concipiunt, aut simul, aut post. Quippe in ea sanguinis massa, quæ intra venas continetur, confusi commixtique sunt & reliqui vocati humores, bilis, pituita & melancholia, sed ita vt partim actu, partim potentia in ea massa sint, potentia quidem, quia ad minimas & indiuisibiles particulas redacti sunt, actu vero quia proprii generis rationē habent: Ob eam igitur confusionem raro fit vt labes vnius alteri non communicetur. Dum vero putrescere incipit humor, fiat statim eius secretio, naturæ solius vi, aeinde excretio: Humor quiescernitur si simplex sit, neque alio adulteratus, crisin nullam efficiet, sed paroxysmum tantum, quotidianum quidem, si pituitosus sit, tertianum, si biliosus, quartanum, si melancholicus. Quod si permixti sint & confusi humores, nunc omnes simul mouebuntur, nunc vnicus tantum, nunc duo, vnde dierum alii placidissimi, alii acerbiores, alii acerbissimi erunt. Placidissimi illi sunt, in quib. nulli humores mouentur, acerbiores, in quib. vnus, acerbissimi in quib. omnes, & hi ad crises sunt aptissimi, quia magis irritatur natura, à quo stimulo fiunt crises.

Secundum. Porro quoniam nec crisis fit nisi digesto præparatoque humore, perfecta autem absolutaque digestio non est, donec quod crassius est ac segnius digestum ipsum sit, crassior vero & segnior omnibus est melancholia: Inde fit vt potissimum circa melancholiæ & motus & digestiones attendantur crises. Fit autem melancholiæ motus per quaternarium; Fient igitur crises per quaternarium melancholiæ circuitum. Demus exempli gratia bilem in aliquo ægrotante peccare, eamque cum pauca pituita & melancholico humore permistam esse, simulatque putrescere incipiet bilis, reliquos etiam in quinabit humores, itaque grauis erit primus ille paroxysmus. Secunda dies quietissima redibit, in qua nullus humorum fiet motus, ac tertia paroxysmum quidem bilis sentiet, crisin tamen non faciet, tum quia stimulus nondum maximus, tum quia totum nondum digestum est: Quarta autem dies motum habebit melancholiæ, sed lateritiorem, quia non multum est quod tunc mouetur de melancholia, partim quidem

dem quia sub peccabat solum, partim quia putrefactio eius quodammodo pendet à bile, qua cessante in die quarta, aliquem quidem motum dat melancholia, ob concepta putrefactionis semina, sed paruum & latentem, quia origo & fomes putrefactionis quiescit. Quinta, bilis motum videbit: sexta nullius: at vero septima acerbissimum omnium paroxysmum apportabit, concurrentibus simul humoribus omnibus qui peccabant, ac largius melancholia, quoniam ex alterius contagione & impulsu non parum motionis recipit: Qua die quoniam & digesta fuit melancholia (fuerat enim subtilis & pauca, nata cito terminum recipere) continget crisis: stimulus enim acerbissimus in ea fit & totum digestum est, in aliis autem diebus aut stimulus abfuit, aut digestio.

Cæterum cum melancholiæ modi & conditiones multiplices sint (sæpe enim pauca est, sæpe multa: interdum crassior, interdum tenuior, modo tenacior, modo soluta magis, modo calidior, modo frigidior) ex hac diuersitate fit, vt putrescente choleta, quandoque simul & eadem die computrescat melancholia, modo in initio paroxysmi, modo in medio, modo in fine: interdum non simul & eadem die, sed secunda tantum: interdum tertia solum fortasse & quarta tantum. In acutis morbis prima die motus fit vtriusque humoris, quia acuti morbi à tenuiori & pauca & calidiori materia fiunt: In tardis autem & diuturnis, quorum materia frigida est, crassa & tenax, moueri melancholiam accidit non nisi die tertia: quod si maeria crassissima fit, fortasse non nisi quarta: In mediocribus autem morbis, quorum materia media est quantitate, qualitate. & crassitie, die secunda moueri incipiet, & cóputrescere melancholicus humor. Ex diuerso itaque melancholici humoris motu diuersæ contingunt crises & tres eorum ordines statui possunt. Nam si prima die cum cholera simul & melancholia commoueatur (vtar verbis Fracastorii) quod in acutis fit morbis, quartanariæ periodi erunt 4. 7. 10. 13. raro enim vltra hos protenditur status in acutis. Si extreme peracutus sit morbus crisis in quartum diem cadit, quia materia paucissima est, subtilissima & feruens: si acutus segniot ad decimumtertium diem prorogabitur, si medius inter extreme peracutos & acutos mitiores, septimo die iudicabitur, atque hic primus erit criticorum dierum ordo. Secundus ita numerari debet. Si non prima die, sed secunda solum motum dederit melancholia, quod in mediocribus morbis accidit, tum quaternariæ periodi erunt 2. 5. 8. 11. 14. 17. 20. vltra autem rarissime in mediocribus producitur status, sed 11. 14. 17. & 20. maxime erunt critici. At si tertia solum die motum recipiat melancholia, quod in chronicis morbis fit, in quibus crassa valde, & tenax, & multa materia est, periodi quidem erunt 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. raro autem vltra contingunt crises. Maxime autem criticus horum erit vigesimus primus, mox vigesimus septimus, mox quintusdecimus. Si enim materia crassa quidem ac tenax sit, pauca autem in eo genere ad quartum decimum status erit, si vero crassa ac valde multa ad 27. si vero in eo genere mediocris ad vigesimumprimum. Hæc noua est Fracastorii de dieb. decretoriis opinio satis meo iudicio implicata, quam acutis & necessariis argumentis conuellit eleganter Ferrerius libello quem edidit de diebus decretoriis.

Tertium. *Tres ordines dierum criticorum.* *Primus.* *Secundus.* *Tertius.* *Conclusio Fracastorii.*

Conuellitur opinio Fracastorii.
CAP. X.

Mirum est eximium hunc Philosophum in stabiliendis nouæ suæ opinionis fundamentis ita misere hallucinatum fuisse, vt infinitos laqueos non præuiderit, quibus se irretiri mox sentiet. Nam cum ad venationem causarum duo sint tantum canes, ratio & experientia. Quæcunque à Fracastorio de diebus criticis proponuntur, rationi & experientiæ omnino aduersarii æquus veritatis iudex æstimabit: Obseruatum est longa experientia, dietum alios esse vere criticos & principes, tales sunt septimus, quartusdecimus, vigesimus: Alios indices, eiusmodi sunt quartus, vndecimus, septimusdecimus. Alios intercidentes, quales sunt tertius, quintus, nonus, tertiusdecimus, nonusdecimus. Hoc primus omnium admirandus Hippocrat. prodidit, Hoc voluerunt Heraclides, Archigenes, Philotimus, Hoc millies mille in locis scriptum testatumque reliquit Galen. At noua hæc opinio, omnem veteris doctrinæ auctoritatem erroris insimulat, dum nouum criticorum dierum ordinem comminiscitur: Tres enim eorum statuit ordines. Primi ordinis sunt 4. 7. 10. 13. 16. 19. 22. 25. 28. Secundi 5. 8. 11. 14. 17. 20. Tertii 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. Quis quæso decimum diem, decimumsextum & decimumnonum inter vere decretorios & primi ordinis vnquam obseruauit? Quis octauum & decimumquartum eiusdem esse ordinis vnquam expertus est? Quis vererum, vigesimumsecundum, vigesimum octauum decernere vnquam voluit? Experientiæ ergo & veterum omnium auctoritati aduersatur noua hæc criticorum dierum confusio. Sed & rationi quoque pugnantia profert Fracastorius. Primum enim pro rato id adstruit crises in eos tantum morbos cadere, quorum materia intra venas continetur: Quod quam sit absurdum, quis non videt? Partium omnium phlegmone, aut alia inflammatione obsessarum materia putrescens extra venas

Impugnatio prima. *Impugnatio secunda.*

venas est: At in illis inflammationibus criticos dies & peculiares crises obseruauit Hippoc. & nos medicinam facientes experimur quotidie. Sic Hepatitis propriam habet crisin per vrinas si conuexa, per alui proluuiem, si caua phlegmone infestentur. Sic ventriculi erisypelas, quod febre indicatur lipyria, propriam habet crisin choleram, id est, bilis sursum deorsumq; vacuationem, quod ita in Coacis indicauit Hippocr. τὰ λειπυριακὰ μὴ χολέρης ἐπιγενομένης οὐ λύεται, id est, lipyriæ febres non nisi cholera superueniente exsoluuntur. Quis in earum inflammationum crisibus, caussam ad humoris melancholici motum referet; cum erisypelas à pura & *Impugnantia 3.* impermista bile, phlegmone autem ex solius sanguinis affluxu fiat? Quod autem ille contendit nunquam humorem purum & impermistum in corpore reperiri, falsum est. Nam in vesicula fellea, bilem sinceram neque alio quouis humore adulteratam contineri docet αὐτοψία & ipsa etiam suadet ratio; secernitur enim à massa sanguinea & à vesica trahitur, occulta quadam *Quarta.* nobisq; incognita proprietate. Præterea dum putat Fracastorius humorem vnum putrescere non posse, quin & alii omnes eandem statim contrahant labem, omnem intermittentium febrium & paroxysmorum naturam euertit funditus. Nam in tertiana febre sola bilis putrescit, in quotidiana sola pituita, in quartana solus melancholicus humor; accenduntur quidem omnes si eorum vnus flammam conceperit, sed solus qui paroxysmum creat putrescit humor, *Quinta.* alioqui spuriæ essent omnes intermittentes, nulla vnquam exquisita tertiana. Iam vero quid opus est coctione humoris melancholici in omnibus morbis, vt somniat Fracastorius? Solus qui peccat humor coquendus est, secernendus, excernendus, solus enim ille naturam ad excretionem stimulat: At acuti fere omnes à bile fiunt & diebus mouentur imparibus, sola igitur bilis mitificanda, nec vt perfecta fiat crisis melancholici humoris coctio exspectari debet. *Sexta.* Adde quod, si humoris melancholici coctio semper exspectanda esset, nunquam die tertio crisis contingeret, quia melancholicus humor quarto tantum die mouetur: At sæpe tertio die iudicantur morbi extreme peracuti, & tertium diem primum intercidentium numerant omnes Medici: Explodatur ergo nouum hoc dogma, experientiæ & rationi omnino repugnans.

Quid Hipp. de criticorum dierum caussis sentiat.

CAP. XI.

HIppocratem criticorum dierum caussam ad numeros retulisse existimarunt docti quidam. Nam libello περὶ ἀρχῶν de septenarii viribus multa eaque præclara scriptis mandauit, vitam hominis septenariis dispensari voluit, & epistola quadam ad Thessalum filium numerorum rationem ad τῶν νοσεόντων τὰς κρίσιας, ad ægrotantium iudicia conferre pronunciauit. Necessitatem autem naturæ, & cur per septenarios singula contingant, pollicetur quidem se aliquando explicaturum, sed rei (vt opinor difficultate perterritus. id non præstat. Ego diuinum Senem numeris tantum tribuisse, vt eos criticorum dierum caussas esse voluerit, nunquam mihi persuasi, sed septenarium, naturæ quandam legem, cuius ratione tanquam exemplari omnia dispensentur agnouisse credidi. Sic Arist. libris de cœlo, ternarium naturæ legem appellat, secundum quem naturalia omnia disponantur. Neque etiam ad Lunæ vim & siderum aspectus, criticorum dierum caussam vnquam retulisse Hipp. legimus: Sola igitur experientia *Sola experientia contentus fuit Hippoc.* in explicandis crisimorum dierum viribus contentum fuisse, cum Arabum principe Auicenna existimamus. Obseruauit admirandus ille vir, naturam dum regulariter & definito motu humores regit: imparibus diebus mouere, idque ex tribus potissimum. Primum ex iis quæ diebus *Prima obseruatio.* tum paribus, tum imparibus contingunt; vidit parium crises imperfectas, imparium per*Secunda.*fectissimas. Secundo ex his quæ diebus indicibus apparent, vidit septenarios quoslibet suos habere indices; quib. si coctionis signa appareant, salutaris septimo quoque die crisis sperari *Tertia.* debet. Tertio ex paroxysmorum obseruatione, vidit acutos morbos imparibus exacerbari *Cur diebus imparibus morbi iudicentur.* diebus, propterea iisdem diebus crisin exspectandam esse. Solent enim iisdem diebus iudicari morbi, quibus exacerbantur. Huius experientiæ rationem aliquam afferre conatus est lib. 4. de morbis. Iudicantur (inquit) morbi dieb. imparibus, quia trahit corpus de ventriculo diebus paribus, expellit autem diebus imparibus, si sanus sit homo. Itaque in ægris primum colligitur humor, deinde collectus secernitur, tandemque excernitur. Dum colligitur nulla fit pugna, dum collectus est, iam naturæ facessit negotium, tunc exacerbationes fiunt, irritatur natura ad excretionem, fitque crisis, propterea eodem libro diebus imparib. cathartica exhibere vetat Hipp. Qui enim diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimium sunt purgati & multi perierunt, at qui cathartico diebus paribus vsi sunt, hi nimium purgati sunt nunquam. Hæc Hipp. de diebus decretoriis.

Opinio Gal. de caussis criticorum dierum.

CAP. XII.

GAlenus, Hippocratis obseruatione & experientia non contentus, caussam criticorum dierum per astrologica principia demonstrare conatus est, idque vt amicorum precibus obtemperaret. Itaque præcipuam crisimorum dierum causam ad Lunæ motum & lumen referendam putat. De eo motu & lumine multa ex veterum Ægyptiorum doctrina repetit lib. 3. de diebus Decretoriis, vultque varios esse Lunæ aspectus tetragonos, trigonos, diametros, & quoniam Lunæ motus per quadras & septimanas perficitur, ideo septenarios & quaternatios in acutis morbis potenter decernere contendit. Vt autem demonstret vigesimum diem potius esse criticum, quam vigesimum primum, mensem fingit, quem criticum & medicinalem vocat: Cuius natura vt innotescat, illud in primis annotandum, tres menses lunares pro vario Lunæ motu ab Astrologis constitutos fuisse. Primus συνοδικὸς dicitur, id est, coniunctionis seu consecutionis, eum μηνιαῖον χρόνον simpliciter vocat Galen. Est autem totum illud tempus, quod inter vnam coniunctionem & aliam interiacet; mensem hunc viginti nouem dierum, duodecim horarum minutorumque quadraginta esse tradunt recentiores. Secundus mensis περιοδικὸς dicitur, id est, peragrationis, quo Luna ab vno Zodiaci puncto recedens ad idem punctum integro circuitu emenso redit, septem est atque viginti dierum & horarum octo. Tertius mensis φάσεως dicitur, id est, apparitionis, illuminationis, illustrationis. Est autem interuallum à primo nascentis Lunæ conspectu, ad vltimum vsque diem euanescentis. Hic mensis inæqualis esse solet nunc longior, nunc breuior, longior quo minori tempore occultatur luna, breuior quo diutius delitescit lumenque suum non impertitur, constat tamen vt plurimum viginti sex diebus & horis duodecim. Gal. cum his mensibus dies suos accommodare non posset, quod vel suum excederent numerum, vel eum non complerent, cumque videret ex tribus his mensibus demonstrari non posse, vigesimum diem potius esse criticum quam vigesimumprimum, quartum mensem commentus est, quem medicinalem vocat. Mensis peragrationis id non docet, quia eius mensis tres septimanæ viginti dies & duodecim horas constituunt, qui numerus medius est inter vigesimum & vigesimum primum, adeo vt si tunc contingat crisis, nec huius sit, nec illius diei. Ex mense coniunctionis id demonstrari non potest; Sunt enim huius mensis septimanæ longiores: tres quippe septimanæ duos & viginti dies cum horis tribus continent. Neque etiam id docet mensis illustrationis, quia indeterminatus est, modo breuior, modo longior: Quartus ergo statuendus est mensis peragrationis & illustrationis, & simul iunctis mensibus conflatus: si namque vtrumque iungas, nascentur quinquaginta tres dies cum viginti horis: si dies tres in æquales secentur partes, nascetur mensis medius viginti sex dierum & 22.. horarum, cuius mensis quælibet septimana sex erit dierum cum horis septem, duæ vero septimanæ dies 13. & horas vndecim, tres septimanæ dies viginti & horas quatuor continebunt. Itaque tertiæ septimanæ finis in vigesimum diem cadet, vnde hic potius criticus quam vigesimusprimus statuendus. Hæc Gal. est de crisimorum dierum caussis sententia, quam & Astrologi & Medici omnes damnarunt. Fictitium enim & portentosum eum menses vocant. Legite quæ de eo mense contra Gal. scripserunt, Picus Mirandulanus, Petrus Aponensis, Hieronymus Cardanus, Manardus Fracastorius.

Tres menses lunares.
Mensis coniunctionis.
Mensis peragrationis.
Mensis apparitionis.
Gal. quartũ finxit mensem & cur.

Ne quid sentiamus de caussis dierum criticorum.

CAP. XIII.

POsteaquam ex his dissentientium opinionum paulo spinosioribus senticetis euasimus, iam tempus est, vt in tutum & tranquillum portum nos recipiamus, & quid de criticorum dierum caussis sit sentiendum, breui dilucidaque oratione apenamus. Dierum criticorum caussam duplicem agnoscimus; alteram materialem, efficientem alteram. Materialis, humor est noxius, qualitate, aut quantitate peccans, non melancholicus tantum, vt voluit Fracastorius, sed etiam biliosus, pituitosus, sanguineus, siue ille simplex sit, & syncerus, siue adulteratus: In soles enim humorales morbos crisin cadere cum Galen. & Auic. existimamus. Efficiens caussa duplex est, Altera vniuersalis & remotissima, altera particularis, interna proxima. Vniuersalis non criseωn modo, sed & omnium motionum, quæ in sublunari hac regione contingunt caussa statuatur cœlum, cuius vires fere omnes Luna inferior & citima terris excipiat eaique nobis communicet. Eam Auerrhoes tertia colliget. nullius fere in medicina considerationis esse vult. Particularis & proxima criseωn caussa natura est, quam siue facultatem corpus dispensantem cum Gal. siue calorem insitum cum Hippoc. siue temperiem, siue spiritum voces nihil interest. Hæc licet ἀπαίδευτος καὶ ἀμαθὴς, licet consilii & rationis sit expers, motus tamen edit certos & constanti ordine definitos, vt ratione & consilio quasi niti videatur. Hæc apud Hip-

Caussa duplex criticorum dierum.
Materialis.
Efficiens.
Vniuersalis.
Particularis.

Naturæ mirabiles proprietates.

Hippoc. primo de Diæta μοῖραν habet πεπρωμένην, id est, fatalem vitæ & mortis necessitatem. Hæc (vt scribit Galen. secundo de diebus decretoriis) ordinata quædam res est, quæ motiones suas statis circuitib. perficit. Hæc sibi ipsi leges imponit, quas nunquam euertit; sed tamen quasi μεμαθηκυῖα, facere sic ipsa didicerit & consueuerit, eas sine inconstantia & ordinis mutabilitate exsequitur. Hæc vnica est morborum medicatrix. Hæc sola crises molitur, dum humores coquit, secernit, excernit γίνεται γὰρ κρίσις natura secernente humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparante. Hæc vias etiam occultas inuenit, quibus morbos expellit, vnde Synesius & Plotinus eam velut magnam agnoscunt, Zeno artificiosum ignem vocat, quod habeat quasi viam quandam & sectam, quam sequatur, Anaxagoras mentem appellat.

Naturæ errores à materia sunt.

Quod si errare eam contingat aliquando, id à materiæ contumacia & eiusdem ἀνωμαλίᾳ fit. Quæcunque in corporibus nostris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera sunt, quam sapientis naturæ. Statuatur ergo natura, criticorum dierum particularis

Quomodo ad crises concurrant efficiẽs & materialis caussa.

& proxima caussa efficiens. Materialis vero sit humor omnis. Videamus nunc quomodo vtraque caussa ad crises & solutiones morborum concurrat. Quod tardior fit & celerior crisis, id partim materiali, partim efficienti caussæ acceptum referimus. Quod nunc pari, nunc impari die contingat crisis, id ad materialem tantum caussam humoris scilicet peculiarem motum referimus. Quod septenariis tantum perfectæ & salutares crises perficiantur, id totum efficienti, non materiali concedimus. Quæ, quoniam multis obscuriora videri poterunt, illu-

Vnde tarditas & celeritas crisis.

stranda sunt nobis. Celeritas & tarditas crisεως, materiæ dispositionem & efficientis vim sequitur. Humor si temperamento sit calidus, substantia tenuis & qualitate benignus, facilius à natura domabitur, celerius coquetur & excernetur: si crassus, frigidus & contumax, difficilius coquetur: si item validior sit natura, celerius coquet, si debilior, tardius.

Vnde imparitas.

Paritatis vero & imparitatis caussa, ad solum humoris motum referri debet: Nam bilis tertio quoque die mouetur, pituita quotidie, melancholicus humor quarto die: Ergo biliosi omnes morbi imparibus iudicabuntur diebus, vt sanguinei & pituitosi paribus, qui iisdem diebus iudicantur morbi, quibus mouentur, soletque in idem tempus incidere crisis cum accessione. Cur autem bilis tertio quoque die, melancholia quarto, pituita quotidie moueatur, explicare difficilium

De motu humorum opinio Alexandri.

est. Alexander Aphrodisieus rationem aliquam reddere conatur. Quo minus (ait) materiæ subest, eo lentius redit accessio; ita autem à natura comparatum est vt sanguis qui nostra aleret corpora esset largior, continuamque putrescens succenderet febrem Secundum locum pituita obtinet, nam & hæc corpus alere potest. Bilis flaua tertium occupat, quoniam ob suam acrimoniam nihil alimenti præstat: At atra bilis sortis est postremæ, naturæ infesta, quæ membra exedit & interimit. Sed hæc vera periodi causa non est. Nam humoris copia longiorem tantum, aut breuiorem paroxysmum facit, non paritatem & imparitatem. Bilis flaua etiamsi copiosior sit, non frequentius quam tertio die, nec melancholia frequentius quam quarto efferatur. Si acuti omnes morbi, quia vt plurimum à bile fiunt, eaque copiosissima, licet con-

Caussa periodi ad proprietatem humoris referenda.

tinuo affligant, imparibus tamen diebus ob bilis motum exacerbantur. Causa igitur tertiani, quotidiani & quartani motus ad humoris proprietatem referenda est: hæc autem proprietas occulta est, nec minus admiratione digna quam magnetis aut catharticorum qualitas. Fit itaque ob solius materialis caussæ conditionem & motum, vt crisis nunc paribus, nunc imparibus contingat diebus.

Cur soli septenarii perfecte sint critici.

Quod vero soli septenarii perfecte sint critici, id totum efficienti caussæ tribuimus. Natura definitum sibi elegit tempus, quo motus suos & crises perficit. Tempus illud sola experientia manifestum euadit: At docet experientia septimo die, decimoquarto, vigesimo perfectas & salutares crises sæpe contingere. Sunt igitur præfixi illi dies & à natura ordinati. Cur autem septenarium potius, quam alium numerum sibi pro deliciis elegerit natura, licet altioris sit contemplationis, hoc tamen ideo factum volumus, quia rerum omnium

Cur septenarium numerum elegit natura.

Parens & Creator Deus eam naturæ legem imposuit. Nam & diei septimo benedixit Deus, & eum filiis Israel tamquam celebratissimum commendauit, & septimo die post absolutam vniuersi istius, quod oculis cernimus, creationem, quieuit ab operibus suis. Natura ergo cuiusque particulares crises septimo quoque die perfectas molitur, nec eas alio vnquam aggreditur die, nisi aut impedita, aut lacessita, vnde fit vt intercidentibus diebus interdum contingant crises, vt postea demonstrabitur. Iuuari porro naturam hanc particularem ab vniuersali illa & cœlesti non inficiamur, vt si quando accidat lunæ septimanas cum septenariis morbi diebus concurrere, crisis inde speretur facilior feliciorque.

Cur vigesimus dies sit potius criticus, quam vigesimusprimus.

CAP. XIV.

Vulgaris interpretatio.

VNicus hic superest nobis eximendus scrupulus, qui multorum ingenia quam diutissime torsit, Cur, cum septenarii omnes perfecte sint critici, vigesimus dies sit potius criticus, quam vigesimusprimus. Vulgare responsum est vigesimum diem finem esse tertiæ septimanæ, quia

quia ex tribus septimanis, sola prima integra numeranda est, secunda cum tertia copulatur, adeo vt quartusdecimus dies finis sit secundæ & principium tertiæ. Alii dicunt ex summi Hippoc. doctrina in Progn. septimanas integras numerandas non esse, vt neque dies, neque annos, proptereaque tertiæ septimanæ finem in vigesimum diem cadere: Sed non satis facit nobis, nec philosophantium animos explet vtraque interpretatio: Non enim explicat cur priores duæ septimanæ integræ sint & tertia imperfecta, nec cur crisis quæ vigesimoprimo die (qui tertium complet septenarium) contingere deberet, vigesimo die vere semper anticipet. Galen. vt id demonstraret, mensem commentus est criticum & medicinalem, ex mense peragrationis & illustrationis simul iunctis conflatum. Sed quoniam fictitium illum mensem Astrologi & Medici omnes improbarunt, cogimur etiam nos à Galen. decretis recedere & alias fortasse probabiliores huius rei caussas ex efficienti & materiali petitas proferre. Ita igitur philosophari libet. Certissimum est, crisin omnem naturali motu perfici; coctio quippe, secretio, excretio naturalis facultatis munia sunt: At naturalis motus ab animali in eo distinguitur, quod animalis, id est, voluntarius in principio sit velocior, in fine tardior, fatigatur enim sensim; Contra naturalis in principio tardior est, in fine celerior: Natura itaque dum primos septenarios compleuit, tertium non omnino perficit, sed ad finem suum celetius properat. & crisin vigesimo primo futuram præuertit, adeo vt in vigesimum cadat. Quod autem naturalis motus in fine velocior sit, docet Aristot. quinto & octauo Physicorum, nec non primo & secundo lib. de Cœlo. Strato autem discipulus Theophrasti id duobus illustrat exemplis. Alterum est aquæ defluentis ex tegulis, quam si quis ex alto cadenté intueatur, videbit eam in principio fluere continuam, mox diuisam, dum ad terram accedit proxime; Diuellitur autem ob maiorem impetum & celeritatem, quia fertur circa finem motus. Alterum, si lapis è sublimi loco proiiciatur, grauiorem ictum faciet in fine illius spatii, per quod mouetur, quam in medio. Ex parte igitur efficientis caussæ, naturæ scilicet, probabilis hæc ratio afferri potest. Altera est ex parte materiæ. Materia morbifica septimo die, aut quartodecimo iam attenuata, mitificata, & quasi omnino à natura deuicta vigesimumprimum diem non exspectat, sed vigesimo quasi sponte & nulla vi à natura extruditur, vt si quis arborem ter manibus excusserit, aut parietem ter ariete percusserit, quarto ictu quasi sponte corruet. Ceterum non est perpetuæ veritatis, crises omnes in vigesimum diem cadere; Nam & plerique vigesimo primo perfecte sunt iudicati, vt propterea Archigenes & Diocles vigesimumprimum potius criticum, quam vigesimum esse voluerint, sed contra eos libr. 2. disputauimus.

Galen ratio nulla.

Rationes nostræ.

Primo.

Naturalis motus in fine velocior est.

Secunda ratio.

Quæ caussa sit dierum indicantium & intercidentium.

CAP. XV.

CVm quilibet septenarius suum habeat indicem quartum scilicet, eius rei causam scrutari placet. Axioma est Physicum & Arithmeticum, partes de proximis suis totis indicare. Hoc exemplo rerum externarum satis patet, quarum perfectionem integritatemque mox adfuturam iudicamus, visis propinquis partibus, vt cum architectus ex fundamentis parietes, ex parietib. tecta perfectamque ipsam domum mox apparituram colligit. Atconstat septenarii partes, in quas proxime resoluitur, duas esse, quatuor scil. & tria, sed quaternarium propinquiorem esse: Indicabit ergo quartus septimum, vndecimus qui secundæ septimanæ quartus est, decimumquartum & decimusseptimus qui tertiæ septimanæ quartus est vigesimum. Quin etiam quartus dies septimanæ medius est, paremque cum extremis habet societatem, vnde fit vt si primus dies morbum discutere aggrediatur, ei finem 4. imponat, si 1. nihil tentet, sed 4. morbum iudicare aggrediatur, 7. finem imponat;

Cur quartus 7. indicet. Ratio 1.

Caussa intercidentium dierum.

De intercidentium dierum caussis pauca quædam lib. 2. annotauimus. Quæcunque diebus his contingunt crises, præter naturæ institutum fiunt, eruptione prius facta quam oporteat, quam appellat Hipp. lib. περὶ χυμῶν, παρεκχύνεσθαι, id est, ante tempus erumpere, dum natura ab aliqua caussa lacessita, aut irritata in immaturam iudicationem erumpit. Fuerat primum hoc naturæ institutum, hancea sibi legem præfixerat, nunquam nisi septenariis crises moliri, sed ob materiæ inordinatos motus cogitur eam legem euertere, & reliquis diebus quos intercalares vocant, vt tertio, quinto, nono, decimotertio, humorem nondum plane coctum, aut cum noxiis salutares quoque excernere, vnde imperfecta crisis, hinc relapsus. Sunt enim apud Hippocr. tres tantū relapsus caussæ ἐὰν περιεκρηγνύωνται, ἢ περιεκχέωνται, ἢ ἐγκαταλείπωνται, id est, si præterumpant, aut prius excernantur, aut intus relinquantur. Caussæ porro naturam cogentes ante tempus, id est, ante septenarios crisin moliri, aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ sunt Medicus, æger, adstantes & exteriora. Medicus peccat sæpe ignorantia, audacia, timiditate. Æger vel medici non obsequitur mandatis, vel sibi indulget nimium. τὰ ἔξωθεν varia sunt, quæ naturæ ordinatos motus interturbant, vt animi pathemata, intempestiua victus ratio. Sic apud Hippocratē in Epidemiis, Philonis filia quia septimo die lautius cœnauit,

Ratio 1.

Tres caussæ relapsus.

Caussæ naturam cogentes. Externæ.

Interna caussa.

nauit, interiit. Internæ caussæ naturam stimulantes tres sunt, Morbus, caussa morbi, & paroxysmus. Morbi si peracutus sit & malignus, naturam ante septimum diem humorem excernere coget. Caussa morbi humor est, qui furens & concitatus (ὀργασμὸν humoris vocat Hippocrates) ante coctionem foras erumpit. Accessio vt scribit Galen. cap. 8. libr. 3. de diebus decretoriis, ex eorum etiam est numero, quæ irritant & prouocant, propterea in acutis morbis crises diebus contingunt imparibus, quia in his accessiones fiunt. Sunt hæ dierum intercidentium, & criseon, quæ in illis accidere solent, omnes caussæ. Hoc vnicum superest annotandum, intercidentes dies in acutis tantum morbis reperiri, nec vltra vigesimum diem excurrere, quia post vigesimum; humoris impetus sensim languet, nec ita concitatus est, vt naturam irritare possit. Atque hæ sunt criticorum dierum & principium, & indicantium, & intermittentium caussæ, in quarum enarratione; si quid est, quod doctiorum offendat animos, rogo obtestorque eos, ne id tam exilitati ingenii, quam rei magnitudini tribuendum putent.

Intercidentes dies in acutis tantum morbis reperiuntur.

Laus Omnipotenti Deo.

Finis libri tertii & vltimi de crisibus.



METHO-

METHODVS VNIVERSALIS AD PROGNOSIN ET CRISES OMNIVM MORBORVM, SED PRÆCIPVE ACVTORVM conferens.

Quæ in quolibet morbo spectanda sint.

CAPVT I.



TRIA in morbo Medico diligenter aduertenda docet Galen. mille in locis; διάγνωσιν, πρόγνωσιν & θεραπείαν: Ex quibus postremum propter se expeditur (officium namq; est Medici, curare apposite ad sanandum.) Reliqua duo propter tertium; Incogniti enim aut deplorari affectus curationem nunquam aggredietur prudens Medicus. Diagnosis circa tria versatur, morbi scilicet, caussæ morbificæ & affectæ partis notitiam. Prognosis indicat vincere ne an vinci morbus possit. Curandi ars normam præscribit & regulam conuenienter cuique medendi per Diætam, Chirurgiam, Pharmaciam. Diagnosis, natura ac tempore prior est, & vt scribit Hippoc. libello de arte, si sufficiat Medicus ad cognoscendum, sufficiet ad curandum. Prognosis dignitate diagnosin antecellit: Futuros enim morborum euentus præuidere admirabile est, & quasi diuinationi proximum. Curandi ars omnium nobilissima, quia finis apud Philosophos nobilior est iis, quæ ad finem. Ab hac nomen accepit medicina; propter hanc medici olim quasi mortales quidam Dii & crediti, & habiti, quod mortalibus hominibus vitalem vitam & sanitatem impertirentur. Diagnoseωs tria sunt tantum capita, dignotio morbi, partis affectæ & caussæ morbificæ: Quæ tria interdum certissimis & syllogisticis signis (Græci τεκμήρια vocant) nonnunquam sola artificiali coniectura dignoscuntur. Morbi aut externi sunt aut interni: Externi, qui sensibus patent, omnibus etiam rudioribus sunt noti: Interni verò, quia oculorum aciem & obtutum effugiunt, periti artifices expertiq; medici industriam postulant. Quam sæpe ait (Celsus) similitudines bonis & peritis imponunt: Sunt tamen propria cuiuslibet morbi symptomata, quæ eius ideam speciemq; detegunt, Ea exposuit eleganter Gal. 1. de locis affectis: Affectuum enim signa ex quatuor in vniuersum deriuat fontibus, excretis scilicet, doloris proprietate, situ & accidentibus propriis. Non satis est Medico affectus speciem nosse, pars quoque affecta dignoscenda est, diuersa quippe vnius eiusdemque morbi instituitur curatio, pro varia partis quam obsidet natura, temperie, substantia, præstantia, situ & sensu. Affectarum partium signa ex quinque velut fontibus haurienda putat Gale. actione læsa, situ partis, doloris proprietate, excretis & accidentibus propriis. Qui affectum & partem affectam præclare nouerit, multum in re medica ille profecerit, sed ignorata morbi caussa, quomodo curationem aggredietur? Caussæ enim coniunctæ debetur curatio, vt antecedenti præcautio. Morbum ergo, partem affectam & caussam morbificam inquirere debet Medicus, si in Diagnosi velit excellere. Ego hic dignoscendorum & curandorum affectuum methodum præscribere non institui, alterius sunt hæc & longioris contemplationis: ea tantum quæ ad prognosin & acutorum morborum crises spectant, his libr. inquirere consilium est. Quomodo igitur in prognosi debeat se exercere Medicus, & non modo criseos, sed etiam totius morbi euentum præsentire, breui, facili ac Hippocratica methodo aperiamus.

Tria in omni morbo consideranda. *Diagnosis.* *Prognosis.* *Curatio.* *Diagnosis prior.* *Prognosis nobilior.* *Curandi ars nobilissima.* *Diagnoseos tria capita.* *Affectuum signa vnde petenda.* *Partis affectæ signa.* *Caussarum cognitio necessaria ad curationem.*

Prognoseos vtilitas & à quibus prognostica omnia signa petenda sint.

CAP. II.

VT nauis peritus ille dicitur gubernator, qui imminentes ventorum tempestates tanquam è specula præuidens in tutum & tranquillum portum se recipit. Ita prudentis expertique Medici nomen is meretur, qui morborum exitus & crises præsentiens, aut vnde vitæ impendet periculum, indicat, aut certam salutis spem pollicetur. Quisquis futuros morbi euentus bene

Vtilitas Prog.

bene prædixerit, is vulgi & adstantium calumniam vitabit. Maximam de eo omnes concipient opinionem, remediorum denique dignitatem is conseruabit: Non sunt enim temere prosananda remedia, quæ multis fuere præsidio, & desperatis medicinam facere vetat Hippoc. Qui aliter fecerit, in ancipiti versabitur perpetuo & leui momento huc illud distrahetur, nauis instar, quæ inter fluctus sine clauo iactatur. Propterea initio Prognost. hæc scripsit admirandus Hippocrates τὸν ἰητρὸν δοκέει μοὶ ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν, id est, Medicum prouidentiæ operam dare optimum esse mihi videtur. Verum in præsagiendi hac arte multa sæpe obuersatur fallacia: Nam dum fuerit humor habetque ὀργασμὸν, nihil tuto prædici potest, quia ex commigratione ad locum nobiliorem leuis morbus ingrauescit, ex transitu ad ignobiliorem sanatur grauissimus: Quoniam vero frequens est in acutis morbis ille humorum ὀργασμὸς, ideo dixit Hipp. aph. 19. sect. 2. Acutorum morborum non omnino certas esse prædictiones, neque mortis neque salutis. Monstra (inquit Auerrhoes) superant vniuersam præsagiendi artem: At in morborum solutionib. monstra, sæpe contingunt. Prudens ergo sit Medicus in præsagiendo, nec præceps sit aut temerarium eius iudicium. Gal. in prædicendo se nunquam deceptum fuisse gloriatur, quod semper sine festinatione diligentiam & sine tarditate grauitatem adhibuerit. Prædicendi hanc artem primus omnium, quorum memoria ad nos peruenit Hippoc. diuino afflatus numine ita exposuit, vt nihil omnino desiderari possit. Ego quæ sparsim ab eo sunt tardita, hic in epilogum & certam summam colligam, facili hac methodo.

Fallax interdum ars præsagiendi.

Cur non sint certa prædictiones in acutis morbis.

Vnde petenda sunt signa prognostica.

In morbo 4 consideranda.

In ægro quæ spectanda.

Prognostica omnia signa è duobus velut fontibus haurienda sunt, morbo scilicet, in quo euentus quæritur, & ægrotantis natura. In morbo tria spectanda sunt, species seu idea, magnitudo, motus & mores. Speciem indicant signa propria pathognomica dicta: magnitudinem ἐπιγινόμενα, id est, superuenientia, motum & mores, ἐπιφαινόμενα, id est, apparentia. In ægro tria considerantur, qualitas corporis, actiones & excrementa. Qualitas spectari debet in colore, figura & mole totius, sed præsertim faciei. Actiones tres sunt, naturalis, vitalis, animalis. Naturalis in coctione lucet maxime. Vitalis in pulsu & respiratione. Animalis triplex est, motrix, sensifica, interna, externa, & princeps, vt imaginatio, memoria, ratiocinatio. Excrementa, alia sunt vniuersalia, vt vrinæ, deiectiones, sudor, vomitus: Alia particularia cerebri, oculorum, aurium, Thoracis, ventriculi, intestinorum, renum, vesicæ, vteri, &c. Ex his omnibus prognostica signa petenda sunt.

Tabula signorum omnium prognosticωn capita continens.

- *Signa omnia prognostica ex duobus petendæ sunt nempe ex*
  - *Morbo, in quo tria spectanda sunt.*
    - *1. Species, quam demonstrant signa pathognomonica,*
    - *2. Magnitudo, quam indicant superuenientia.*
    - *3. Motus & mores, quos apparentia.*
  - *Aegrotantis naturæ, in qua tria considerantur.*
    - *Qualitas corporis quæ cernitur in*
      - *Colore*
        - *Naturali*
        - *Non naturali.*
      - *Figura*
        - *Simili*
        - *Dissimili*
      - *Mole*
        - *Crassiore*
        - *Tenuiore*
    - *Actiones tres sunt*
      - *Animalis triplex*
        - *Motrix*
        - *Sensifica*
        - *Princeps*
      - *Vitalis quæ in duobus conspicua est*
        - *Pulsu*
        - *Respiratione.*
      - *Naturalis quæ in coctione potissimum lucet.*
    - *Excrementa*
      - *Vniuersalia*
        - *Vrina*
        - *Deiectiones*
        - *Sudores*
        - *Vomitus*
      - *Particularia*
        - *Capitis*
        - *Thoracis*
        - *Ventris*
        - *Renum, &c.*

Quænam ex morbi natura prognostica petenda sint.

CAP. III.

VT præcipuum diagnoseos caput circa morbi dignotioοem versatur, & vt princeps indicatio θεραπευτικὴ ex morbi natura petenda est (indicat quippe morbus sui ablationem per cootraria) ita omnis fere præsagii vis pendet ex dignotione exacta morbi, in quo euentus quæritur. In morbo hæc spectanda sunt, species, magnitudo, mores & motus. Speciem detegunt signa propria, παθογνωμονικὰ dicunt Græci & ἀχώριστα, Magnitudinem ἐπιγινόμενα, id est, superuenientia. Mores & motum ἐπιφαινόμενα, id est, apparentia. Illustremus hæc pleuritidis vnius exemplo. Pleoritidis signa pathognomonica sunt lateris dolor pungens, dolor ob intemperiem & distentionem, pungens ratione membranæ, quæ est exquisitissimi sensus. Difficultas spirandi, tum quia ab inflammatione augetur vsus respirationis, tum quia organorum respirationi dicatorum adest angustia, Pulsus durus & inæqualis serræ modo tactum feriens, durus ratione inflammationis & partis obsessæ, quæ membranea duraque est, ioæqualis ob inæqualem arteriarum iutemperiem. Febris continua, eaque acuta propter cordis viciniam. Tussis exsudante sero in pulmones. Hæc signa morbi speciem, inflammationem scilicet lateris necessario indicant. Magnitudinem vero pleuritidis indicant signa ἐπιγινόμενα, id est, symptomata superuenientia, quæ per bumoris propagationem fieri solenr: eiusmodι sunt in pleuritide phrenitis, alui fluxus, ortopnœa, faciei & oculorum rubor, maculæ per thoracem erumpentes, dorsi & scapularum rubor, omnia hæc pleuritidis maximæ & insanabilis signa sunt. Motum & mores pleuritidis deountiant ἐπιφαινόμενα, quæ bumoris morbifici qoalitatem malignam detegunt, proιndeque morbi longitudinem aut breuitatem, talia io sputis & linguæ colore consideranda sunt. Sputum (inquit Hippocra. Apbor. 12. sect. 1. αὐτίκα ἢ ἐπιφαίνηται ἀρχομένου βραχύνει, ἢν δὲ ὕστερον ἐπιφαίνηται μηκύνει, id est, si statim in pleuritide appareat, breuiorem morbum arguit, si vero postea, longiorem. De linguæ colore hæc etiam scripsit Hippocrat. Quibus pleutiticis continuo lingua bile fucata est, septimo die iudicantur, subliuida autem bulla continuo in lingua humescens, difficulter exsolurum iri morbum ostendit. Quæ in pleuritide obseruauimus, io reliquis omnibus morbis acutis spectare debet Medicus. Ergo ex bis tribus, specie morbi, eiusdem magnitudine & motu, moribusque prognostica signa peti possunt. Si speciem morbi consideret Medicus, salutarem aut lethalem affectum præsagiet: Sunt enim morbi quidam in sua specie insanabiles. Sic apud Hippoc. Aphor. 42. sect. 2. soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem vero non facile. Sic apud Galen. omnis intemperies æqualis, est insanabilis: appello æqualem iotemperiem eam, in qua tempetamentum non amplius immutatur, sed alteratum omnino & immutatum est. Hæc duplex, vniuersalis, vt hectica tertii gradus vt elephantiasis, & particularis; vt gangræoa. Est autem ideo insanabilis, quia, ex Aristotelis doctrina in Metaphysicis sanitas non nisi ex sanitate, at in æquali ea intempetie, saoitatis nulla supersunt vestigia: adde quod à priuatione habitus deouo comparati non potest, hic autem alienatio est temperamenti. Hippoc. libro de vulneribus capitis, ex vulneris specie præcipua sumit prognostica, rimas occultas periculosas esse vult: sed quintam speciem fracturæ, quam recentiores ἀπήχημα vocant, periculosissimam scribit, & ideo calamitatem vocat. Ex superuenientibus signis (ἐπιγινόμενα dicunt) prognostica peti possunt: Quoties enim hæc superueniunt, morbi magnirudinem denuntiant. Sic in pleuritide & peripneumonia aloi fluxus superueniens malum, Apboris. 16. sect. 6. sic in angina capitis dolor prægraodis & fecum iniussa excretio desperatam anginam prænuotiant: fit enim dolor per expressionem seri in iugulares venas & carotides arterias, quæ prorepunt ad capnt. Excretio autem fecum iniussa, fit à forti lati laryngis obstructione, vnde fumidus vapor cum liberum non habeat exitum, diaphragma & musculos abdominis comprimit: sic in hepate siogultus superueniens malum. Ex epiphænomenis & apparentibus signis, maxima salutis & mortis, celeritatis & tardiratis, securitatis & periculi petunturindicia. Talia sunt cruditatis & coctionis signa: sic sputum in pleuritide, breuiorem aut longiorem morbum prænuntiat, deiectiones in morbis aluinis, vrinæ in hepatis & venarum affectibus; sed de his lib. 1. satis fuse disputauimus.

In morbo tria consideranda.
Pathognomonica signa pleuritidis.
Epigenomena.
Epiphanomena.
Morbi quidam in sua specie lethales.
Intemperies æqualis aque.
Cur insanabilis.
Ex superuenientibus quæ progn. peti possunt
Prognostica ex epiphanomenis.

Prognostica ex Ægrotantis natura petenda, ac primum ex qualitate corporis.

CAP. IV.

IN ægris tria spectare debet Medicus, qualitatem corporis, actiones & excrementa. Qualitatem habitumue considerat Hippoc. in colore, figura & mole totius, sed præsertim faciei, quod hæc prima omnium sese det in conspectum Medici. Faciei color multiplex esse potest, sed triplicem præcipue obseruat Hippoc. rubrum, liuidum, nigrum: Rubor faciei non refluus,

Tria in ægro spectanda.
Faciei color multiplex.
Rubor triplex.

fluus, vt in his, qui verecundia erubescunt, sed aliquantulum stabilis, (πρόσωπον ἐξέρυθρον vocat in prorhetico) triplex est: Naturalis isque cum decore, laudabilis est: Non naturalis, apparet ad futuram hæmorrhagiam criticam, & contra naturam faciem vultuosam appellat in Coacis & aspectu terribilem, quam lethalem iudicat: phrenitidem enim aut conuulsionem prænuntiat ab incendio cerebri. *Liuidus color.* Liuidus color perpetuo lethalis; tum in solidis partibus, tum in excrementis, prog. noua sect. 1. oculorum venæ liuentes pessimæ. Prognosi vndecima eiusdem sectio. palpebra liuescens lethalis. Aphor. 68. Coacarum. Quæ liuent in febribus, mortem in propinquo esse significant. Eodem lib. lingua liuida mortifera est. Niger color idem fere minatur periculum, peius tamen est partes liuere quam nigrescere, quia fit interdum nigredo per decubitum humoris atri: sic sæpe vrinæ nigræ funduntur, at liuor natiui caloris exstinctionem perpetuo arguit.

Figura faciei duplex. Similis. Dissimilis duplex. Deprauata. Cadauerosa. Moles faciei.

Figura faciei duplex est, aut similis, aut dissimilis. Quæ similis est sanorum, maxime vero sibi ipsi, laudatur Aph. 4. sect. 1. prognost. Dissimilis aut est deprauata, aut omnino à se mutata & pene emortua. Deprauata cernitur in oculorum & narium peruersione; de qua aphor. 49. sect. 4. In febre non intermittente si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertantur, in propinquo mors est. Quæ omnino à se mutata est, describitur in initio progn. (πρόσωπον διεφθορὼς vocat in Coacis, alibi faciem cadauerosam.) Est autem eiusmodi. Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidæ & contractæ, cutis circa frontem dura, calor totius faciei niger, aut liuidus.

Moles in crassitie & tenuitate spectanda est. Apho. 28. sect. 2. Febricitantium non omnino leuiter corpus permanere, & nihil minui, vel etiam plus quam ratio postulat contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc maximam imbecillitatem significat. In Coacis prænotionibus, facies ex tumescente residens salutaris: Et sectione quinta libri secundi Epide. Sic cui febricitanti facies die critico extenuetur, sequenti die soluetur omnino morbus.

Prognostica ex actionibus petenda, ac primum quæ ex animalibus actionibus.

CAP. V.

EXplorata corporis qualitate (quia hæc prima omnium sese dat in conspectum) actiones omnes percurrere debet Medicus. Actionum aliæ sunt animales, aliæ vitales, aliæ naturales. Animales à Galen. ita distinguuntur, vt aliæ sint κινητικαὶ, id est, motrices, aliæ αἰσθητικαὶ, id est, sensificæ, aliæ ἡγεμονικαὶ, id est, principes. *Animalium facultatum distinctio.* Sentiens facultas duplex, interna; cuius obiectum commune est, (Philosophi sensum communem vocant, quod ad eum tanquam censorem & iudicem externorum sensuum spectra ferantur) & externa; cuius obiectum singulare est. Principes facultates tres sunt, imaginatio, quæ spectra ab omni materiæ contagio libera concipit, ratiocinatio, quæ vniuersalium rerum ideas speculatur, & memoria, quæ notionum omnium communis arcula singula seruat & condit. Ab his omnibus prognostica signa eruuntur. Atque vt à motrice aggrediar:

Motricis prognostica. Decubitus differentia.

Motrix facultas vel debilis est vel deprauata. Debilitatis signa in decubitu & tremore latent. Decubitus aut naturalis est, aut contra naturam. Naturalis & sanorum similis is est, qui fit in alterutrum latus, manibus, pedibus cruribusque modice reflexis, quæ figura media est: hunc laudat Hippocra. 1. prognost. Optimi (inquit) sunt decubitus, qui sanorum similes exsistunt, & aphorism. 6. sect. 2. Prognost. Conuerti facile conuenit ægrotum, & in attollendo se leuem esse. Decubitus contra naturam, aut pronus est, aut supinus. Pronus delirii signum est, modo torminum, aut consuetudinis & mollitiei nulla sit excusatio, aphoris. 18. sect. 1. prognost. Supinus peior est, quia maximam motricis imbecillitatem arguit: Quod si prolabatur in pedes (ἐῤῥιφὼς vocat Hippocrat.) pessimum Aphor. 14. sect. 1. prog. signum. Est enim nota emortuæ & exstinctæ omnino facultatis. *Tremor.* Tremor symptoma est etiam imbecillioris motricis facultatis, sed ille tantum lethalis est, qui ab exhausto fit: si acute febricitantes & phrenitici fere omnes, tandem tremuli moriuntur. *Deprauata motricis symptomata.* Deprauati motus voluntarii symptoma est conuulsio vniuersi corporis, aut partium. Conuulsio vniuersi corporis si sit ab inanitione, lethalis. Aphoris. 3. sectione quinta. Conuulsio particularis periculo non vacat: sic temporalium musculorum conuulsio, quæ dentium stridore denuntiatur, praua est; progno 20. sect. 1. Dentibus stridere in febribus, si cui à puero familiare non sit, furiosum est & lethale, & aph. 60. Coacarum. Qui ad manum exsiliunt, male se habent.

Sensificæ facultatis Progn. Sentiens interna. Tria ad dolorem requiruntur.

Sensifica facultas duplex est, interna & externa. Internæ prognostica petuntur ex ἀναισθησίᾳ, id est, sensus vacuitate irritatis sensibus sic in dolorificis caussis non dolere pessimum, aphoris. 6. sect. 2. Quicunque dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat, id est, sensus communis: Tria enim ad dolorem requiruntur, agens, patiens & diiudicans: agens obiectum est dolorificum, intemperies & solutio continui, patiens pars est sensibilis: diiudicans, sensus est communis, qui in cerebro pro tribunali sedens, ante se positas & ad pedes genuaque iacentes ge-

tes rerum imagines contemplatur. In sitifera caussa non sitire, malum: Aphor. 59. Coacarum sitis, quæ præter rationem in acuto morbo sedatur, omnino mala. Sic phrenitici βραχυπόται, id est, parum & raro bibentes, tandem trimuli fiunt, aut conuelluntur. Externæ facultatis sentientis signa prognostica, in singulis αἰσθητηρίοις, id est, sensuum organis, apparent; vt oculis, auribus, lingua. Aphoris. 49. sect. 4: Si cui in febre acuta videndi vis, audiendiue pereat ægro iam debili exsistente, in propinquo mors est, & in Coacis prænotionibus: In acuta febre aures obsurdescere furiosum.

Sentiens externa.

Principum facultatum prognostica in mentis constantia, aut inconstantia, morum similitudine, aut dissimilitudine lucent. Aphor. 33: sect. 2. In quouis morbo mente constare & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contra vero malum. Aphorism. 110. Coacarum: Quæ circa res necessarias versantur deliria, pessima, apho: 52. eiusdem operis. Moderati hominis proterua responsa, malum denuntiant, & Aphor. 48: præter consuetudinem quid facere malum est & dementiæ proximum.

Principium facultatum prognost.

Ad animales facultates refert Hipp. somnum & vigiliam; neque id immerito. Somnus enim definitur ab Aristotele ἠρεμία τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, id est, quies primi sensorii; & à Gal. facultatum animalium quies. In prognost. interdiu vigilare, noctu dormire bonum, at neque noctu, neque interdiu dormire malum, Aphor. 1: sect. 2: In quo morbo somnus laborem facit mortiferum, Apor. 2. Vbi somnus delirium sedat bonum: Aphor. 133. Coacarum; somni profundi nec turbulenti firmam & stabilem crisin significant.

Somnus quid.
Prognostica ex somno.

Prognostica quæ ex vitali facultate petuntur.

CAP. VI.

Vitalis facultas spirituum procreatrix, in sanguineis & perfectis animalibus, duobus indiget ad sui conseruationem, pulsu, & respiratione; Ex his ergo prognost. signa eruenda sunt. De prænotione ex pulsibus. Hippocrat. ne verbum quidem vllum in progno. non tamen eam videtur omnino ignorasse. Nam libello de alimento, de humoribus & secundo de morbis, pulsus morbi & sanitatis signa esse vult Herophilus arteriarum pulsus morborum indices miro artificio expressit. Galen. modulos omnes & quasi metricas leges, nec non rationem prænoscendi libris decem & septem ita accurate exposuit, vt seipsum ea in re vicisse videatur. Celsus pulsui tanquam fallacissimæ rei fidendum non esse scribit, & sane (si verum amamus) fallit sæpe arteria, nisi ratio summa prius adhibeatur, quam præsagium edas. Sunt peculiares quorundam naturæ, in quibus sæpe obscurus, alias nullus omnino percipitur pulsus. Multa sunt quæ momento pulsum immutant, vt omnia animi pathemata: Nihil ergo de pulsu statuendum, antequam externarum caussarum vis deferbuerit, omnisque sedata sit corporis perturbatio. Priusquam de pulsu certum edat præsagium Medicus, caussas omnes alteratas percurrat animoque perlustret: Eiusmodi autem trium sunt generum. Naturales, non naturales, & præter naturam. Ad naturales refero sexum ætatem, temperiem, habitum corporis, anni tempus. Non naturales aut sunt necessariæ, vt aër, cibi & potus, somnus & vigilia, motus & quies, affectus animi: aut non necessariæ, vt balnea, Venus cæteraque id genus. Hæc omnia pulsum immutant varie, prout facultatem validam, vel imbecillam reddunt; vsum augent, vel minuunt, arteriam duriorem, vel molliorem reddunt: Sunt enim tres tantum pulsuum continentes caussæ, efficiens facultas vitalis, finalis (vsum vocat Galen.) nutritio; temperatio, expurgatio & instrumentaria, arteria scilicet.

Pulsum non ignorauit. Hippoc.
Gal. in pulsuum doctrina excelluit.
Pulsus sæpè fallit.
Quæ obseruare debet medicus antequam de pulsu præsagium edat.
Pulsuum caussæ continentes tres.

Ex pulsu salutis & mortis certissima petuntur indicia: Pulsu enim constante nemo interire potest, solus hic vitæ & cordis fidelis est nuntius. Ergo solus hic virium & facultatum vitalium index erit. Pulsus magnus vehemens, validus securitatem perpetuo pollicetur, languidus vero, debilis & paruus imbecillæ facultatis est nunnius: Inæqualitas pulsus semper damnatur si perseueret. Intermissio iuuenibus periculosissima: repentinam quippe illis mortem minatur, nisi ex arteriarum obstructione & oppressione fiat, minus pueris, minime senibus. Reliqua ex Galen. scriptis repete.

Pulsus vires indicat.

Respiratio cum ad vitalis facultatis subsidium sit comparata, eius etiam robur atque constantiam ostendit. De respiratione multa Hippoc: in progn. & epid. Aphor. 24. sect. 1. prog. Respiratio facilis & libera in omnibus morbis acutis præclare semper ad salutem apparet & facit. Aphoris. 23. eiusdem sect. Respiratio frequens & parua, aut dolorem, aut inflammationem partium diaphragmate superiorum denotat. Respiratio magna & ex longis interuallis signum est delirii Respiratio parua, minutula & rara, interitus iam iam futuri certissimum est indicium: Respiratio frigida è naribus & ore ducta, perniciosa est.

Progn respirationis.

H Progno-

Prognostica quæ ex facultate naturali petuntur.

CAP. VII.

Hypochondria naturalis œconomiæ dispositionem indicant. *Hypochondrium naturaliter constitutum.* *Inæqualitas triplex.* *Distentionis caussa triplex* *Contractio hypochondrii.*

NAturalis facultatis prog. ex coctione primum petenda sunt; coctionis autem signa in vrinis & deiectionibus maxime sunt conspicua, de quibus sequenti cap. disputabitur Sed inter cætera naturalis æconomiæ bonam aut malã διάθεσιν demonstrant hypochondria. Maxima sane ex hypochondriis salutis aut mortis petuntur indicia: Nulla fere in arte medica prognosis recte instituitur, quæ hypochondriorum contractũ non admittat. Hypochondrium (ait Hip. aphor. 26. sect. 1 Progn.) optimum est, ἀνώδυνον τὲ ἐὸν καὶ μαλθακὸν καὶ ὁμαλὸν, id est, doloris expers, molle & æquale. Contra inæquale & dolorificum pessimum. Inæqualitas porro hypochondriorum triplex à Gal. obseruatur, in qualitate scilicet, in quantitate, & in consistentia. Qualitatis inæqualitas cernitur, cum calent ea, reliquis partibus algentibus: De ea inæqualitate loquitur Hippoc. apho. 4. sect. 2. progn. Caput frigere, manus, & pedes, ventre costisque calentibus, malum; optimum vero est totum corpus æqualiter calidum esse ac molle. Quantitatis inæqualitas duplex est, distentio scilicet & contractio. Distentionis caussa triplex, inflammatio, inflatio à flatulento spiritu, & scirthus. Contractio nunquam fit proprio vitio hypochondriorum, sed alieno, vt à diaphragmatis inflammatione. Diaphragma enim inferiore parte tegitur peritonæo, quod viscera omnia & partes in ventre inferiore contentas instar sacci complectitur: itaque dum retrahitur ab inflammatione diaphragma, trahit secum peritonæum, & cum eo naturalia omnia organa; hinc hypochondriorum intro sursum retractio.

Prognostica ex excrementis petenda vniuersalibus, ac primum ex sudore.

CAP. VIII.

In sudore quinque spectanda. *Quantitas.*

TErtius superest signorum prognosticon fons ab excrementis hauriendus. Excrementa alia sunt vniuersalia, alia particularia. Vniuersalia quatuor sunt, sudores, vrinæ, deiectiones, vomitus. In sudore quinque spectanda sunt quantitas, qualitas, tempus, excernendi modus & locus. De quantitate hæc prima lex sanciatur. Vt nihil paucum est criticum, ita quod nimium est, damnatur. Quod enim paucum excernitur, aut malignos & multos humores naturæ dominatu regi non posse, aut summam naturæ fatiscentis exsolutionem denuntiat. Aphor. 1. Coaca. Qui ex rigore perfrigidi, exiguo sudore madent, vt se collegerint, moriuntur. Aph. 43. eiusdem operis. οἱ ἐφιδρῶντες ἐν πυρετῷ κακοήθεες, id est, qui leuiter exsudant in febre, maligne habent

Qualitas sudoris. *Frigus duplex, priuatiuum & positiuum.*

Qualitatem sudoris considerat Hippocrat. in calore & frigore. Debet salutaris & criticus sudor calidus esse, non frigidus. Aphor. 37. sect. 4. Frigidi sudores cum acuta febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant. Est enim frigus duplex, aliud priuatiuum, alterum positiuum; Illud fit per absentiam natiui caloris ab interceptione, retractatione, inopia; Interceptio obstructionem, retractio phlegmonem, inopia exhaustum indicat, quorum quodlibet pessimum est. Positiuum frigus fit per præsentiam humoris frigidi, pituitæ scilicet acidæ, aut vitreæ, quæ cum difficile excutiatur, longitudinem arguit morbi.

Tempus sudoris. *Excernendi modus.* *Locus.*

Tertio requiritur tempus sudoris, id est, dies criticus: Qui enim aliis diebus erumpunt, suspecti esse solent. Aphor. 36. sect. 4. Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, &c. Qui vero non ita fiunt, laborem, & morbi longitudinem, & recidiuas significant. Excernendi modus maxime etiam spectandus est. Debet confertim, non sensim & paulatim erumpere sudor, qui enim sensim stillat ab exsolutione est, qui confertim ab excretione. Posttemo locum sudoris considerat Hipp. Bonus ille est, qui per totum corpus effluit, prauus autem, quo caput tantum, ceruix & clauiculæ roris instar exsudant. Hæc omnia vnico Aphor. complexus est mirus Hip. sect. 1. progn. his verbis. Sudores optimi sunt in omnibus morbis acutis, qui diebus criticis contingunt: Boni etiam sunt, qui per totum corpus fiunt. Pessimi autem sunt frigidi, & qui tantum circa caput, faciem & ceruicem exudant. Hi enim cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore vero longitudinem morbi prænuntiant.

Prognostica vrinarum.

CAP. IX.

EX vrinis certissima coctionis & cruditatis, salutis & mortis petuntur indicia: coctionis quidem & cruditatis primo & per se, quia vrina hepatis & venarum est excrementum, salutis & mortis per accidens. In vrinis duo obseruare debet Medicus, liquorem & contenta. In liquore tria spectanda sunt, substantia, quantitas & qualitas. Substantia aut tenuis est, aut crassa,

sa, aut mediocris, eaque vel perspicua, vel turbulenta. Vrina tenuis vel est cum febre, vel sine febre. Quæ sine febre, meatuum tantum vrinæ dicatorum, aut hepatis, lienis, & viscerum obstructionem arguit, nonnunquam etiam paroxysmum epilepticum minatur iis, qui morbo obnoxii sunt. Quæ est cum febre, cruditatem in vniuersum arguit, & si summa adsit virium imbecillitas, mortem, aut periculum ingens minatur: sin autem constent vires, morbi longitudinem, aut abscessum imis in partibus prænunciat. Crassa vrina talis est, aut μετρίως, id est, moderate, aut ὑπερβολικῶς, id est, in excessu. Quæ moderate crassa est laudatur: arguit enim caloris natiui robur, cuius impetio τῷ ὁμοφύλῳ congregantur. Quæ crassissima est, dolores, abscessus prauos, morbi longitudinem, recidiuas prænunciat, quia ut propter nimium calorem, aut propter immodicum frigus aut ob partium diuersæ naturæ confusionem talis euasit. Vrinæ perturbatæ in febre acuta cum virium robore diuturnitatem, cum imbecillitate mortem significant: quod si perturbatæ mingantur, & tales remaneant, sintque iumentorum similes, dolorem capitis, delirium, conuulsionemque præsagiunt.

Substantia vrinarum. *Tenuis vrina quid indicet.* *Crassa vrina quid indicet.* *Vrinæ perturbatæ.*

Prognostica ex vrinarum quantitate hæc sunto. Copiosa vrina si ab euidente caussa non fiat, aut à naturæ motu, (vt in peritrbœa critica contingit) semper praua est, & vt signum, & vt caussa; vt signum, quia vel humoris crudi abundantiam, vel renum calidiorem intemperiem, aut eorundem exsolutionem, aut denique totius corporis colliquationem indicat; vt caussa, quia vires deiicit, spiritus natiuumque calorem dissoluit. Pauca vrina sine febre, aut meatuum vrinariorum obstructionem, aut excretricis & secretricis renum facultatis imbecillitatem arguit: Cum febre acuta, si nulla sit excusatio sudoris critici mox erupturi, aut maximum indicat incendium serum exhauriens, aut serosi humoris translationem symptomaticam ad superiores partes, vtraque caussa lethalis est.

Prognostica ex quantitate vrinæ. *Copiosa vrina quid indicet.* *Pauca vrina.*

Qualitas vrinarum in colore potissimum & odore spectanda est. Colores aut extremi sunt, aut medii: extremi duo, albus & niger. Intermedii quam plures. Albus color sine febre nihil lethale præ se fert, cum febre, periculosus est: quia vel summam natiui caloris imbecillitatem ostendit, vel vniuersæ bilis translationem ad caput, vel magnum hepatis incendium, quo sanguis vna cum bile absorbetur. Vrinæ nigræ, si tales sint generatione perpetuo sunt lethales, quia aut natiui caloris exstinctionem denotant, aut maximum incendium omnia torrefaciens: Si tales sint permistione humoris atri, salutares aliquando & criticæ esse possunt. legite quæ de albis & nigris vrinis fusius annotauimus ca. 8. l. 1. Vrina prærubra, si talis sit ab inflammatione seri, initio morbi longitudinem arguit, in statu vero mortem: si rubra sit bilis permistione, aut hepatis inflammationem denotat, aut ductuum vesiculæ felleæ obstructionem: si talis sit permistione sanguinis (cruentam vocant) aut est ab vniuerso corpore, aut à renibus & vesica: Ab vniuerso corpore, ob plethoram, vel suppressionem solemnis vacuationis, vt mensium, hæmorrhoidum. Si à renibus, id per anastomosin, diapedesin & diæresin contingere potest, ab erosione & ruptione periculosa est. Atque hæc sunt, quæ in liquore obseruare debet Medicus. Quæ autem in contentis luceant, & quæ ex his prognostica peti possint, capite nono lib. 1. exposuimus, quæ hic repetere non lubet.

Qualitas vrinarum. *Alba vrina quid indicet.* *Nigra.* *Rubra vrina multiplex.*

Prognostica ex deiectionibus & vomitionibus petenda.

CAP. X.

IN deiectionibus, quas διαχωρήματα aut ὑποχωρήματα appellare solet Hipp. quinque obseruare debet Medicus, substantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, & excernendi modum. Si substantiam spectes, optimum est (ait Hipp. aphor. 13. sect. 2. progn.) excrementum alui molle, cohærens & moderate crassum. subiungit postea aphor. 16. omne excrementum crassescere debet, eunte ad iudicationem morbo. Contra aquosum valde & liquidum prauum. Qualitas in colore & odore consideranda est. De varietate & prognosi colorum in deiectionibus, hoc protulit edictum aphor. 20. 21. 22. 23. sect. 2. progn. Album excrementum aut viride, aut vehementer rufum, aut spumosum prauum est: His vero magis lethalia fuerint nigra, aut pingua, aut liuida, aut æruginosa. In Coac. prænot. si cui febricitanti bilis atra sursum deorsumue exeat, lethale. Excrementa κάκοδμα, id est, male olentia damnantur. Quantitatem & tempus designauit Hipp. eadem sect. Aphor. 13. Copia cibo ingesto proportione respondere debet, & apho. 15. Quin & pro copia ingestorum egerere oportet bis aut ter in die, noctu vero semel, sed plura mane, quemadmodum consuetum est homini. Postremo excernendi modus considerandus est. Debet non multum & sæpe excerni, quia periculum est, ne in animi deliquium incidat: frequens enim & plurima vacuatio est periculosa: Nec sæpe & parum; fatigatur enim (ait Hip. Aphor. 19. sect. 2. progn.) homo, si frequenter surgere cogatur, & vigilias vtique contraxerit. Hoc idem in coacis breuius scriptum legitur. Deiectio, quæ multum ac sæpe mouetur, aut sæpe ac parum praua est; hæc enim vigilias, illa autem virium exsolutionem forte intulerit.

In deiectionibus 5 obseruanda. *Substantia.* *Qualitas.* *Quantitas & tempus.* *Excernendi modus.*

Vomitionis eadem fere est ratio, quæ deiectionum. Vomitus ille apud Hipp. laudatur, qui pituitam exhibet accurate mixtam cum bile, qui neque admodum crassus, neque multus: Vomitus autem porraceus, niger ac liuidus pessimus. Est etiam lethalis rubor vomitus, maximeque si ægre vomatur. Si vero omnes colores idem homo vomit, valde perniciosum hoc est. Atque hæc sunt excrementa vniuersalia, seu communia, quæ in quibusque morbis communiter apparent, eosque soluunt. Particularia cerebri, oculorum, aurium, thoracis, ventriculi, intestinorum, renum, vteri excrementa, in particularibus morbis describenda sunt. Nos generalem tantum hic methodum præscribimus, propterea que præcipua tantum prognoseos capita, quæ ex morbi specie, magnitudine, motu, & ægrotantis natura, qualitate scilicet, actionibus & excrementis peti possunt, perstrinximus. Reliqua ex Hip. progn. prorrhetico & Coac. repetenda sunt.

FINIS.



INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR, copiosissimus.

A.

B.

C.

D.

 Dia-

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

FINIS.

MIRA-



DE MIRABILI STRVMAS SANANDI VI SOLIS GALLIÆ REGIBVS CHRISTIANISSIMIS DIVINITVS CONCESSA.

LIBER PRIMVS.

Quo tempore, & quo modo soleat Rex tangere Strumosos; & quid in solenni illo ritu ac sacro mysterio à Rege, Medicis, Aegris, & ministris peragatur.

CAPVT I.



VLTA in naturæ majestate abdita sunt, quæ naturæ genius & interpres Aristot. ἀναπόδεικτα putat, quæ nec demonstrari, nec sciri possunt: eorum tamen certa quædam & constans est ratio: Quia nihil in natura sine natura, id est causa naturali fit.

Multa sunt in natura quorum causa nos latent.

Plæraque sunt (ait Metrius Florus apud Plutarchum) quorum cùm veritas certa sit, tamen causæ nos latent: eas enim sacro inuolucro regit natura. Multa viribus imaginationis, animæ imperio seruitio corporis vtentis, turbulento & inordinato caloris, ac spiritus intro reuocari moxque subsilientis motu quotidie fiunt, quæ imperitum vulgus miracula esse credit; sapiens vero rei quidem admiratione primùm capitur, sed vt animum expleat causas perscrutatur, nec ante conquiescit quàm eas omnino cognitas habeat. At quæ supra naturam sunt, quorum principium non est rei singularis natura, sed sola Dei voluntas absoluta & potestas extraordinaria, qualia sunt quæ ordine gratiæ & miraculoso fiunt, ea inquam humani ingenij vires obscuris vallatas cancellis superant. Hanc sapientiam sibi Deus reseruauit, nec Angelos quidem primo & per se illius voluit esse participes: cur ergo nos homunculi indignamur; si recondita hæc mysteria ignoramus? Desipiunt procul dubio in hac re qui nimium sapiunt & frustra de metaphysicis quæruntur physicæ rationes. An non mirum est contumacem morbum & sæpe insanabilem, Strumas dico, quæ diu Chirurgum fatigarunt, pharmaco & accurata medentium manu curari non valuerunt, à Rege Christianissimo solo contactu, & verbis quibusdam prolatis perfectè sanari? Hic hærent philosophi, cœcutiunt medici, stupet prophanum vulgus: solus ille cui Euangelicæ Legis splendor affulsit & qui vidit, id credet. Res tamen Gallis, Italis, & Hispanis omnibus est notissima. Veniunt singulis annis plusquam quingenti homines ex Hispania, remedium sanitatis gemitu & precibus exposcentes. Vidi ego infinitos glandularum tumoribus prægnantes, vlceribus sordidis squallentes, diuersæ ætatis, habitus, temperamenti, sexus, variarum regionum & nationum, diuersis anni temporibus à Rege Christianissimo citra vllam opem medicam perfectè sanatos.

Libro III. Sympos.

Quæ suprà naturam sunt ingenii humani captum superant.

Strumas solò contactu sanari.

Obscurum sanè, sed elegans argumentum à nemine adhuc explicatum. Liceat ergò mihi in eius enarratione aliquantulum spatiari; mihi inquam Regio Medico & Primario, cui strumosus probandi, & Regi ipsi offerendi prima prouincia delegata est. Vt autem ordine progrediatur hæc oratio, primùm quæ ad historiæ veritatem spectant, id est quid in solenni illo ritu & sacro mysterio peragatur, quid Rex, quid medici, quid ægri, quid adstantes faciant enarrabo; deinde quomodo id fiat naturaline an supranaturali vi explicabo.

Authoris institutum in hoc opere.

Descriptio elegans solennis ritus. Solet Christianissimus Rex quatuor statis solennium festorum anniuersariis, Paschatis, Pentecostes, omnium Sanctorum, & Natalis Domini strumosos tangere, sed aliquando infirmorum supplici multitudine permotus, præter hæc alio etiam festo idem tactus salutaris opus molitur: ad quod inquilini & aduenæ complures accurrunt, gratia conquirendæ sanitatis alibi negatæ. Inter quos Hispani, Belgæ, Germani, Itali, Lotharingi, & per opportunitatem auctiore numero Galli, iure quodam patrio à suo Rege recuperandæ sanitatis munus sibi magis vendicantes. Pridie solennis illius ritus à numinis cœlestis fauore sibi conciliando Rex auspicatur, precibus vespertinis aliquoties antelucanis incumbens. Subsequente die delicta piè & humiliter confessus, ad sacro-sanctum sublimioris Missæ mysterium audiendum se separat, quo peracto panis cœlestis ac Deifici assumptione præmunitur. Mox tanti sacramenti participatione igne charitatis totus exardescens locum aditu amplissimum ægris excipiendis opportunum. Nam sæpe contigit nobis supra mille & quingentos infirmos numerasse, præcipuè circa Sancti Spiritus solennia; tum quod ille gratiis circumfluens quemlibet vocantem audiat & inundet; tum quod hac tempestate cœli serenitas & maris tranquillitas cuilibet extraneo faciliorem aditum præbeat. Vt autem clariùs tanti charismatis decoreffulgeat, nec vt simulati morbi per laruatos mendicos stipes strumosis destinata in alienos vsus deriuetur, omnes quotquot affluunt ægri ab Archiatro cœterisque medicis & chirurgis Regijs ex arte & exactè peruestigantur, probantur, iisque referentibus, soli strumosi curandi admittuntur, reliquis depulsis cum tanto acclamantium strepitu, vt ad sedandos tumultus, & in stationes ordinatas ægros locandos Regij stipatores, & speculatores palatii multum laborent. Hispani nescio quo priuilegio primos ordines occupant, quos cœteri sequuntur aduenæ, atque eosdem Galli omnium postremi: qui omnes flexis poplitibus, manibus ad cœlum appressis votisque supplicibus ad Regiæ maiestatis genua prouolut, diuinum præstolantur auxilium. Hac ergo serie per ordines compositi, Rex scintillantibus hinc inde Regiæ charitatis igniculis, & corde ad terram depresso assistentibus Principibus & Reuerendissimis Ecclesiæ Romanæ primarijs patribus cum magno Eleemosinario, per peculiarem Dei conuocationem ritum orditur, & præuio Sanctæ crucis signaculo sic apud infirmos se comparat. Primarius Medicus stans retrò posticam capitis ægri cuiusque partem comprehensam Regi profert, qui manum salutiferam explicans primò rectâ & in longum faciem, mox eandem in latum cruciatim tangit, hæc verba cœlestem medelam stillantia gallico sermone emittens LE ROY TE TOVCHE, ET DIEV TE GVAIRIT. Rex te tangit, & Deus te sanat, apposito statim Crucis signaculo; atque idem seriatim agit in reliquis, singulos quos attigerit dimittens, quibus erogatur eleemosina. Et hic totius ritus curandarum per Regium contactum scrophularum ordo est. Multis dolores acerbissimi statim sedantur, Quibusdam vlcera siccescunt, aliis tumores minuuntur & intra paucos dies (dictu mirum) ex mille plusquam quingenti perfectè sanantur.

A quo tempore cœperunt Reges Christianissimi strumosos sanare.

CAPVT. II.

Vis sanandi strumas à Clodoueo manauit in successores. MIRA hæc strumas per solum contactum sanandi vis solis Galliæ Regibus Christianis diuinitùs concessa, à Clodoueo primo Rege Christiano per traducem hereditariam regni & sacram vnctionem ad successores omnes quamtumuis diuersæ familiæ migrauit, Et HENRICVS IIII. qui hodiè viuit Augustus, Fortunatus, Inuictus, eodem sanandi priuilegio fruitur, nec cuiquam etiam pauperrimo hoc auxilij genus vnquam denegauit. Accepit autem primus Clodoueus cœlesti quadam prærogatiua hoc χάρισμα id est gratiam gratis datam, per vnctionem factam. Nam cum esset idolorum cultor, Clotildis vxoris piæ monitu & precibus, sacra lustratus aqua & cœlestis muneris chrismate deliburus Christi nomen professus est, fuitque a D. Remigio Rhemense Archiepiscopo vnctus Chrismate vt ferunt per columbam cœlitus deportato. Hoc D. Thomas, secundo de regimine principum confirmat his verbis. *Sanctitatis sacræ Vnctionis argumentum assumimus ex gestis Francorum & B. Remigij super Clodoueum Regem ex delatione olei desuper per columbam, quo Rex præfatus fuit inunctus & inunguntur posteri, signis, portentis ac varijs curis apparentibus in eis ex vnctione prædicta.* Vixit autem D. Thomas natione Italus, sub Ludouico Pio. Hunc locum Genebrardus in Chronico libro tertio, sub anno quadringentesimo nonagesimo octauo explicat de Strumarum curatione, quæ

Vnctio Sacra Clodouei signis & miraculis comitata. Regibus Franciæ fit per virtutem vnctionis sacræ. Et sanè eam Clodouei, postmodum Ludouici nuncupati, per B. Remigij ministerium vnctionem signis & miraculis comitatam fuisse constat ex epistola prima Hormisdæ Papæ ad Remigium Rhemensem Episcopum. *Vices nostras* (inquit) *per omne Regnum dilecti & Spiritalis filij nostri Ludouici, quem nuper administrante superna gratia plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandus signorum miraculis, cum gente integra conuertisti, & sacri dono Baptismatis consecrasti, saluis priuilegys quæ Metropolitanis decreuit antiquitas præsenti*

auctoritate committimus &c. Forcatulus libro primo de Imperio & Philosophia Gallorum rem totam eleganti historia illustrat. *Clodoueo* (ait) *intimus & fidelissimus vir fuit Lanicetus nomine, quo armigero & consiliorum hostilium exploratore vtebatur; Is strumis morbo & fœdo & pertinaci correptus, glandulis scilicet concretis circa guttur tumentibus, rusticorum experimento, & Cornelij Celsi libro quinto de re Medica, authoritate admonitus, si quis anguem comederit liberari; cùm id frustra bis tentatum esset, & medicina insuper herbis & ferro adurente armata ac vi morbi toties superata præ pudore delitescerer, per quietem visum est Clodoueo Regi se guttur Laniceti permulcere & attrectare, ac confestim cœlesti splendore & rutilis flammis totum cubile impleri; ac ibidem Lanicetum nullius cicatricis nota remanente sanum & integrum euadere. Lætior solito Clodoueus & pro amici salute anxius cùm primùm diluxit surgens, Deo primum operatus, periculum fecit an tactu suo morbum auellere quiret; vt quidem accidit plaudentibus cunctis, ac Deo gratias agentibus dulcissimo hymno & pro re nata accommodato. Quod Dei suauissimum beneficium & sanandi strumas facultas vt hereditas ad liberos & posteros Reges Gallorum sempiterna serie transmissa est, re diuina prius facta.* Morales tertia parte libri decimi tertij, capite quadragesimo nono, &. Robertus Cœnalis historiæ Gallicæ libro primo descriptionis Galliæ perioche decima quarta, alijque pij quidam viri ex cœlesti priuilegio à B. Marculpho impetrato, hoc beneficium Regibus Franciæ datum quo successores fruuntur affirmant. Vnde mos est vt ad eius templum in agro Laudunensi Reges quàm primùm vncti sunt proficiscantur. Sed eorum sententiam probare non possum, quia S. ille Marculphus non fuit temporibus Clodouei, sed tantum Childeberti & Clotarij secundi, vt patet ex Chronicis Sigiberti. D. Ludouicus Rex huic ritui de suo piè addidit signaculum Crucis, vt refert Guillelmus Nangius in vita Sancti Ludouici, huius sunt hæc verba: *In tangendo infirmitates quæ vulgò scrofellæ vocantur, super quibus curandis Franciæ Regibus Dominus contulit gratiam singularem, Pius Rex modum hunc præter Reges cæteros voluit obseruare. Cum enim alij Reges prædecessores tangendo solummodo locum morbi, verba ad hæc consueta & appropriata proferrent, quæ sancta sunt atque Catholica, nec facere consueuissent aliquod signum Crucis: ipse super consuetudinem aliorum hæc addidit, quod dicendo verba super locum morbi sanctæ Crucis signaculum imprimebat, vt sequens curatio virtuti Crucis potiùs tribueretur quàm Regiæ dignitati.* Et sanè diuina est & admiranda huius signaculi vis, vt testantur quæ narrat Nicephorus libro decimo octauo historiæ Ecclesiasticæ. Cùm Cosroes (ait) illustrem de Persis victoriam reportasset, & Turcas captiuos ad Mauritium Imperatorem Orientis dono mitteret, Mauritius eos signo Crucis in fronte insignitos cernens, sciscitatus est cur circumferrent signa quæ non colerent. Tunc respondisse feruntur, eos pestilentia graui laborantes à quodam Christiano admonitos fuisse vt se tali signo præmunirent; quod cùm fecissent à sæuitie morbi omnino liberatos fuisse. Bonifacius in canonisatione sancti Ludouici ad vrbem veterem, tertio Idus Augusti Pontificatus sui tertio. *Inter alia miracula* (inquit) *strumosis beneficium liberationis impendit.* De mira hac facultate sanandi strumas solis Galliæ Regibus à Deo concessa, & quòd iure hæreditario ad successores transfertur; loquuntur Ioannes Monachus; & Dominicus capite secundo de præbendis; Ioannes de Selua; secundo de Beneficijs, L. Paschalius Robinus; Guillelmus Benedicti senator Rothomagensis sub Ludouico vndecimo, Ioannes Ludouicus Viualdus de monte Regali, ad Ludouicum duodecimum, Bartholomæus Cassaneus Præses Aquensis, libro cui titulus, Cathalogus gloriæ mundi, Carolus de Grassatio libro primo, iure quarto Regalium Franciæ, Vincentius Sigonius; in allegationibus super bello Italico; capite octauo; Iacobus Bonaudus in panægyrico ad Franciscum primum Francorum Regem; Papirius Massonius libro tertio de gestis Francorum; Franciscus Marchis; Gillius in Ludouico nono, Antonius Cercetus de Regia potestate, Antonius Molinæus, Guido Cauliacensis Vrbani quinti summi Pontificis medicus, Ioannes Tagaultius libro primo Institutionum chirurgicarum; capite decimo tertio: vt non sit cunctandum profiteri, vim eam sanandi strumas solis Galliæ Regibus Christianissimis iure hæreditario concessam fuisse: Licet Guillelmus Tokerus Anglus libro quem inscripsit *Charisma, seu donum sanationis*, hunc veteris priuilegij splendorem Franciæ Regibus eripere conetur: non licuit mihi adhuc hunc librum videre, quamuis in eo perquirendo diligens fuerim: audio tamen multa ab eo temerè effutita absurda prorsus & ridenda; inter quæ hoc vnum ineptum est quod ait; Reges Galliæ per quandam propaginem; vim eam ab Angliæ Regibus accepisse, quia Francorum ferè totæ prouinciæ iurisdictioni Regum Angliæ subijciebantur: priusquam enim Angli Galliam occuparent Reges nostri strumosos sanabant. Fallitur etiam Polydorus Virgilius qui strumarum curationem tribuit Regibus Angliæ, libro octauo historiæ Anglicæ: Legimus quidem Eduardum mulierem quandam strumosam sanasse, sed vis ea in successores non manauit: id autem Eduardi Regis meritis concessum puto, qui ob insignem pietatem in Beatorum numerum adscriptus fuit: nam nec in bulla canonisationis D. Eduardi, nec in vita ejus conscripta ab Eilhedo Rhinaldis aliud legitur, quàm D. Eduadum mulierem quandam strumosam persanasse. Sic narrat L. Paschalius D. Marculphum curasse mulierem strumosam, & Robertum quendam: mirabilis enim in Sanctis suis Dominus. Commentitia quoque sunt quæ vulgus narrat omnes qui septimi nati sunt, nulla inter-

Historia Laniceti strumosi à Clodoueo sanati.

S. Ludouicus addidit signum Crucis.

Crucis vires admiranda.

Varii authores de curatione hac loquentes.

Guilhelmi Tokeri error.

Polydorus Virgilius conuellitur.

Quæ de maribus septimo numero dicuntur improbantur.

interueniente sotore, in tota ditione Regis Franciæ curate strumas, in nomine Dei, & Sancti Marculphi, si ternis aut nouenis diebus ieiuni contigerint; Quasi (ait Paschalius) sit hoc vestigium diuinum legis Salicæ excludentis fœminas. Quæ etiam de Barone D'aulmont Comite de Chasteau. Roux in Sequanis circum feruntur non probo: curare scilicet strumas filium eius familiæ primo-genitum, non contactu; sed panis benedicti eulogijs, quia fons ocius ditione, ad quem requieuere reliquiæ trium Regum. Solis Franciæ Regibus per traducem hæreditariam Regni; & sacram vnctionem facultas hæc conceditur. Id Galli omnes, Itali, Germani, Lusitani, sed inter cæteros Hispani profitentur, & credunt, qui salutiferam Regis manum quotidie experiuntur. Accepi à multis fide dignis Franciscum primum Gallorum Regem, dum captiuus detineretur; Hispanos & obuios quosque sanasse: quod Lascaris eleganti carmine expressit.

Solis Franciæ Regibus facultas sanandi strumas conceditur.

Ergo manu admota sanat Rex Chœradas: estque
Captiuus superis gratus vt ante fuit.
Indicio tali, Regum sanctissime, qui te
Arcent, inuisos suspicor esse Deis.

Hæc sunt quæ ad historiæ fidem, & sacri huius mysterij veritatem illustrandam hinc inde excerpsimus: quæ quidam fortasse non probabunt, sed sciant me hîc Historicum noo agere: hoc vnum docere his capitibus institueram, Reges Galliæ Christiaoissimos solo coutactu, & verbis quibusdam prolatis strumosos sanare. Cuius rei veritas cùm sit omnibus explorata; nunc quomodo id fiat naturali-ne an supra naturali vi explicemus.

Sanat Rex strumas, aut Regia prærogatiua: aut vi quadam familiæ Regiæ gentilitia & connata: aut contactu, strumosos enim tangit: aut verbis, quia certa quædam profert: aut viribus imaginationis: aut altiore quadam & supra naturali facultate, cuius authores duo tantùm esse possunt, Deus, & Cacodæmon. Quæ singula minutatim expendere placet, noo populari quadam trutina, sed exacta & philosophica statera.

An sola prærogatiua Regia Rex Galliæ Christianissimus strumas sanet: vbi Vespasiani, Adriani, Pyrrhi, & quorumdam Regum in ægris sanandis miracula vulgò credita examinantur & conuelluntur.

CAPVT. III.

Regum dignitas. Persarum Lex.

AVGVSTA semper fuit Antiquis & veneranda Regia dignitas, Persarum enim lege Rex habitus, Εἰκὼν Θεοῦ τὰ πάντα σώζοντος, imago Dei omnia seruantis, propterea Rege mortuo quinque diebus leges silere, & omnium rerum turbationem, vt discat populus quantum bonum sit Rex, & Lex: Homero Reges, Διογενεῖς id est Ioue nati; Διοτρεφεῖς, Iouis alumni, Κοσμήτορες καὶ Ποιμένες λαῶν, Ornatores & Pastores populorum dicuntur. Rex namque vinculum est per quod Respublica cohæret, Spiritus vitalis, per quem hunc tot millia trahunt: sine Rege populus est velut truncum corpus sine capite, sine spiritu, sine nomine: propterea Cappadoces (vt refert Iustinus Geogr. li. XII.) cùm Senatus consulto eis data esset potestas sine Rege viuendi negarunt se viuere sine Rege posse, quia Rex πατήρ est πολιτῶν, & anima regni. Ideo Regum apud Deos immortales maxima semper fuit cura, & Reges olim Dijs chari, quasique in delitijs; vnde Dij Regales apud Herodotum; Regum tutelæ & custodes, apud Plutarchum in Alexandro: Ζεὺς βασίλειος Iupiter regalis, apud Lucianum. Hinc & in litteris sacris, Prouerb. XXI. Cor Regis in manu Dei est, & Themistius Euphrades, τὴν καρδίαν τοῦ βασιλέως ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖσθαι, cor Regis manu Dei tanquam satellitio stipari scripsit, hocque esse ait Ἀσσύριον γράμμα, scriptum Syriacum. Reges aliquando Deos appellat Psalmographus: quoniam Dij fortes terræ eleuati sunt: & apud Paulum; qui ordinationi Regis resistit, Deo resistit. Tam Augustum est Regis nomen, vt Regibus multis, prærogatiua quadam Regia vis quasi cœlestis, diuinaque morborum curandorum data credatur; vt Vespasiano, Adriano, Aureliano Imperatoribus, Pyrrho Epirotarum Regi; Galliæ, Hispaoiæ, Angliæ, Hungariæ Regibus. De Vespasiano, hæc Suetonius in eius vita, & Cornelius Tacitus, libro quarto historiarum. *Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua eius aduoluitur, remedium sanitatis exposcens gemitu, monitu Sarapis Dei quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque Principem, vt genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger vt pede ac vestigio Cæsaris calcaretur orabat: Vespasianus primò irridere, aspernari, atque illis instantibus æstimari à Medicis iubet, an talis cæcitas, atque debilitas artuum ope humana superabiles forent: tandem Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam vltra incredibile, læto ipso vultu iussa exequitur, Statim conuersa ad vsum manus, ac cæco reluxit dies.* De Adriano, Ælios Spartianus hæc scribit. *Ea tempestate superuenit quædam mulier, quæ diceret somnio se monitam, vt insinuaret Adriano ne se occideret, quòd esset bene valiturus, quod cùm fecisset esse cæcatam: iussam tamen iterum Adriano eadem diceret, atque genua eius oscularetur, receptu-*

Dii regales. Reges Diis chari.

Oratione nona.

Psal. 49.

Epist. ad Romanos.

Vespasianus cæcum & mutilum curauit.

Adrianus ægros sanauit.

ceptura visum si id fecisset. Quod cum somnium implesset, oculos recepit, quum aquâ quæ in fano erat ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit; quo facto & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit. Narrat Dion Cassius ab Adriano, hydropicum quendam sanatum. De Aureliano hæc Vopiscus. *Quid illo viro sanctius, venerabilius antiquius, diuiniusque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam, Ille multa vltra homines & fecit & dixit.* Plutarch. in Pyrrho circa principium: Τοῖς δὲ σπληνιῶσιν ἐδόκει βοηθεῖν, ἀλεκτρυόνα θύων λευκὸν ὑπτίων τε κατακειμένων τῷ δεξιῷ ποδὶ πιέζων ἀτρέμα τὸ σπλάγχνον; οὐδεὶς δὲ ἦν πένης οὐδὲ ἄδοξος οὕτως, ὥστε μὴ τυχεῖν τῆς ἰατρείας δεηθείς. id est, *lienosis existimabatur Pyrrhus opitulari, quum Gallum gallinaceum album immolans, supinis iacentibus lienem pede dextro premeret leniter; neque erat adeò pauper quisdam aut abiectus, cui petenti denegaret curationem: peracto sacrificio gallum accipiebat, eratque hoc præmij ei gratissimum. Illius pedis fertur pollex diuina virtute præditus: at cremato post fata eius reliquo corpore repertus inuiolatus est, & intactus ab igne.* Id confirmat Plinius libro septimo; naturalis historiæ. Reges Angliæ de vetere Comitum Andegauensium progenie linea directa; curauere comitialem morbum, datis annulis quos epileptici pro amuleto gestarent; quales hodie dicuntur extare nonnulli in thesauris plærisque Galliæ. Polydorus Virgilius scribit annulum Eduardi salutarem fuisse membris stupentibus; hinc natum vt Reges Angliæ in die Parasceues multis ceremonijs sacrent annulos: & promptum est ex Anglicanis annalibus Regium annulum custodiri in archiuis VVestmonasterij templi. Eam autem annuli virtutem, à Iosepho ab Arimathia Angliæ hospite & patrono manasse ferunt; qui per annulos, & vires herbarum Cacodæmones fugabat, vt olim Salomon, teste Iosepho. Vidi (inquit Iosephus) Eleazarum quendam in conspectu Vespasiani, & multorum, admoto naribus Dæmoniaci annulo; sub cujus sigillo inclusa erat species radicis à Salomone indicatæ; dæmonem fugasse. Et sanè annulis miras olim fuisse vires, eisque ad morborum quorumdam medelas, & potentiam obfirmandam, antiquos Reges vsos fuisse tradunt quidam. Sic Agrippam annulo tradito ab Octauio Augusto morbos sanasse grauissimos refert Dion Cassius. Alexander Magnus annulo perdicæ porrecto delegit eum Imperij successorem. Apud Iosephum, Moses annulos amoris & obliuionis confecisse legitur. Erat apud Syreneos annulus Batti gratitudinis atque honoris habens argumentum. Eudamus Philosophus annulos contra serpentum morsus faciebat: & apud Platonem; Gygis Indorum Regis annulus mirandæ erat virtutis. Veneto Duci indultum ius quoddam aurei annuli ab Alexandro tertio Romano Pontifice. Sed hæc fortasse παρέργως, redeamus ad Regum admirandas sanationes. Regibus Hungariæ arquati morbi (Icterum vocant,) curationem datam ferunt. Cassaneus in catalogo gloriæ mundi. & Carolus Tapia in constitutionibus principum dicunt; Reges Hispaniæ signo crucis expellere Dæmones. Gregorius Turonensis historiarum libro nono, Guntchramnum Regem inguinariam pestem sanasse, & quartanam febrem testatur his verbis. *Ipse in Eleemosinis magnus, in vigilijs atque ieiunijs promtus erat. Nam tunc ferebatur Massilia à lue inguinaria valde vastari: sed Rex tanquam bonus Sacerdos prouidens remedia quibus mederetur; iussit omnem populum ad Ecclesiam conuenire, & nihil aliud in victu quàm panem hordeaceum cum aqua pura adsumi, vigilijsque adesse instanter omnes iubet: quod eo tempore ita gestum est; & cessauit lues. Item celebre tunc à fidelibus ferebatur, quòd mulier quadam, cuius filius quartano typo grauabatur, & in strato anxius decumbebat, accessit inter turbas populi vsque ad tergum Regis, abruptisque clam regalis indumenti fimbrijs in aquam posuit, filioque bibendum dedit. Statim restincta febre sanatus est.* Mirabilem ergo sanandi facultatem Regibus quibusdam sola prærogatiua Regia concessam fuisse: & Reges antiquos Dijs sacra fecisse, illisque ideo datam vim aliquam curandi existimarunt quidam.

Cap. 11.

Angliæ Reges datis annulis curabant epilepsiam.

Lib. 8. cap. 11.

Annulis quibusdam vires maxima data.

Hungariæ Reges icterū sanant.

Guntchramni Regis miracula in ægris sanandis.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique sacerdos. — *Virgil. III. Æneidos.*

Reges persarum Imperium à sacerdotio non segregant, vnde & Sophus nomen retinet à laneo velamento capitis, non precio; sed opinione sanctitatis miro. Melchisedech rex Salem sacerdos fuit Dei altissimi. Augustus sacerdotij dignitatem à Regia non separauit. Hyerosolymæ sacerdotes rerum gubernacula tenebant.

Ego verò donum sanationis Regibus Galliæ Christianissimis concessum, non puto ad solam Regiæ dignitatis conditionem referri posse. Cur enim cæteris Regibus denegaretur? Est tamen necessaria hæc conditio; quia nec fratribus, nec filijs Regijs; hæc vis sanandi strumas conceditur. Regia prærogatiua sola per se nihil potest ad profligandos morbos, nisi fortasse ex euentu aut altiore quadam vi, vt mox demonstrabitur. Nam quæ de Vespasiano, Adriano, Aureliano, Pyrrho, & cæteris narrantur miracula; fortasse commendititia sunt: multa enim spe gratiæ & quæstus adulatores de principibus mentiuntur: imò & principes ipsi vt gratiam & authoritatem sibi concilient, his artibus fictam simulatamque sanationem exhibent. Sed examinemus Vespasiani miraculum. Sanauit cæcum: quid mirum? fortasse cæcitatis causa leuis erat & fugax, vapor quippe spiritus obscurans, quem fiducia ægri & fortis imaginatio spiritus commouendo, tenuate & discutere potuerunt. Sanauit mutilum & imbecillitate artuum laborantem: quid inde? An non paralyticos vidimus subito metu perculsos, ira fremen-

Vespasiani miraculum examinatur.

Imaginationis vires. frementes, commotis spiritibus & humoribus, collectisque in vnum corporis viribus, derepente sanos euasisse? Quid enim non potest vis animæ corpori imperantis & ad illius nutum corpus agitantis? Quam admirandi sunt natiui caloris intro reuocati moxque subsilientis effectus: Eius rei luculentissimam fidem facit mutus Crœsi filius. Quum enim Perses quidam in Crœsum sibi ignotum irrueret, filius timens patri erumpensque in vocem, ira & metu percitus exclamauit. *Homo ne interficias Crœsum*: Atque hoc ille primùm effatus, qui antea mutus fuerat, postmodum per omne vitæ tempus distinctè locutus est: quia anima ira & metu agitata, accenso natiuo calore, impedimenta linguæ sustulit. Sed & neque insanabiles erant ægri Vespasiano oblati: nam cùm iussisset Imperator æstimari à Medicis, an talis cæcitas, & debilitas artuum ope humana superabiles forent: Medici (vt refert Tacitus) huic non exesam vim luminis, & redditurum si pellerentur obstantia; illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhiberetur posse integrari renuntiarunt. Si hæc non satis faciunt, dico astu & præstigijs Cacodæmonis simulatam fuisse hanc curationem; quod testatur Antonius Sabellicus, Enneades septimi, lib. tertio. *Mirum* (inquit) *quantum præstigiorum ipsius principis, & aliorum oculis offuderunt mali dæmones, per id tempus quo Vespasianus Alexandriæ fuit. Nam & Basilides libertus qui aberat, visus est illi sacrificanti ministrare, & mox paulò illum pro Tribunali sedentem, duo è plebe viri adierunt opem sibi orantes à Serapide demonstratam. Verebatur scilicet Dæmon ille, quem sub Serapidis nomine colebat Ægyptus errorum mater, ne piorum Ecclesia ibi constituta, ex vetusto illo ipsum exturbaret domicilio, prævidit que futurum, vt duo ægri vterque sua defuncturus esset clade, impulitque proinde ambos, vt à Vespasiano opem implorarent, vt cùm euentus securus esset, eius fauore qui erat rerum potiturus, oraculi maiestas augeretur.* Quæ de Adriano commemorantur, putat Marius Maximus per simulationem facta. Nam inter omnia maximè simulatur cæcitas: & potest Cacodæmon momento ferè cæcitatem inducere, luminis interni aditum ad cristallinum intercipiendo, & spirituum visilium influxum prohibendo. Quin & Adrianum fuisse medicum, & philosophum eximium ferunt, potuisse ergo arte medica & medijs naturalibus aliquos curasse. Alij magum fuisse prædicant, quia (vt refert Dion Cassius) aquam inter-cutem quibusdam incantationibus eduxit. Pyrrhi miraculum ridet Mirandulanus, tanquam commentum, Theologi in illis curationibus non agnoscunt manum Dei, sed dæmonis: infidelium enim opera, teste D. Augustino, ab immundis potius spiritibus manant. Ego, si aliquos sanauit lienosos Pyrrhus, causam refero, non ad contactum pollicis, sed ad ægrotantium imaginationem, & caloris ac spirituum motum: nam lienosi ferè omnes sunt melancholici, & πολυφαντασταί; In eos ergo multùm potest imaginatio, spiritus primæ animæ instrumenta fundendo, contrahendo, tenuando, dissipando, colligendo, dissoluendo. Vel dico arte Cacodæmonis Pyrrhum lienosos sanasse; nam & Gallum gallinaceum album immolabat, & peracto sacrificio, gallum accipiebat. De Hungariæ Regibus ictérum sanantibus, res non est ita explorata. Et de Hispaniæ Regibus signo crucis dæmones fugantibus non constat inter Hispanos. Angliæ Reges Epilepsiam curate datis annulis quidam prodiderunt; sed proferant nobis exempla? Quid si dicam posse id vi naturali, licère condita fieri? Annulus enim ex vngula Alces gestatus Epilepsiam soluere creditur, vt radix peoniæ collo appensa, & periapta multa.

Historia filii Crœsi qui mutus, ira & metu percitus vocalis extitit.

Simulata fuit à Cacodæmone curatio Vespasiani.

Adriani curationes simulatæ.

Cæcitatem quomodo faciat Dæmon.

Pyrrhi miraculum examinatur.

Quomodo sanabat lienosos Pyrrhus.

Annulis curari posse epilepsiam.

Conclusio totius disputationis. Cùm itaque, vt rem in pauca contraham, quæ Vespasiano, Adriano, Pyrrho, & Regibus quibusdam tribuuntur curationes, rarò contigerint, eorumque probabilis aliqua ratio reddi possit, non facilè in eorum sententiam adducor, qui sanationes has miracula esse credunt. Non eadem est Regis Christianissimi in strumis sanandis ratio; nam infinitos sanat diuersi habitus, ætatis, sexus, temperamenti, diuersis anni temporibus; & nemini ferè salutaris ille contactus fuit inutilis: adde quod vis illa sanandi, in successores transfertur, vt non sit personæ, & indiuidui vnius proprietas, quia non soli, sed Regis; nec Regis simpliciter; quia nec Pharamondo, nec aliis ethnicis facultas illa dabatur: sed Christiani; nec Christiani tantùm, quia cæteris vt Hispaniarum, Angliæ, Hungariæ non conceditur: sed Galliæ Regis Christianissimi. Est ergo ad sanandas strumas Regia dignitas necessaria, sed non sola.

An ut familijs quibusdam & indiuiduis innatæ dicuntur facultates sanandi & fascinandi; ita & regibus Galliæ Christianissimis vis ea strumas sanandi iure quodam familiæ gentilitio, aut connata proprietate concedatur.

CAP. IIII.

Stigmata quibusdam familiis connata. QVEMADMODVM in quibusdam familiis, gentilitia quædam stigmata à primo ortu apparent, vt Spartis Thebanis, Lancea: Deleuco eiusque posteritati, Anchora in femore: Thiestis, Cancer: Lentulis, Lentis; Ciceronibus, Ciceris figura: in Lepidorum gente, mem-

membranula oculum dextrum regens. Ita miras quasdam, & reconditas proprietates speciei naturam excedentes, maleficas aut beneficas in multis reperiri existimarunt quidam; Eas Platonici ad idæas rerum formatrices referunt; Hermetici ad stellarum influxus; Arabes ad intelligentias; Eas Zoroaster diuinas illices vocat; Synesius symbolicas illecebras. Ad earum admirabiles effectus, qui humani ingenii captum superant, cæcutiunt Phylosophi, & in caussis indagandis, sapientiam veram putant nolle nimis sapere. Quia tamen neruus est sapientiæ nihil temerè credere: primùm quæ de familiis effascinantium, & peculiares quosdam morbos, sanantium, sunt prodita, proferamus: dein ad veritatis regulam & libellam singula reuocemus.

Familia effascinantium.

Isigonus & Memphodorus, in Africa familias quasdam extare narrant, voce & lingua effascinantes. Plutarchus & Philarchus affirmant, homines esse pontum incolentes, qui solo intuitu in rabem resoluant. Idem de fœminis quibusdam in Scythia; quæ vocantur Bithiæ, tradit Apollonides. Solinus refert Triballis & Illyriis innatam esse vim fascinandi. Telchines Rhodij populi omnia solo aspectu in peius commutasse feruntur, propterea à Ione submersi. Biarmi & Amaxobij, apud Olaum magnum, in fascinandis hominibus sunt instructissimi. Scribit Gellius familias esse, quæ si fortè impensius laudauerint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas, hæc omnia emoriantur.

Libro nono cap. 4.

Contraria vi donantur familiæ quædam: nam aduersus serpentum Africanorum venenum naturali vi pollent Marmaricæ gentis Psylli à Psyllo Rege.

Familia sanantium.

Gens vnicà terras.
Incolit à sæuo serpentum innoxia morsu
Marmaridæ Psylli. ———

Psylli in Africa

Lucanus.

Hos in Cleopatræ à serpentibus demorsæ auxilium Cæsarem aduocasse refert Paulus Orosius, libro sexto. *Cleopatra* (inquit) *postquam se ad triumphum Augusti seruari intellexit, voluntariam mortem petens, in sinistro tacta brachio exanimis inuenta est, frustra Cæsare etiam Psyllos admonente qui serpentum venena è vulneribus hominum reuocare atque exugere solent.* Marsis eandem vim inesse refert, Plinius, de quibus hæc Aulus Gellius. *Gens in Italia Marsorum orta fertur esse à Circes filio Marso, propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familiæ cum externis cognationibus, nondum etiam permistæ, corruptæque sunt, vi quadam genitali datum, vt serpentum virulentorum domitores sint, & incantationibus, herbarumque succis faciant medelarum miracula.*

Marsi in Italia

Lib.16.ca.11.

Crates Pergamenus in Hellesponto, circa Parium genus hominum fuisse tradit; quos Ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu leuare solitos & manu imposita venena extrahere. Ex qua familia Legatus quidam, Exagon nomine, à Consulibus Romæ in serpentum dolium coniectus experimenti nomine; circum mulcentibus lingua serpentibus ipsum miraculum præbuit. Horum meminit Strabo libro decimo tertio. *In Pario finxerunt Anguigenas cognationem quamdam cum serpentibus habere: Proditum est enim mares serpentum morsibus remedio esse; si eos continuò attigerint quemadmodum incantatores, ac primò liuorem transferre, postea inflammationem ac dolorem sedare.*

Ophiogenes in Pario.

Tentyritæ aduersus Crocodilos vim habent mirabilem, de quibus hæc Strabo; libro decimo septimo. *Sunt qui dicant, quòd quemadmodum Psylli apud Cirenaicam regionem naturaliter quandam vim habent contra serpentes: sic & Tentyritæ contra crocodilos, vt nihil ab eis patiantur; sed intrepidè natent & aquam tranent, alio nemine audente,* In Æthiopia habitatores Hidaspis fluuij impunè scorpionibus, & serpentibus vescuntur ab insigni quadam, & secreta corporis constitutione. Agatarchides, Diodorus, & Strabo scribunt, esse populos quosdam Acridophagos, qui locustas habent in delitijs, eisque prò cibo vtuntur.

Tentyritæ aduersus Crocodilos vim habent.

Qui scorpionibus vescuntur.

Acridophagi.

Sunt in Italia multi qui ex familia D. Pauli: & in Hispania quidam; qui ex familia B. Catharinæ se esse iactitant, & dono sanationis se præditos gloriantur: illi serpentis: hi rotæ figuram impressam habere dicuntur: illi serpentes innoxiè tractant: hi accensos carbones manu sine noxa apprehendunt. Sunt in Gallia multi qui ex stirpe sancti Huberti se esse profitentur: hi à rabido cane demorsos sanare dicuntur. Apud Belgas filij feriæ sextæ Parasceues, tertianas & quartanas febres curare creduntur. Haud procul vrbe Roma in fatiscorum agro familiæ sunt quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini super ambustam ligni struem non aduruntur.

Plinius lib. 7. cap. 2.

Norunt Hispani genus hominum; quod vocant, *Zahuris*, nos Lynceos. Ferunt hosce videre quæ abdita in penitissimis terræ visceribus; venas aquarum & metallorum, & sub sarcophagis sita cadauera.

Lyncei.

Habet etiam Hispania vt scribit Iulius Alexandrinus genus hominum, *Saludadores* vocat, vel *Ensalmadores*, eo discrimine: quod isti dicant se sanare vi orationis: illi vi saliuæ & halitus quem ægro inspirant: gestare dicuntur in parte aliqua corporis natiuam ab origine notam, seu semi-fractæ rotæ. Omnibus his ea innata vis dicitur vt à cane rabido demorsos persanent. Veri-ne an adulterini sint generis ignis experimento coarguuntur, quem qui spurii non fuerint illæsi ferant:

Lib. 2. salubrium cap. 12.

Ensalmadores in Hispania.

Neque verò certis familiis tantùm, sed etiam indiuiduis quædam sunt innatæ dotes maiores quàm à specie; idque vel occulta proprietate, vel ipso cœlesti stellarum situ. Sic Athenagoram Argiuum à scorpionibus nunquam lædi potuisse proditum est. Vidit Albertus puellam quæ araneas habebat in delitiis. Philostra-

Indiuiduis quibusdam innatæ proprietates miræ.

tus in Apolloniiuita meminit Saturni cuiusdam Ephesii, qui non aliter quàm Basiliscus omnes solo aspectu interficiebat.

Exempla multa.

Auicenna, libro de animalibus refert, fuisse quendam in Damaso, qui cùm vellet corpus suum paralysi oblædebat, nec à noxijs virusque eiaculantibus animalibus se imperi patiebatur, nisi cùm ea ipse cogeret. Narrat Diuus Augustinus, decimoquarto de Ciuitate Dei, se quendam vidisse sudare solitum vbi vellet. Scribit Magnus Albertus repertos fuisse duos fratres, qui dum clausas fores transirent, easdem statim aperirent vi quadam mirabili, ex eorum lateribus manante.

Lib. 7 nat. historia ca. 2.

Quorumdam, ait Plinius, corpore partes nascuntur ad aliqua mirabiles; sicut Pyrrho Regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienosis medebatur: hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo. Samsonem, vt sacræ testantur paginæ, in capillitio mirabilem vim habuisse certum est, qua quibus libet aduersis rebus resistere poterat. Vt ergo naturali quadam vi, licèt recondita, quidam ita sunt constituti vt noceant & effascinent: Ita ex ijsdem principijs naturalibus, possunt esse alij salutares & medici. Nam si natura fecit contrariorum vnum, fecit & alterum ad operis perfectionem. Ego quid ea de re sentiam mox declarabo.

Regibus Galliæ vim sanandi à familiis non manare nec esse connatam.

Statuo tamen interea, Regibus Galliæ Christianissimis vim eam mirabilem sanandi strumas, nec insitam esse, nec à certis familijs deriuatam: nam Regum diuersæ fuerunt familiæ à Clodoueo ad Henricum quartum; & tamen eadem sanandi facultas permansit. E Regia progenie nati non omnes sanant, sed solus ille qui sceptrum possidet: quo mortuo qui ei succedit filius, frater, nepos eodem medendi priuilegio fruitur. Quòd si à patre vis ea manaret in liberos, illustrior esset in eo qui figura, temperie, habitu, moribus partem magis referret, quod falsum esse docet experientia: non ergo vis illa gentilitia & certæ addicta familiæ, neque etiam indiuiduo peculiaris & connata: quæ enim congenita sunt, omni ætate, tempore, & loco si nihil impediat, aliquam sui notam exhibent.

Proprietates ab idiosyncrasia manantes.

Talia sunt quæ ex idiosyncrasia, & certo mixtionis modo deriuantur. Sic caseum abhorret quidam, alter vinum auersatur; hic rosæ aut pomi odore in animi deliquium incidit: Ille muris aut alterius animalis aspectum, & nomen horret; Plurimis acetum compescit vomitum, alijs incitat. Scaliger ad cressoni conspectum tremebat adeò vt horrore quassatus abire cogeretur. Iacobus Forliuiensis clarissimus Medicus, se ab allio manducato non minùs cruciari quàm ab epoto veneno affirmabat. Proprietas hæc ab eo cui primò & per se inest, est inseparabilis, & qui per naturam aliquid potest, plerumque & quoties vult potest. Vis autem sanandi strumas tunc tantùm sese prodit cùm Regio diademate ornari, sacro chrismate inungi, & Gallis imperare incipit: vt non sit personæ solius, aut familiæ, sed Regiæ dignitatis, & vnctionis proprietas.

Conuelluntur quæ de familiis sanantium & effascinantium sunt dicta.

Enimuero quæ de familijs effascinantium & sanantium commemorauimus, Peripateticus ridet tanquam ludicra & inania. Theologus omnia vi & auxilio Cacodæmonum fieri credit. Nos quædam fabulosa, superstitiosa, falsa agnoscimus: multa enim ex mendacissimis Græculis transcripsit Plinius: & nullum tam impudens est mendacium, quod teste careat: quædam vera quidem & naturalia, sed technis & imposturis simulata: quædam postremò Dæmonis astu & arte fieri existimamus. Multi impostores illudunt plebi præstigiis, faciuntque arte vt videantur esse quæ nec sunt, nec esse possunt. Narrat Nicephorus quidam Gregoras, temporibus Andronici patris, ex Ægypto Constantinopolim venisse præstigiatores quosdam (γόητας καὶ ἀγύρτας vocat) miracula exhibentes inaudita & inuisa, quæ tamen studia erant industriæ naturæ diu multumque in vsu & exercitatione rerum versatæ. Sic qui ex familia Diui pauli, & Sanctæ Catharinæ se esse iactitant impostores sunt; Nec enim natiua sunt illis signa, sed arte confecta; Et qui serpentes contrectant priùs alexiterijs se muniunt, dentesque serpentibus euellunt.

Carbones ignitos artè innoxè tractori posse, & quibus artibus.

Qui verò carbones ignitos innoxiè tangunt, manus primùm succis quibusdam illinunt, quibus ab igne per aliquod tempus se tuentur. Oui candido (ait plinius) vis tanta est vt lignum ouo perfusum non ardeat. Ligna alumine illita, inuicta ignibus manent: cuius rei experimentum dedit Archelaus Mithridatis præfectus in lignea turri contra Syllam, quam frustra comburere conatus est. Succi mucilaginosi altheæ, maluæ, portulacæ, mercurialis, contra ignem valent: propterea scripsit Albertus, si quis succo altheæ, albumine oui, alumine ex aceto oblinat manus, posse ignem sine læsione pertractare. Argento viuo aceto & albumine oui restincto, si quis manus abluerit ab igne non lædetur.

Venena haurientes impostores sunt.

Qui verò venena in conspectu & oculis plebeculæ hauriunt, oleo priùs & butyro interiores ventriculi tunicas incrustant, aut alexiterijs vtuntur: ita impostores hi rudioribus imponunt. Lyncei apud Hispanos ad certos dies tantùm, feriam scilicet tertiam & sextam vim illam videndi restringunt, quod latentis pacti indicium. *Saludadores*, vel *Ensalmadores* modos obseruant tangendi certos, numerum & alia multa superstitiosa, habentque in aliqua corporis parte notam ceu semifractæ rotæ, fortasse à Cacodæmone impressam.

Triballi effascinantes.

Triballi & Illirij crediti sunt visu solo infantes fascinare, fortasse quia aspectu erant truci, & visus ferocia conspicientes terrebant, nec impossibile est vt ex truculento turpis iratæque anus aspectu infantes aliqui territentur, & ægrotent. Marsi, vt refert Aulus Gellius, incantationibus & herbarum succis vtebantur. Quæ de Anguigenis narrantur & Tentyridibus

bus, ficta esse & fabulosa putat Strabo loco citato. Psyllos Lucanus magicam gentem vocat. Cornelius Celsus quæ de illis dicuntur negat peculiari vi id fieri, sed audacia vsu firmata. Sic hodie in Gallia apud Pictauienses multi sunt viperas innoxiè tractantes. Qui scorpiones, araneas & locustas vorant id faciunt quia assueti. Plurimùm enim, vt scribit Galenus tertio de Temperamentis, valet consuetudo & natura acquisita. Sic anus illa Atheniensis cicuta vescebatur, & modica cicutæ sorbitione Ægyptiorum sacerdotes se impunè castrabant. Apud Turcas opium est familiare, & exhibetur ad drachmam vnam vel plures; nos grana aliquot non excedimus. Scribit Sextus Empiricus fuisse anum quandam quæ triginta drachmas cicutæ sorbebat sine vlla læsione. Similiter Lysidem quendam qui drachmas quatuor opij innoxiè sumebat. Chius Eudemus viginti duos haustus hellebori etiam vno die se sumpsisse prædicabat. Quidam (ait Theophrastus) hellebori tantùm esitauit, vt manipulos plures consumpserit sine vllo sanitatis incommodo. Refert Auicenna & Ruffus puellam napello ita alfuetam, vt eius saliua animalia enecaret. Fortasse hæc ea est quæ ab Indorum Rege doloso, muneri Alexandro magno data fuit; cuius scintillantes & serpentum more nictantes oculos cum Aristoteles vidisset. O *Alexander* (inquit) *caue tibi ab hac, nam virus pestilentissimum alit, vnde tibi exitium paratur*. Nec iudicio defuit euentus: plærique enim puellæ huius contactu infecti perierunt. In historijs Indicis relatum est; Cambaiæ prouinciæ Regem veneno assuetum ita euasisse venenosum, vt etiam muscæ ipsius cutem exugentes veneno tactæ perierint, ipso tamen integra sanitate fruente. Mira est sanè consuetudinis vis, corpus enim venenis assuetum, vel acquirit facultatem corruptiuam veneni, vel illi familiarem. Quin etiam fieri potest, vt antidotis præmunitum cor venenis & venenatis resistat, & hac arte circulatores, agyrtæ, histriones sæpe illudunt plebi & quæstum venantur. Sic Mithridates Ponti Rex, Mithridatica confectione effecit vt veneno perire volens non potuerit.

Consuetudine venena redduntur familiaria.

Exempla multa.

Puella Napellio educata omnes inficiens.

Antidotis munitum cor venenis resistit.

Profecit, poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Martial Lib. quinto.

Apud veteres saliua ieiuni hominis venenum est viperæ & serpenti, eisque resistit, quod à rustico quodam accepi pro certo experimento: vt videatur natura singulari prouidentia hominem contra serpentum venena peculiari præsidio armasse, quia serpenti in hominem odium est infensissimum. Anchusa onochilos, apud dioscoridem, manducata si inspuatur serpentem enecat. Terræ Melitæ puluis in os serpentis injectus citissimè interimit. In Arabia, vbi nascitur orientale Balsamum omnis veneni timor abest, neque morsu quispiam extinguitur. Apud Aëtium, si quis succo rutæ syluestris manus lauerit, venenata omnia animalia innoxiè tractabit. Cùm ergò quæ de familijs sanantium narrantur aut fabulosa sint, aut imposturis simulata, aut arte Cacodæmonis confecta; concludimus nullam homini innatam esse vim sanandi aut fascinandi.

Antidota aduersus serpentum venena.

An quia Strumosos tangit Rex Christianissimus, contactus ille ad Strumarum curationem aliquid conferat. vbi multa & rara de his quæ per contactum agunt; & Periaptis.

CAP. V.

QVEMADMODVM aspectus ad vitæ dulcedinem: ita tactus ad illius conseruationem à natura est comparatus: Ille species recipit immateriales: hic materiæ omnino immersus pro vario ac certo mixtionis modo, varias corporibus mixtis proprietates largitur, quarum sæpe tam admirandi sunt effectus, vt ad eos cœcutiamus, quia eorum causæ abditæ sunt: fiunt tamen cum ratione à causa sapientissima, sed secreto cõsilio. An non mira sunt quæ ab antiquis, & neotericis de iis quæ solo agunt contactu narrantur, scribuntur? Recondita hæc vis in plantis quibusdam, lapidibus, animalibus, hominibus reperitur. Quæ singula ob rei varietatem & amœnitatem exemplis illustrare placet. Radix Baara, apud Iosephum, in historia Hierosolimitana, ad expiationes vim habet mirabilem, vt eos qui à spiritibus vexantur immundis protinus liberet, si eam gestent. Radix Leontopodij appensa prodest ad amatoria, ex Dioscoride. Radices acetosæ, & arnoglossæ suspensæ strumas discutiunt. Radices asparagi super dentes ligatæ, eos sine dolore excutiunt. Vtriusque peoniæ radix collo appensa, epilepsiam sanare creditur. Tradunt radicem inueniri, quæ gestantibus robur corporis augeat, peditibus verò vna facientibus iter minuat; idemque accidere in cœtu equitum, si radix ad iubam equi applicetur. In Hermopoli Thebaidos arbor erat, quæ ad morbos pellendos plurimùm conferebat, si fructus, aut folium, aut pars corticis collo ægrotantium ligaretur. Narrant Ecclesiasticæ historiæ authores, Cesareæ statuam positam fuisse, sub cuius basi herba nascebatur, quæ solo tactu & aspectu præsens erat quorumuis morborum remedium. Achimenide conjecta in aciem hostium trepidare agmina ac terga vertere, refert Plinius. Condu-

Plantarum contactu mira agentium vires.

Radices.

Herba contactu mira præstantes.

Lib 26 c. 4.

dum herba folſtitialis flore rubro, ſuſpenſa in collo comprimere dicitur ſtrumas. Perſicaria maculata ſanguinem è naribus profluentem ſiſtit, manu detenta. Hyoſciamus ſi collo mulieris appendatur, concipere non permittit, Diodorus Siculus, ex narratione cuiuſdam Iamboli mercatoris, ſcribit in Arabia fœlici reperiri plantam, ſupra quam qui dormiunt, ſuauiſſimo ſopore corripiuntur, & ita intereunt. Democritus & Theophraſtus, Æthiopidem herbam, feras omnes ſolo contactu aperire narrant, & Matheolus affirmat, furem Venerijs ſuſpendio damnatum, qui hac arte fores aperiebat. Alyſſum herbam in manus accipientes, à ſingultu liberantur. De Eringio narrat Plutarchus, ſi vna de grege caprarum in os acceperit, reliquas ſtare attonitas: nec vſquam progredi, donec caprarum cuſtos accedens, herbam ore exemerit. Oenothora, authore Cratteua, collo alligata omnium animalium feritatem domat. Scilla in limine ianuæ ſuſpenſa, mali medicamenti noxam aufert, ex Dioſcoride. Moly Vlyſſem à Circes inſidijs liberauit. Betonicam geſtatam, animas hominum & corpora cuſtodire, nocturnaſque ambulationes à maleficijs defendere, prodidit Antonius Muſa clariſſimus Auguſti Cæſaris medicus. Baccharem herbam bene olentem, collo appenſam contra faſcinum pollere aiunt.

------ Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro,

Quercus maritima geſtata conceptum procurat, & omnia maleficia abigit. Eſt herba quædam anonimos apud Galenum, quæ ſolo contactu ſanguinem allicit; Eſt & alia quæ ſi pedibus tractetur famelicos ſtatim reddit. Contra Latacem dari ſolitam à Perſarum Rege legatis ſuis, refert Plinius: vt quocumque veniſſent, omnium rerum copia abundarent. Lunariæ ſpeciem deſcribunt Botanici, quam *Sferra-cauallo* vocant Itali, eam ſi ferro artigerit equus, ferreum calceamentum ſtatim deponit. Taxi vmbra homines lædit. Arthemiſia, Rhamnus, Hypericum, ſi manu geſtentur nocentes feras, & Dæmones fugant. Ruta ſylueſtris capiti circumuallata defendit à faſcino. Flos gariophylus animos hominum, & corpora tuetur à maleficijs. Vipera, vel vnico fagi ramulo contacta, vel arundine percuſſa, torpet. Stupet veſpertilio tactus plantani foliis. Quernis frondibus tactus ſerpens moritur. Ficu alligatum taurum, quamuis furentem, ſtatim manſueſcere affirmant. Columbæ ad faſcinationis amuletum lauri ramos tenues colligunt, & nidis imponunt. Turtures, gladiolum. Turdi, myrthum. Cygni, viticem, Aquilæ, callitricum. Infinita deniq; ex plantis parantur amuleta, quæ contactu morbos pellunt, & mira præſtant. Lapidibus etiam eadem vis ineſſe dicitur, Lapis ſenites nudæ cutis contactu ſanguinem quauis ex parte manantem ſiſtit. Smaragdus, Ariſtoteli, & Alberto, collo adalligatus ab epileptico inſultu liberat: propterea nobiles puerorum collo hunc lapidem appendere ſolent; caſtitatem etiam conſeruare dicitur. Alectorius ferturreddere geſtantem, audacem, & ad veneris facta tractanda aptiſſimum. Calcedonius appenſus, valere traditur contra illuſiones & phantaſmata, ex melancholia oborta. Ætites ſeu Aquilinus contactu ſuo abortum prohibet; amorem inter virum & mulierem conciliat. Quod ſi laborioſus ſit partus, femori alligatus, facilem reddit, ſed ſtatim debet ſolui. Gagates,

Libro 16. c. 4.

Lapidum cōtactu agentiū admirandæ proprietates.

Vincit præſtigias, & carmina dira reſoluit.

Onix geſtatus,

In ſomno lemures, & triſtia cuncta figurat;

Lapis Pyrophiros contra venena vim habet mirabilem, reddit geſtantem glorioſum & formidoloſum aduerſariis. Buffonius, *Crapaudina* dictus, ſuo contactu inflationes à venenatis beſtiis illatas diſcutit, & virus omne elicit, Limacius in ore volutatus ſitim ſedat. Iaſpis appenſus, os ventriculi roborat, ſanguinis fluorem cohibet, cor exhilarat, geſtantem caſtum reddit. Sardonius ventri deligatus, fœtus detinere, & abortus inhibere creditur. Galactites collo ſubnexus faſcinationes prohibet. Lyncurius præſtigias ab oculis aufert. Heliotropius viſum præſtringit. Sardius à veneficiis vindicat; vt & Chryſolites. Torchoſius in annulo geſtatus, certo experimento cadentem à læſione præſeruat. Lapis Nephriticus ſi reni dolenti alligetur dolores nephriticos ſedat, calculum que & arenulas deturbat. Hyſtericus lapis nuper ab India delatus, ſolo contactu hyſtericos ſtrangulatus ſoluit. Amethiſtus, ebrietatem prohibet. Calcophanos ſonoram vocem facit. Democritus Cathoitis lapidis geſtatione frequenter contra faſcinum vtebatur. Scribit Traſillus, referente Stobæo, in Nilo lapidem inueniri fabæ conſimilem, qui naribus appoſitus, ſtatim Dæmonas fugat. Eſt etiam quibuſdam animalibus aut totis, aut eorum partibus eadem facultas per ſolum contactum ſanandi, aut lædendi inſita. Torpedo ſolo contactu ſtuporem inducit. Baſiliſcus tantæ eſt perniciei, vt non eos modò qui aliqua corporis ſui parte, ſed etiam virga attigerint momentò inficiat. Paſtinaca piſcis, in ſummitate caudæ, quæ radius dicitur, adeò eſt exitialis, vt non viuens modò, ſed mortuus ſi plantas aut animalia tangat omnia ſtatim emoriantur, referente Nicandro, Opiano, Æliano. Hienæ contactu canes ſtatim obmuteſcunt. Veſpertilio ſolo tactu oua

Animalium contactu agentium admiranda facultates.

Cico-

Ciconiæ reddit sterilia. Pellis lupi super eum quià cane rabido est demorsus suspensa hydrophobiam mulcet, Vngula Alces contactu epilepsiam sanat. Frustulum dentis Hippopotami solo tactu sanguinem sistit. Pes lupi alligatus colicis medetur. Ex vngula asini annulus gestatus fascinationem tollit, qua viri ad Venerem inertes redduntur, vt verisimile sit animi indolem in vngulas quodammodo migrasse, vnde gestanti στοργὰς & veneris stimulos quosdam excitare creditur. Dens Taxi & eius pes sinister brachio dextro alligatus memoriam roborat: Pecudis lien si tumenti & dolenti lieni supertendatur dolorem sedat. Os hominis appensum prodest doloribus ventris, qui per circuitus redeunt. Chameleontis hepar tostum collo appensum necromantica pellit. Pes testudinis podagricis auxiliatur. Si quis leporem marinum attingat manu, aut baculo, in animi deliquium incidit. Cor bubonis, & noctuæ, mulieris dormientis mammæ sinistræ alligatum facit vt arcana omnia detegat. Hienæ corium fascino resistit. Rubetæ ossiculum amorem conciliat. Echeneis pisciculus suo contactu naues quantumuis maximas, ventis etiam flantibus remoratur. Postremò hominibus quibusdam vim eam mirabilem sanandi aut nocendi per solum contactum inesse existimarunt quidam. Vt enim solo tactu & aspectu quidam sunt effascinantes, ita ex ijsdem principijs possunt esse quidam salutares. Michael Medina refert puerum Salmanticensem tactu solo plures morbos sanasse ad tempus, qui paulò post recruduerunt. *Saludadores* vel *Ensalmadores* Hispani certos obseruant tangendi modos. Pyrrhi Regis pollex solo tactu sanabat lienosos. Ophiogenes in Pario, serpentum morsus tactu leuabant. Credit rudis plebecula, marem septimum numero solo contactu strumas sanare. Immatura morte raptorum manu parotides, guttura, strumas sanari dicunt. Refert Albertus, se in Germania vidisse gemellos, quorum alter dextri brachij solo contactu seras omnes aperiebat; alter brachio sinistro easdem claudebat. Milites quidam in Italia solo lintei contactu sanant atrocissima vulnera, quam artem vocant, Sancti Anselmi. Refert Sozomenus, libro sexto, sub Valente Imperatore floruisse monachum Beniamin, qui sola manus tactione omnes ægrotantes sanabat. Copras diuinum habuit ægritudinum curandarum & sanitatis conferendæ donum. Itaque vt plantis, lapidibus, animalibus arcanæ reperiuntur facultates sanandi; ita & in quibusdam hominibus.

Hominum solo contactu sanantium exempla rara.

Cap. 3.

Opinio Pomponatii.

Quæ opinio fuit Pomponatij, libro de incantationibus. Nihil repugnat (ait) quin in tota humana specie eædem facultates inueniantur quæ in plantis, lapidibus, animalibus; adeo vt in vno homine sit virtus illius lapidis, in alio illius plantæ, aut animalis. Quæ sanè veri quadam specie videtur adumbrata. Homo enim potestate quodammodo est omnia; corpore, corporeorum: anima animatorum omnium vires in se continet; materiam habet formarum omnium susceptibilem, & solus (dictu mirum) animalium omnium temperiem in se concludit. Huic visus basilisci, illi catoplebæ, hic leonis, ille asini, alter plantæ huius vel illius habet temperamentum. Natura (inquit Plinius) in quorumdam toto corpore, in aliorum oculis venena genuit, ne quid vsquam mali esset, quod in homine non esset; Hæc verò rara, & priuatis quibusdam irrogata. Cùm ergò facultas hæc morbos sanandi per solum contactum in quibusdam indiuiduis reperiatur; Cur non & Regi Galliarum Christianissimo qui strumosos tangit eadem vis concedetur? Ego vt liberè dicam quod sentio, in hominis specie, vim eam per solum contactum sanandi, non agnosco: quæ enim speciei conueniunt, omni, soli, & semper conueniunt: at non omnis homo, non solus, non semper eo modo sanat: neque etiam proprietas hæc indiuidui esse potest, vt existimat Pomponatius. Nam quod ait quosdam solo tactu morbos inducere posse, ergo ex ijsdem principijs naturalibus sanare, absurdum est, & indignum philosopho. Tactus homini ad conseruationem est datus, & illius organum temperatum est; nihil ergò à natura habet maleficum. Quæ per naturam alicui insunt, plærumque, & quoties vult vires suas edunt; At non quoties nec quando volunt, lædunt aut sanant isti. Multos per contactum morbos fieri non negamus, inde enim omnes morbi contagiosi; sed qui per contactum lædit, virus pestiferum & fomitem mali in se ipso gestat & fouet: quòd si sanitate fruatur integra, quomodo ex insitis à natura principijs lædere poterit? Verum demus Pomponario tactum morbos inferre, non inde consequens fiet per contactum sanitatem induci, quia ex Aristotelis & Galeni doctrina, plura ad sanitatem, quàm ad morbum sunt necessaria: malum enim ex quouis defectu, bonum ex integra causa: plura ad construendum requiruntur, quàm ad destruendum, nam ad destruendum sufficit vnum, ad construendum multa desiderantur: ideò sanitas non communicatur vt morbus. Morbi contagiosi facilè, & momento ferè sæuiunt, grassantur, vt pestis, lues venerea, elephantiasis, febres malignæ; sanitas autem contactu solo non comparatur; quia sanitas in quiete, morbus in motu; sanitas in concentu, morbus in dissidio & solutione physica & mathematica suam habet essentiam. Quod autem hominem potestate quodammodo esse omnia, ex Aristotele profert Pomponatius, id non materialiter, vt volebat Empedocles, sed ἀναλογικῶς, per specierum receptionem, non de corpore, sed de anima intelligi debet, quæ specierum omnium locus & promptuarium dicitur, delentur enim in organo sensiles species, sola

Homo potestate est omnia.

In hominis specie nulla est facultas naturalis sanandi.

Refellitur opinio Pomponatii.

Sanitas non communicatur vt morbus.

Quomodo homo potestate sit omnia.

anima eas conseruat. Hominem vero omnem creaturam vocant Theologi, non quòd omnium proprietates insitas habeat, sed quia existit cum lapidibus, vegetat cum plantis, sentit cum brutis, intelligit cum angelis.

Cur homo dicatur omnis creatura.

Quòd si plantarum, lapidum, & animalium vires illæ conditæ, hominibus ideò essent innatæ, quia est potestate omnia; hæ omnibus essent communes. Concludamus ergò nullam homini facultatem per contactum sanandi à natura tributam esse; proindeque Regem Christianissimum, solo contactu naturali & vi illi congenita aut connata strumosos non sanare.

Quid sentiamus de plantarum & lapidum contactu.

Enimuero quæ de plantis, lapidibus, animalibus solo contactu mira efficientibus, sunt à nobis cõmemorata; quædam falsa sunt, vana, superstitiosa, impia: quædam non sine natura, id est causa naturali fiunt. Illa fugienda sunt. His medicus, cùm per experientiam nouerit esse salutaria, vti potest.

Superstitiosa quæ sint.

Superstitio est, quando rebus quibusdam vires adscribuntur, quas per naturam suam habere nequeunt. Superstitio est, quando ex stellarum obseruatione, certo syderum situ, verbis quibusdam insusurratis, figuris, & characteribus adhibitis, vim illam prodire credimus. Sunt hæc potius initi cum Dæmonibus pacti, contractæque societatis signa.

Multa à veteribus pro veris habita quæ commentitia sunt.

Age verò an non quæ de plantis & lapidibus gestatis, appensis, contrectatis circumferuntur, falsa esse possunt, vt quæ à veteribus de Castoreo sibi testes amputante, Struthiocamelo ferrum coquente, Vrsa informes fœtus edente, Chamæleonte solo aëre victitante scribuntur, quæ quisque nostrum commentitia esse quotidie experitur? Multa agnoscimus in naturæ majestate abdita & vera, quæ ex meris naturæ principijs manant, quæ admirandos effectus proferunt, quorum illecebris multos alliciunt: sed non sine natura, id est causa naturali fiunt. Hæc nobis quidem incognita est, sed efficienti ipsi (vt ait Plato in Timæo) notissima, & hanc sapientes magiam naturalem vocant. Sunt in plantis, lapidibus, animalibus, congenitæ inter se, & naturales consortij aut dissidij proprietates, quarum opera etiam citra contactum mathematicum mutuò alterantur.

Quid sympathia.

Quid antipathia.

Sympathia hæc nihil aliud est quàm naturæ quidam concentus, & quasi appetitus alterius certo modo ad alterum se habentis; vt Antipathia cùm ab altero alterum hostiliter afficitur, ad similitudinem odij infesti. Pendet autem vtraque à crasi seu temperie, quæ forma est mixtorum, quæque non desinit donec destruatur mixtum. Et licèt in animalibus sint concordiæ & discordiæ, non tamen in illis sunt quà animalia, sed quà naturam habent.

E plantis & animalibus expirans vapor aliquid potest.

Potest è plantis appensis, gestatis, contrectatis educi tenuissima quædam aura, quæ in cor & cerebrum expirans, cordis & cerebri morbos profligare est potens. Ab animalibus etiam tenuis quidam spiritus per os, nares, & cæca spiracula, aëris instar, interiora corporis permeans, & morbos inducere, & eosdem sanare potest. Tantum (inquit Plutarchus) habent αἱ ἀπόῤῥοιαι, id est vaporum effluxus energiæ, vt ignis instar proxima quæque depascant & dispergant. De solidissimis & densissimis lapidibus obscurior est ratio: nulla enim ab his effluuia, nulla miasmata educuntur quæ latenter in poros cutis irrumpant, aut halitu inspirentur, aut vapore partes aliquas subeant, id tamen habent à specie, & certo quodam mixtionis modo nobis incognito.

Periaptorum diuisio.

His ita constitutis, facile erit quæstionem de periaptis, sæpe in scholis agitatam soluere. Περίαπτα, περιάμματα, amuleta; alia sunt physica, alia superstitiosa.

Periapta physica aliquid possunt.

Physica naturali vi prosunt: aut enim ex horum substantia vaporum defluuia inspirata vires corporis reficiunt & alterant: aut citra contactum mathematicum, sensilesque effluxus proprietate nobis occulta, naturæ autem cognita, vires suas exerunt & morbis auxiliantur. Hæc periapta non improbauit antiquitas. *Illis* (inquit Galenus) *sic fidere oportet, vt eorum substantia iuuet; non verba.* Et Bion Philosophus, referente Diogene Laertio, ἐμπεσὼν εἰς νόσον περίαπτα λαβεῖν ἐπείσθη, *suadebat ijs qui in morbum incidebant periapta sumere.*

Epicarpia prosunt aliquando.

Sic quæ carpis & pedibus ad febres fugandas adhibentur (Epicarpia vocant) aliquando profuisse obseruauimus. Aut enim temperando calori inseruiunt, vt quæ fiunt ex aceto, & oui albumine, additis lactucæ, solani, & nimpheæ folijs; aut vapores ad cor, & cerebrum expirantes reuellunt trahuntque; vt brassicæ rubentis folia; chelidonium majus cum sale, columbi viui dissecti, gallina nigra, ruta contusa cum fermento & sale, Tincha piscis.

Periapta superstitiosa damnantur.

At superstitiosa, quæ certos tangendi modos, syderum situs, stellarum aspectus obseruant, quæque cum figuris, caracteribus, preculis, & verbis quibusdam obmurmuratis appenduntur, vana sunt, impia & à nobis damnantur. Ea, Theophrastus, libro nono de historia plantarum, censet absurda esse & ab hominibus artes suas commendare volentibus ficta. Antonius Caracalla Imperator, teste Ælio Spartiano, eos pœna dignos censebat, qui contra tertianas & quartanas febres periapta gestarent. Plutarchus in Pericle scribit, Periclem ægrotantem, amico ostendisse περίαπτον ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένον, *appensum quoddam à mulieribus circundatum collo.* Vnde conijci posset quàm grauiter laboraret, qui illam nugatoriam leuitatem (ἀβελτερίαν vocat) permisisset. Cæterùm quæ de hominibus per solum contactum sanantibus sunt allata, aut falsa omnino sunt, aut à Cacodæmone manant. Et sanè curationes eorum, quos *Ensalmadores* vocant, ego magicas esse puto. Ars verò militum sancti Anselmi, commentum fuit magi illius Parmensis Anselmi. Sanctos & pios viros contactu multos sanasse non inficior: sed non vi naturali ab eorum corporibus manante, sit hoc à sublimiori causa, & gratia gratis data.

An verba quæ profert Rex Christianissimus habeant ipsa per se vim aliquam sanandi. vbi quid possint verba disputatur.

CAP. VI.

VT plantis, lapidibus, & animalibus innatæ sunt facultates quædam reconditæ & miræ: Ita verbis, agendi aliquam vim inesse existimarunt Platonici, & Pythagorici. Vastum est hoc disputationis mare; in quod vela pandere & aliquantisper periclitari placet: fluctuantes fortasse animos eriget salutaris & prosperæ cuiusdam stellæ fulgor. Verba vel scribuntur, vel pronuntiantur. Hæc autem siue scripta sint, siue prolata; aut sunt simplicia, Philosophi vocant incomplexa; aut sunt composita. *[Verborum diuisio.]* Simplicia vel barbara sunt, id est nihil significantia; vel aliquid denotantia. Composita in orationem formantur; eamque vel solutam; vel metricam. Scripta collo, brachijs, capiti, renibus, vtero, imo ventri aut alijs partibus alligantur, appenduntur. Prolata, varijs modis, nempe obmurmuratu; susurro, elata voce, cantu, modulis, precibus pronuntiatur: suntque vel sacra, vel profana. His omnibus vires inesse aut nocendi, aut sanandi admirandas voluit antiquitas, & impetitum vulgus id credit. Quæ singula primùm exemplis illustranda sunt, deinde an, & quomodo fiant examinandum: *[Verba scripta appensa.]* Hæbreis solenne fuit collo suspendisse verba, quibus tantam vim inesse dicit Rabi Hama, vt contra omnes hominum aduersas valetudines remedio sint. Sammonicus Serenus ait hoc verbo: *Abracadabra* suspenso, omnes hemitritæo laborantes sanatos. Marcus Seruilius Nouianus princeps ciuitatis in metu lippitudinis, chartam duabus Græcis litteris, P. &, A. inscriptam lino circumligatam subijciebat collo. Ridiculum hoc scriptum appensum, *Strigiles falcesque dentatæ*, dentium dolorem persanare dicunt. Eudoxia Imperatrix cùm parturiens ægrotaret, voluit sibi magicas literas vtero superponi, vt mortuum fœtum eijcere posset. *[Heliodorus in historia Æthiopica.]* Ferunt serpentes columbaria non infestare si in quatuor angulis inscripseris; *Adam*. Anaxilas apud Athenæum scribit, quendam in consutis Scytarijs, id est minutis corijs; Ephesias habuisse literas scitè efformatas, quibus promitti videbatur fœlicitas. Eustachius Ephesias literas celebrat, quæ erant velut notulæ & voces magicæ, quas quisquis gestaret, ille fœlicem negotij successum, & cuiusuis rei victoriam adepturus sperabatur. Barbaras voces nihilque omnino significantes multi in vsum adhibent. *[Verba barbara nihil significantia pronunciata.]* Attalus affirmat scorpione viso si quis dicat, *Bud*, eum illicò cohibere ne ictus suos vibret. Si quis (ait Pamphylus) locum ingrediens in quo sunt pulices verba hæc *Och, och*; pronuntiet, ab illis nunquam lædetur: Cato luxata membra his verbis restituebat; *Danata, Daries, Dardaries, Astararies*: Varro; vltimo de re rustica; aduersus coxendicem his verbis vtebatur: *Sista, pista, rista, xista*. Et in magno dentium cruciatu, barbara hæc, nihilque significantia ter repetebat. *Anasages; Anasages, Anasages*. Nicephorus scribit libro quarto, fuisse quædam vocabula Hæbraica, quæ ad eorum qui initiabantur terrorem proponi solerent. Quæsitum est olim à Porphyrio; cur sacerdotes vterentur plærumq; nominibus nihil significantibus. Respondet Iamblicus, verba hæc incognita, suas apud Deum; & Dæmones habere notiones. Sæpe obmurmuratu & verbis quibusdam insusurratis vt refert Marcellus; *[Verba insusurrata.]* sordiculæ oculum ingressæ, & hordeoli eruuntur, itemque si quid faucibus adhæserit; necantur lumbrici, sedantur dolores dentium; tauri ferocissimi verbis quibusdam insusurratis mitescunt; canes à latratu desistunt. Multa aliquando oratione soluta pronuntiantur: *[Verba oratione soluta prolata.]* sic sanguinem sisti aiunt, si quis hæc verba proferat. *De latere eius exiuit sanguis & aqua. Sanguis mane fixus, sicut Christus fuit crucifixus*. Democritus ait percussum à scorpio, & statim loquutum ad asinum (*Scorpius me percussit*) non doliturum, dolore nimirum in asinum transeunte. Sed carminibus maximam inesse vim omnes existimarunt, vnde incantatrices dictæ. *[Verba carmine pronuntiata.]* Est enim ἡ ἐπῳδὸς, incantatrix, id est talia carmina accinens, & ἐπῳδὴ sunt carmina. Sed debent hæc vehementi affectu pronuntiari cum ritu harmonico, viuente, calente, sensu prædito, ratione concepto, suis articulis composito: Homerus in Odyssea fingit carmine repressum fuisse sanguinem Vlyssi ab Autolyci filiis: *[Odyss. T.]*

Τὸν μὲν ἄρ Αὐτολύκου παῖδες φίλοι ἀμφεπένοντο,
ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον.

Circum autem hunc Autolici filii chari laborabant,
Vulnus Vlyssis inculpati diuini
Ligarunt scienter, carmine autem sanguinem nigrum
Cohibuerunt.

Heliodorus testatur, quòd sanguis fluens, ex Oroodante carminibus immobilis reddebatur.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam. *[Virgil.]*
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssi.

Carminum vires. Meminit Aristophanes sagarum Thessalicarum quæ carminibus mira præstabant.

Illa carminibus promittunt soluere mentes
Quas cupiant; alijs diras immittere curas.
Sistere aquam fluuiis, & vertere sydera retrò.

Apud Ouid. libro tertio Amorum.

Carmine læsa Ceres tenues vanescit in herbas;
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.

Apuleius scribit magico susurramine Solem inhiberi, Lunam despumari, stellas auelli, diem tolli.

Cessauere vices rerum, dilatáque longa
Hæsit nocte dies, legi non paruit æther,
Torpuit & præceps audito carmine mundus.

In magicis remedijs solebant veteres hoc carmen vsurpare.

Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ὔμμε διώκει

Homerica carmina. *Fugite cantarides, lupus crudelis vos persequitur.* Multi Homericis carminibus vim quandam inesse prodiderunt. Potores ebrios fieri negant si primis poculis metrum hoc pronuntiarint.

Τρὶς δ' ἄρ ἀπ' ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητιέτα Ζεύς. Iliad. θ.
Ter verò ab idæis montibus tonuit sapiens Iupiter.

Illud arbori appensum

Χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρεισκαίδεκα μῆνας, Iliad. ε.
Æereo autem in carcere vinctus fuerat tredecim menses.

Fructum continere, nec iniuria vlla cœlesti decidere tradunt: atque hoc arthriticos dolores mitigare.

Plinius lib. 28. Τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δὲ στεναχίζετο γαῖα. Iliad. β.
Exasperabatur verò concio, subtus autem gemebat terra. Pausanias testatur se vidisse χάλαζαν θυσίαις καὶ ἐπῳδαῖς ἀνθρώποις ἀποτρέποντας. Cæsarem Dictatorem post vnum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper vt primum consedisset, carmine ter repetito securitatem itineri aucupari solitum. Suidas meminit Ægyptij cuiusdam, qui carminibus caniculæ ardorem temperabat, & Ægyptum à peste liberauit. Cato prodidit luxaris membris carmen auxiliari. Theophrastus Ischiadicis; Marcus Varro podagricis. Galenus librum scripsit de occultis rerum proprietatibus, qui hodie non extat, citatur tamen à Trallianо libro nono cap. quarto; ibi Homericam incantationem approbat. *Carminibus coitum impediri.* Carminibus coitum impediri multi prodiderunt. Apud Tacitum libro quarto annalium, Namantina vxor Syluani, accusata est carminibus vecordiam marito iniecisse. Narrat Herodotus libro secundo, Amasin Regem magicis carminibus aliquo tempore prohibitum rem habere cum Ladice vxore. Hierocles quem Heliogabalus in delitijs habuerat, cùm videret Aurelium quendam ab Imperatore adamari, veritus ne præ Aurelio negligeretur, eum carminibus & præstigiis effœminauit. Rex Theodoricus cùm Hermenbergam vxorem duxisset, virginitatis florem delibare non potuit, maleficis pellicum suarum artibus, carminibusque prohibitus. Imperator Romanus Argyropilus incidisse dicitur in morbum, quem Zonaras scribit ei carminibus conciliatum fuisse. Mira ergo sunt quæ de carminibus scribuntur. Nec minor precibus, cantui, & modulis vis tribuitur. Refert Aëtius strumas, & laxiorem columellam quibusdam precibus sanescere. Apud Apul. Psyche Cererem precatur per lætiferas messium ceremonias per draconum pinnata curricula, per glebæ sulcæ sulcamina, currum rapacem, terram tenacem, illuminatarum Proserpinæ nuptiarum demeacula, & cætera quæ silentio tegit Eleusis. *Cantu & modulis mira præstari.* Cantu verò & vocum harmonia non homines tantùm, sed etiam bruta mouentur. *Bruta cantu mouentur.* Aues cantu capiuntur; iumenta in labore cantulentur; Elephantes indicos organicæ voces permulcent; Cygnos hyperboreos citharæ cantus adducit. Cameli onera portantes ductorum cantuleuantur; Delphinus cithara allicitur, vt ex Arionis fabula constat, qui cùm à Corinthijs in mare deturbaretur, impetrauit vt sumpta cithara, & carmine decantato in mare deijceretur: sed à Delphino exceptus, in Teneron transuectus fuit. Pythiocharis tibicen, quum ad tibiam magna contentione incitatos numeros caneret, luporum impetum repressisse refert Aelianus. Libycæ equæ tibiæ cantu eo vsque capiuntur, vt ad homines mansuescant & vlulare desinant. Euripides dicit, pastores fistula ad venerem equas incitasse, & equos ad ineundas fœminas incendisse. Paguri sonorum illecebris capiuntur. Infantes nutricum cantu obdormiunt. Terpander seditionem inter Lacedæmonios cantu sopiuit. Thales Cretensem pestem cantu fugauit.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Aulus Gellius creditum à plerisque refert, ischiadici cùm maximè doleant, modulis lenibus minui dolores. Scribit Theophrastus viperarum morsibus & ad animi affectiones tibicinem scitè modulatéque exhibitum mederi. Xenocrates cantu & organicis modulis Lymphaticos liberabat. Thaletam Cretensem, & Asclepiadem phreneticos multos cantu sanasse

Morbi cantu sanati.

sanasse & morbos fugasse ferunt. Pythagoras perturbationes animi lyra componebat. Ismenias Tibicen ischiadicos carmine & musica curare solitus erat. Hermophilus venarum pulsus rithmis musicis moueri dicebat. Timotheus Alexandrum magnum excitabat in furorem & reprimebat musica. Dauid furentem Saulem mulcebat cythara. Orpheus, Amphio, Empedocles sonis mira faciebant. Refert Albertus Krantzius, Ericum Daniæ Regem à musico quodam in furorem cytharæ sono actum & eo cessante restitutum. Est in Apulia phalangium araneorum genus, Itali *Tarantulam* nuncupant, in magnis Solis ardoribus acerbitatis virus pestiferum infligens: huius ictus vario ac multiplici cantu permulcetur. Mira est igitur, si Authoribus fides habenda; verborum simplicium, compositorum; significantium, non significantium, scriptorum, pronuntiatorum carmine, cantu, obmurmuratu, precibus facultas. Addamus hoc vnum ex Plinio; verborum tria esse genera. Alia sunt impetrantis; alia depellentis; alia commentantis. Impetrantis sunt alia quibus à suprema natura aliquid orando obtinemus: sic Tuscia vestalis aquam cribro precatione tulit. Depulsoris verba sunt quibus in depellendis nociuis vtimur, quomodo luxatis membris carmen auxiliari Cato prodidit. Commentationis verbis aliquid futurum interpretamur: sic absentes aurium tinnitu de se sermones præsentiunt. Hæc sunt quæ de verbis nimis credula Antiquitas prodidit; ridicula certè, nugatoria & anicularum deliramentis proxima.

Verborum tria genera apud Pli. lib. 18, cap. 2.

Quid sentiamus de verbis.

Ego enim de verbis idem sentio; quod Auerroes aduersus Algazelen scribens de caracteribus, figuris & signis, ea scilicet per se nihil posse, nisi quatenus cum Dæmonibus sunt confœderationes. Non verum est ab homine homini noceri posse verbis. nam quis illa eum verba docuit? non homo alius: nam quis illum? non cœlestis intelligentia. Quis enim eam facere audeat authorem fascini? Ergo malus dæmon, non vt hominem faceret potentiorem, sed vt ipsum deciperet credulitate, atque socium haberet, tum impietatis; tum æterni exitij. Rabi Moses Ægyptius mendaces & stultos esse affirmat, qui verbis solis & vocibus aëre fracto natis tantam vim tribuunt: Rudis antiquitas (ait Seneca) credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli, quorum nihil posse fieri tam est palam, vt huius rei causa nullius philosophi schola sit adeunda. Athenis lege cautum fuisse legimus, ne quis verbis mederetur: vnde cum in Achaia mulierem quandam agnouissent quæ verbis medebatur, eam lapidibus obruendam dederunt, asserentes non verbis, sed lapidibus, herbis, & animalibus Deos immortales sanandi vim dedisse. Leges duodecim tabularum in eum qui fruges excantasset. aut malum carmen incantasset animaduertunt. Sophoclis Aiax negat esse medici sapientis θρηνεῖν ἐπωδὰς πρὸς θυμῶντι πήματι. Damnum affectanti incantatione obstrepere; & cum morbus ferrum requirat vt secetur, futilem esse medicum qui carminum sonis curare velit.

Verba per se nihil posse.

Verbis allici dæmones & cogi ad agendum.

Pactum cum Dæmone duplex tacitum & expressum.

Quid ergo possunt verba? cur verbis tam mira attribuuntur? Dico verbis per se nullam esse agendi vim; sed his veluti signis allici Dæmones, aut cogi ad agendum, ob pactum cum hominibus contractum, quod vel expressum est, vel tacitum. Expressum seu manifestum pactum est, quando Dæmonibus nomina dant & eorum numen reuerentur. Tacitum, cùm aliud agentes, & verbis; figuris aut caracteribus vtentes in Dæmonum retia se coniiciunt. Qui itaque barbara hæc; aut significantia verba proferunt, velut sacramentis quibusdam Dæmonibus se obstringunt.

Verba per se nihil posse demonstratur.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Quod autem verba per se nihil possint his rationibus conficio. Verba sunt quantitates: at quantitas nullam vim habet agendi. Quin etiam verba aut scribuntur, aut pronuntiantur; scripta sunt quid mortuum; prolata vim habent tantùm feriendi aërem: at sonus tactum non magis valet immutare, quàm color auditum. Quare cùm ad sanationem necesse sit sensum tactus immutari, verba nihil ad curationem possunt naturaliter. Sed & si verbis aliqua vis inesset, aut à forma, aut à materia illam acciperent: à forma nulla vis manat, quia artificialis est, & ex hominum instituto; propterea illis tantùm qui formæ authores sunt cognita. Materia vapor est, aër, halitus, qui pro varia cordis, pulmonum & organorum vocalium temperie; variam sortitur naturam; nec semper est vniusmodi: Adde quod omnis actio est ex contrariis; vt ergo nec color in saporem; nec sapor in odorem, nec sonus in figuram: ita nec verba in morbos quicquam efficiunt. Postremò si verba aliquid possunt, aut à natura id habent; aut ab hominum instituto: si à natura, ergo vnus erit & idem vbique gentium significatus, quia vna & eadem est rerum natura & in Delo, & in Scithia; & in Africa, & in Europa. At non modo diuersis nominibus vtuntur variæ nationes; sed eadem verba sæpe apud varias gentes res omnino diuersas significant. Si ex hominum instituto aliquid possunt, non aliam vim habere queunt, quàm animi sensa & conceptus exprimendi. Itaque conceptuum tantùm signa sunt. Obiicies verba in animos hominum imperium habere; & animi omnes affectus variè immutare. Lingua (inquit Apost.) pusillum est corpusculum, sed magna iactat. Ecce quantulus ignis quàm magnam syluam accendit: naues à minimo gubernaculo ducuntur; linguæ corpusculum animi omnes affectus variè mouet: lingua effrænis incoercibile malum, plena veneno mortifero.

Quomodo verba immutenta nimos.

Respondebo verba mouere affectus & animos immutare, non per se; sed ratione eius quod significant, pondere sententiarum, rationum momentis, vocum moderatione; adeo vt sermoni diserto

fectto in animos ducendos & abalienandos vis maxima sit. Atque hæc est veterum Pytho, Suadela, Herculis gallici aurea catena. Sicut non alienum à ratione est morbos omnes qui animum vehementer exagitant, carmine, cantu, modulo leuari lenirique: Quæ autem proferunt verba incantatrices, sæpe barbara sunt, ridicula, nihil significantia, sine concentu & modulis. Itaque nec animos mouere, nec corpora immutare possunt. Cùm ergò verba per se nullam vim habeant agendi, non est verisimile, verba quæ profert Rex Christianissimus dum strumosos tangit, ipsa per se sola strumas sanare, sed altiore vi mox explicanda.

Conclusio.

An imaginatio in mirabili hac strumarum curatione aliquid possit; Vbi multa de viribus imaginationis.

CAP. VII.

MVltos noui in Arabum fortasse schola educatos, qui Regis Christianissimi miraculum eludere studentes, causam admirandi huius effectus, ad aliquam animæ aut naturæ vim, maximèque ad imaginationem referri posse contendunt. Non est hæc opinio suis destituta patrociniis, sed multis iisque veri quadam specie adumbratis se fulcit sustinetque rationibus. Imaginatio, Aristoteli tertio de anima, cap. 3. est motus à sensu facto in actu; vel actus animæ simulacra sensibus apprehensa intellectui repræsentans. Et quia visus externorum sensuum est nobilissimus (plures quippe rerum differentias nobis commonstrat) non fit autem visio sine lumine, quod Græcis φῶς dicitur, ab eo sensu κατ' ἐξοχὴν φαντασία nomen sumpsit. Huius phantasiæ tam admiranda est vis eiusque in fingendo tanta libertas, vt nunquam ferietur: nam & vigilans, & inter dormiendum somnians, ea aliquando facit, cogitat, effutitque quæ diuinitatem mentiuntur. Sic noctambuli tecta conscendunt, per trabes & lacunaria oberrant, nihil non audent intrepidè. Somniantes futura præsentiunt, vaticinantur. Huic facultati quia princeps est & ἡγεμονικὴ inferiores omnes tanquam ministræ subseruiunt & ancillantur. Hæc spiritus omnes & humores mouet celerrimè; vnde fit vt oscitante alio, nos pariter oscitemus: altero acerba gustante, alteri saliua in os prosiliat: mingentem si quis intueatur, mingat & ille statim: Venere imaginata, distendatur penis, semen in prostatis contentum copia turgens & qualitate sua pruriens titillansque excutiatur. Venerem si auertetur & horreat quis, aut de se ipso diffidat, huic flaccescat penis tanquam fatuus & vietus, sicque ad veneris delitias reddatur ignauus. Tanta est imaginationis potestas, vt existimarint Arabes quidam, animam illius virtute sic extolli posse, vt non in proprium corpus modo sed etiam in alienum agere possit, proptereaque nobilitatas animas permutare elementa, ventos mouere, ignes suscitare, fulgura & tonitrua vibrare, sanare quos velint, denique imperium in omnem habere materiam: adeo ut quæ de Apollonio Thianæo, Pythagora, Empedocle, Philolao narrantur miracula, solius imaginationis vi contigerint. Alii phantasiæ sublunaria omnia tanquam cœlesti intelligentiæ obtemperare, hanc cœlum & astra cogere, iisque pro libidine abuti voluerunt. Nonnulli ab imaginatione spiritus manare existimarunt, qui non secus ac rationale quoddam sydus in quaslibet res pro imaginantis arbitrio radios nunc salutares, nunc noxios diffundant. Auicenna libro de animalibus, Algasel, Gazen, Pomponatius credunt animam nostram ad naturam intelligentiarum, quæ orbium cœlestium sunt motrices, proximè accedere, eique materiam mundi omnino obedire. Vt ergò intelligentiæ superiores formas animalium, metallorum, plantarum producunt; nam ex Aristotelis doctrina, Solis intelligentia non solùm muris corpus fabricat, sed etiam dat animam in fimeto: ita & anima nostra vi imaginationis formas producere potest, & non in proprium corpus modò, sed etiam in alienum agere. Id vulgaria concipientium & vtero gerentium exempla satis confirmant: nam rei excogitatæ similes pinguntur imagines; eiusque optatæ simulacrum tenello fœtui imprimitur; inde stigmata, næui, lituræ, & variæ formæ. Si leporem imaginetur grauida, infans edetur labello supremo bifido: Si fixis oculis intentoq; animo Æthiopis imaginem conspiciat mulier, nigram prolem generabit. Quædam cum simiam haberet in delitiis, puellam peperit quæ simiæ instar & laritare, & gesticulari nouerat. Alia puellam omnino hirsutam enixa est, quia imago S. Iohannis in conceptu ei obuerfabatur. Mulier quædam fœtum vrsineis vnguibus edidit, quia aduersus paries vrsum habebat depictum. Referunt Auicenna & Albertus, pullum prodiisse ceruice accipitrina, quia timuit inter concipiendum gallina viso accipitre. Ita ex monstrosis prægnantium imaginibus, monstrosæ fiunt generationes. Sed cur aliena quæro cum domesticis exemplis abundemus? Ex multis vnicum proferam rarum & inauditum. Superioribus annis honesta quædam mulier Luteriæ puellum edidit, cui gemina erat omnino facies. Causam cùm à parentibus sciscitarentur medici, affirmauit mater, solitam se speculum fractum (quod geminata omnia repræsentat) quotidie intueri. Hoc vidit, & narrauit mihi D. Ioannes Martinus Regis, & Reginæ medicus, doctrina & experientia

Quid sit imaginatio.

Cur phantasia dicatur.

Effectus imaginationis.

Dormientiū imaginatio.

Imaginationi inferiores omnes facultates obediūt.

Arabum de viribus imaginationis opinio.

Imaginationem in alienum corpus imperium habere.

Imagines rei excogitatæ à matre tenello fœtui imprimi.

entia celeberrimus. Pauo dum ouis ſuis incubat, ſi linteis albis circumtegatur albos omnino pullos, non gemmantis coloris edit. In niuoſis locis, Scythia, Alpibus, Noruegia, accipitres, vrſi, lepores, perdices, turtures, pauones albi ſunt. Hoc artificio olim vſus Iacob, obiectis variegatis virgultis, maximam ſui gregis partem verſicolore vellere præſtitit. Hac arte columbæ fiunt variegatæ, vt eleganti carmine cecinit Opianus:

Atque columbarum pullos hac arte figurant,
Stragula flammeolis oculis rubroſque tapetes
Et veſtes oſtro perfuſas obiicit anceps;
Sicque oculos paſcens animos eludit amantes;
Et pullos edit rubro diſcrimine miſto.

Plutarchus ſcribit, inuidiam imaginatione, & proprium tabefacere corpus, & alienum contaminare. Itaque cum phantaſiæ tam admirandi ſint effectus, poſſe aliquem illius virtute, alienum corpus mouere, faſcinare, ſanare, non eſt à ratione alienum. Quòd ſi ad eam vim, accedat diſpoſitio ſuſcipientis, id eſt ſi ægri imaginatio concurrat, perfecta ſanitas ſperari debet: nam ſæpe fit vt firmiter credentes ſpectra habeant pro rebus. Voluit Hippocrates ægri fiduciam ad morbi depulſionem multùm conferre: Plures ſanat cui plures fidunt; & princeps Arabum Auicenna, laborantis bonam ſpem omnibus medicæ artis præſidiis præfert. Seneca nos ſæpius opinione, quam re laborare ſcribit; eſſeque plura quæ nos exterreant; quàm quæ præmant. Propterea melancholici omnes effectus ſunt contumaces, quia demiſſo ſemper & abiecto ſunt animo melancholici, ac de ſalute plærumque deſperant, omnia ſub ſpecie mali & falſi, non ſub ſpecie veri & boni ſibi proponentes: vnde fit vt orcum pro luce, falſa pro veris, adulterina pro legitimis accipiant; ideoque abſurda & imaginentur, & loquantur, & faciant, belluarum inſtar. Ite nunc ô mortales & magnificis cogitationibus pectus implete: quàm leui momento ſede mouetur, & labefactatur ſacrum illud palladium rationis, illa Dia mens, dux atque imperatrix vitæ, cuius fiducia tantoperè inſoleſcimus? Hæc ſunt de viribus imaginationis Arabum commenta. Ego quid poſſit in morbis curandis imaginatio, & an in hoc ſtrumarum contactu aliquid valeat, breui ac dilucida oratione aperiam. Imaginationis vires, aut ſunt ex parte agentis, id eſt eius qui ſanare creditur; aut ex parte patientis, id eſt eius qui ſanatur, liceat vocabulis vti ſcolaſticis, quia rem exprimunt ἐμφαθηκοτέρως. Regis Chriſtianiſſimi qui ſtrumoſos ſanat imaginatio, nihil poteſt in ægros. Nam cùm imaginatio ſit animæ facultas, anima autem definiatur ἐντελέχεια id eſt actus primus corporis organici, in proprium tantum corpus quod informat, non alienum vires ſuas exercet. quid enim extra corpus proprium poteſt vibrare anima, niſi aut radios, aut ſpiritum tenuiſſimum, aut ſpecies immateriales? Radios ab imaginatione manare niſi fortaſſe ἀναλογικῶς non admittent qui in palæſtra Peripateticorum ſunt verſati: nam ſi ab oculis corporeis nec lumen, nec radios emitti voluit Ariſtoteles; propptereaque non emiſſione, ſed receptione tantùm viſionem fieri exiſtimauit: quomodo radios illos phantaſticos nullius extra proprium corpus vſus concederet? Spiritus corporei extra corpus proprium, non ampliùs animæ inſtrumenta ſunt; Itaque illius imperio non ſubiiciuntur, ſed huc illuc vagantur, oberrant, & quia aërei ſunt ignei que eò feruntur, quò motus elementaris eos ducit, vel pelluntur à quouis ambiente validiore. Præterea naturales ſunt iſti ſpiritus, & facultate naturali venenatæ cuiuſdam auræ inſtar, nocere poſſunt, ac morbos inferre, nec certos tantum homines lædunt, ſed obuios quoſque, vnde morbi contagioſi. Sic qui ab oculis accenſis & phlegmone laborantibus educitur vapor, ophthalmian parit: qui ab ore & cæcis cutis ſpiraculis expirat halitus putris, febres malignas excitat. Ab eo autem naturali ſpiritu ſanitas non comparatur, quia vt iam docuimus, ſanitas non communicatur vt morbus. Species quia materiæ conditionem non redolent, nullam alterationem materialem inducere queunt, nec alia re mouere poſſunt, quàm occurſu & repræſentatione. Quod ſi obiicias Ariſtotelem libro de animalium motu, & & ſecundo de anima, qui imaginationis ſpecies corpora noſtra alterare ſcripſit: Reſpondebo, id ex euentu fieri, dum rei iucundæ aut triſtis obiectu appetitum mouent, qui vel vtilia proſequitur, vel nocitura fugit, atque ita ſpiritus prima animæ inſtrumenta & humores mouet. Iam verò ſi in proprium corpus non omnia poteſt quæ vult & concipit hæc facultas, quomodo in alienum aget? Agens enim omne in propinquum potiùs quàm remotum obiectum agit. Debet ergo imaginantis actio vires nocendi, aut ſanandi in proprium corpus potiùs exerere quàm in alienum. At in perfecta paralyſi & reſolutione partis, cur membrum non iactat; cur non mouet, cur non ſenſum largitur? In gangrena particulari, extincto, intercepto, ſtrangulato natiuo calore, cur in venas & arterias, vitales & ſalutares radios non diffundit? Præterea apud Peripateticos, omnis actio & paſſio fit per contactum: at ſpecies in imaginatione receptæ externa obiecta non tangunt. Sed & imaginatio apud philoſophum tria tantum denotat, nempe aut eam animæ facultatem quæ imagines fingere nata eſt, aut ſimulacrum conceptum, id eſt ſpeciem imaginatam, aut actionem ipſam. Nam vt in ſenſu tria ſunt, facultas ſen-

Imaginatio ægri quantum poſſit.

Melancholici affectus cur contumaces.

Imaginationem nihil poſſe in aliena corpora.

Ratio. I.

Radii non manant ab imaginatione.

Spiritus extra corpus non reguntur ab anima.

Quomodo ſpecies alterare poſſint.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

 tiens,

Imaginatio tria significat. tiens, sensibile, & sensio. In intellectu totidem; intellectus, intelligibile, & intellectio. Ita in imaginatione, vis fictrix, imaginabile, imaginatio: Facultas sola sine specie idem potest, quod oculus obdormiens aut lumine orbatus. Species rerum tantùm effigies non res ipsas repræsentant, vt in speculis, non res, sed earum tantùm vmbræ recipiuntur: at similitudines parum possunt. Sic equi imaginata species equum non gignit, nec qui ignem imaginatur, alienum corpus calefaciet. Species nihil supra naturam suam possunt producere, sed hoc solùm possunt agere, significare, figurare, repræsentare. Imaginationis actus vnus & idem est cum re imaginata: non ergo impellit corpus, nisi quatenus imaginum obiectu appetitus ex-

Quinta. citatur ad fugam vel amplexum rerum, hinc varij spirituum motus & morbi. Age verò solæ illæ actiones extra efficiens aliquid moliuntur, quæ in effectore non manent, sed transeunt in passum. At imaginatio est actus in imaginante manens, quippe sensio quædam est, nec mu-

Sexta. tat aliquid, vt oculus colorem quem inspicit non immutat. Adde quòd si in alienum corpus vim haberet imaginatio, posset citra contactum distans obiectum alterare, atque ita in infinitum ageret, cur enim non agat in quamuis distantiam, quod contactum ad agendum non requirit? Siquidem in omni actione naturali, interualli mensura requiritur. Postremò si quæ

Septima. de phantasiæ uiribus prædicant Arabes vera essent, facultas hæc non modò inter res naturales esset nobilissima, sed planè diuina, & intellectu multò præstantior: non enim quia affirmat intellectus rem esse vel non esse, ideo res est, vel non est. At si ex imaginatione res fierent aut mouerentur, similis esset imaginatio Diuino intellectui, qui verbo omnia fecit. Conclu-

Contrariæ rationes diluuntur. damus ergo, imaginationem in alienum corpus nullum habere Imperium. Quæ in contrariam partem allatæ sunt rationes, leuioris momenti sunt, quàm vt rei veritatem euertere & labefactare queant. Matris imaginatio tenello fœtui varias quidem figuras imprimit, sed fœtus ve-

Fœtus pars est matris. ro materno conclusus pars est matris, sanguine & spiritu materno alitur, viuit, transpirat. Sed cur exoptatæ rei fit potiùs in fœtu, quam in matre ipsa impressio? quia facilius in molli cera

Cur rei optatæ fit potius in fœtu quàm in matre impressio. quam in duro ferro cælantur imagines: At molliores sunt tenelli fœtus quàm matris particulæ; nam & ossa ipsa, Galeno teste, butyro aut caseo concreto similia sunt. Adde quòd copiosior fit humorum & spirituum in fœtum vtero ceu ergastulo conclusum, quàm in cæteras matris partes influxus; quia pelluntur, quia trahuntur maiore impetu; pelluntur mira naturæ prouidentia, vt sit in vtero velut altera nutricatus officina; vnde fit vt postremis mensibus membrana vteri præter vulgi & veterum opinionem sit crassissima, carnosa, fungosa, spongiæ similis, in multos cortices fungorum more diuidua, Trahuntur a fœtu; Ἕλκει γὰρ (ait Hippocrates libro de natura pueri) ἀπὸ τοῦ αἵματος τὸ γλυκύτατον, *trahit quod dulcissimum est in sanguine;*

1. De morbis mulier. Vnde fit vt mulier vterum gerens, tota sit cum vitore pallida, quia putus ipsius sanguis quotidie ex eius corpore detrahitur. Modum autem quo cælantur in fœtu rei optatæ imagines, ex-

Quomodo cælantur in fœtu rei optatæ imagines. pressit eleganter Auicenna. lib. de animal. *Fortis imaginatio* (inquit) *spiritus aëreos, & natura sua mobiles statim mouet, hisque optatæ rei speciem insculpit: spiritus sanguini proximo fœtus alimento eandem figuram imprimunt. Atque vt aëri facultatis formatricis species eorum animalium quorum generatio est æquiuoca, à sole & cœlo communicatur; ita & spiritibus aëreis imaginationis simulacrum.* Vt ergo aër formarum est plenus, vnde fit vt in instanti fiat visio & receptio specierum: ita spiritus nostri species omnes admittunt facilè. Non itaque matris imaginatio dum in tenellum fœtum agit, in alienum corpus, sed in proprium agit. Præterea notæ illæ & stygmata quæ in fœtu apparent, non semper ab imaginatione manant; sed sæpius à casu aut terrore aliquo: subito enim metu trepidat perculsum animal. Hæc cum ita se habeant, statuo Regis Christianissimi imaginationem quamtumuis validam, in alienum corpus & in strumosos nihil posse. Ægri verò, id est eius qui sanitatem ardentissimis votis expetit, expectatque quid valeat phantasia iam videa-

Imaginatio quid possit in proprium corpus. mus. Imaginatio in corpus imaginantis, potest omnia quæ naturalem habent coordinationem cum imaginatione; id est quidquid caloris, spirituum & humorum motus corpori, potest boni malique adferre, id omne in nobis potest imaginatio. At spirituum varij sunt mo-

Spirituum motus varii. tus, iique vel ordinarii, vel extraordinarij, vel naturales, vel violenti: ordinarii nunc ab innato principio manant, nunc ab alieno; ab insito principio mouentur flammæ instar in vtramque partem sursum, deorsum, intus, foras: sursum & foras quia leues; deorsum & intus ratione pabuli. Ab alieno principio, dum pelluntur, dum trahuntur: pelluntur naturales ab hepate, vitales a corde, animales compresso cerebro: trahuntur naturales à venis; vitales à singulis partibus, animales raro, nisi dolore aut voluptate afficiatur pars. Extraordinarij spiri-

Symptomata quæ ob varios spirituum motus nascuntur. tuum motus varij sunt ab externa causa vt plurimum concitati, iique nunc simplices, nunc miscellanei & turbulenti, vnde fit vt Hippocrates sexto Epidemiων spiritus appellet τὰ ὁρμῶντα vel ἐνορμῶντα, celeriter enim hi contrahuntur, funduntur, densantur, colliguntur, dissoluuntur. Itaque pro vario inordinato & turbulento spirituum motu, quos ciet imaginatio

Timor quid faciat. varia nascuntur symptomata, vt nonnunquam adhæc mors consequatur inopinata, sæpe etiam non sperata salus. Sic timentibus algent extrema, pallor ora occupat, concidunt vires

Confidentia. contracto intus calore. Confidentia verò ad interiora vias aperit, inhibet humorum impetum,

tum, firmatque naturam ad alacriter obsistendum. Ira calorem & spiritus ab intimis ad externa valido impetu concitat, vnde fit vt frigidis morbis aliquando conueniat & oculorum, aurium, linguæ impedimenta auferat; vt in muto Crœsi filio olim apparuit. Quantos ardores vel vindictæ cupiditas ciet in corde, vel libido voluptatis in iecore? Gaudium repentinum à centro ad circumferentiam momento spiritus commouens, eos fundit, dissoluit, & vitale robur exoluit. Sic Chilon Lacedæmonius, & Diagoras in amplexu coronatorum filiorum, Philipides nobilis poëta Philemon, Marcus Iuuentio Consul, Sophocles, Dionysius Tirannus, Policrata nobilis fœmina è Naxo insula, Nobiles duæ Romanæ præ nimio & repentino gaudio interierunt. Sunt & miscellanei quidam spirituum motus periculosi, dum nunc ad interiora mouentur & affatim ad exteriora redeunt; vt in verecundia. Sic Diodorum quendam scribit Plinius pudore defecisse, quod quæstionem sibi propositam dissoluere non potuisset. In morbis acutis qui celeriter, continenter & vehementer mouentur plurimùm potest imaginatio. In morbis quorum materia humor est in venis oberrans & nondum obfirmatus, multùm valet ægri imaginatio, confidentia, & de medico bona concepta opinio; exurgit enim natiuus calor, & naturam quæ sola morborum est medicatrix stimulat ad noxiorum coctionem, secretionem, excretionem. In melancholicis affectibus & his qui animum vehementer exagitant mira est phantasiæ vis: nam commotus animus imaginatione, harmonia dissoluta, quamplurima effutit temerè. Sed in morbis qui habitum contraxerunt, & quorum causa humor est crassus, frigidus, ægrè mobilis, parti infractus infixusque, in iis etiam in quibus nulla est per excretionem & motum aliquem humorum aut spirituum, crisis sperabilis, sola ægri confidentia parum prodest. Strumas autem ex eorum esse genere omnibus est exploratum: nam strumæ apud Paulum, ἀδένες εἰσὶν ἐσκιῤῥωμέναι glandulæ sunt induratæ, fiuntque à pituita crassa & resiccata, raro simplici, sæpius adulterata & folliculo proprio conclusa. Accedit quod strumosi diuersi habitus, ætatis, temperamenti, sexus, diuersis anni temporibus à Rege Christianissimo contacti intra paucos dies sanantur. Non itaque ab imaginatione spiritus & humores mouente hæc curatio.

Ira.

Gaudio repentino mortui.

Pudore extincti.

Imaginatio in acutis morbis multũ potest.

Imaginatio in melancholicis quid possit.

Imaginatio in hecticis & frigidis morbis parti alicui infarctis parum potest.

An Hispani & aduenæ ideo sanantur quia solum & cœlum mutant, victuque vtuntur tenuante; non autem per Regis Christianissimi contactum, contra calumniatores quosdam.

CAP. VIII.

QVi hunc veteris priuilegij splendorem Regibus Galliæ eripere conantur, vt diuerticula quæritent, fatentur sanari quidem Hispanos & aduenas ferè omnes, sed id mutatione victus & aëris contingere. Nam si apud Hippocratem, aphorismo quadragesimo quinto sectionis secundæ, Epilepsia mutatione victus & ætatis curationem admittit; Si apud eundem in longis morbis aëris & victus mutatio multùm prodest; cur non & in strumosis affectibus? Arthritis mutatione victus, & vitæ instituti sæpe curatur. Narrat Porphirius in vita Plotini, Rogatianum Senatorem Romanum podagricis chiragricisque doloribus, cum articulorum contorsione tam grauiter fuisse vexatum, vt vitam pro nihilo habere constitueret: qua de causa rei suæ domesticæ prospexit, & mox abiecto omni diligentiore vitæ cultu, migrauit in ædes Plotini Philosophi Platonici, vt quotidianos corporis cruciatus assidua eius institutione, tanquam iucundissimo pabulo leniret. Semel in die tenuiter cibum sumpsit, vino abstinuit, atque hac vsus constantia penitus ab arthritide liberatus est, & in Philosophum egregium euasit. Legimus quosdam, ait D. Hieronymus ad Iouinianum, podagra laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes cibos redactos conualuisse; caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ duo corpus frangunt & animam. Si itaque podagrici mutatione victus & aëris, curationem admittunt, cur non & strumosi? Probabilia quidem hæc multis fortasse videbuntur, sed si ad Lydium (vt aiunt) lapidem, & veritatis libellam reuocentur, nullius ad rem propositam erunt momenti. Sanatur epilepsia mutatione ætatis & victus seruatis legibus contrarietatis: nam cerebri intemperies humida pituitæ procreatrix, quæ pueritiam & infantiam solet comitari (vnde fit vt morbus hic puerilis dicatur) Hæc inquam intemperies ætatis mutatione in contrariam mutatur, quia iuuenibus ob natiui caloris ἐκλάμψεις humor absumitur. At strumarum causa cùm sit vt plurimùm humor pituitosus debet ex naturæ legibus, mutatione aëris calidi siccique in frigidiorem & humidiorem augeri. At quis nescit Hispanorum cœlum & solum nostro esse calidius sicciusque? Obiicies Hispanorum strumas non à pituita simplici sed bile, aut atro humore adulterata generari, vnde fit vt vlceribus scateant, proptereaque aëris gallici clementiam humores demulcere. Sed aëris mutationem solam, huius sanationis causam non esse ex eo patet, quod sæpe contingit Hispanos diu in aëre nostro versari, antequam salutiferum Regis contactum experiantur, quia aliquando aut ob negotia publica, aut ob priuatum sani-

In morbis longis aeris & victus mutatio multum prodest.

Rogatianus senator arthritide liberatus diatã.

Quomodo epilepsia mutatione ætatis curetur.

Hispani ob aëris & victus mutationem non sanantur.

Ratio prima.

Secunda,

tatis

tatis commodum in aliud tempus differt; Et tamen cum ea aëris fruantur clementia, non priùs ſanantur quàm à Rege contacti fuerint. *Tertia.* Neque verò ad victus rationem & aëris noſtri temperiem curatiò hæc referri poteſt; quia aduenæ multi, & Hiſpani quamplures pauperrimi, victum oſtiatim quæritantes, prauis & crudis cibis victitantes, ſub Dio commorantes, ſæpe horriduli & rigentes, crudorum & prauorum humorum copiam congerunt, qui mali fomitem ſubminiſtrant & augent. *Quarta.* Sed & mutent aërem quem velint Hiſpani, currant ad extremos Indos, per mare, per ſaxa, per ignes, victu vtantur ſiccante, tenuante, temperato, aut alio quouis, non tam citò ſtrumis ſanabuntur. *Quinta.* Deinde Hiſpanorum, Italorum, Belgarum diuerſi ſunt mores, habitus, temperies, diſſimilis diæta, & in victus ratione, & in vitæ inſtituto; at Regis contactu ſanantur penè omnes. Non negamus victum exquiſitum in præcauendis & curandis ſtrumis vires habere maximas, ſed victus iſte temperiem alterare & habitum immutare non poteſt, niſi ſenſim & longo temporis interuallo. At iſti aduenæ ſalutiferam Regis manum experti, paucis poſt diebus ſanantur. *Sexta.* Sed quid de indigenis & Gallis dicent iſti calumniatores? nam nec cœlum, nec ſolum, nec victum mutant, & tamen ſanantur pene innumeri ſolo Regis contactu. *Septima.* Adde quod diuerſa eſt cuique ægrotanti & peculiaris diæta: at vna eſt & perſimilis omnibus per Regium contactum ſanatio. Non igitur vt rem in pauca contraham hæc à uictus aut aëris mutatione.

Mirabilem ſtrumas ſanandi vim Regibus Galliæ conceſſam, à ſublimi aliqua cauſa manare, & ſupra naturam eſſe, eamque non à Dæmone: vbi de Dæmonibus multa, & quot modis morbos inferre eoſdemque ſanare poſſint.

CAP. IX.

CVM itaque ex his quæ fuſa verborum ſerie diſſeruimus, cuilibet planum & apertum ſit, Regem Galliæ Chriſtianiſſimum ſtrumoſos ſanare, non ſola prætogatiua Regia, non vi quadam familiæ Regiæ gentilitia & connata, non contactu ſolo eoque naturali, non verbis, quæ ſola per ſe nullam vim habent agendi, non imaginatione, nec vlla vt vno verbo dicam animæ aut naturæ vi; Non eſt cunctandum profiteri, à ſublimore cauſa id fieri: ſublimior hæc cauſa aut eſt Deus, aut Cacodæmon. Multæ ſunt ſanationes & liberationes magicæ, quibus variè ludit Diabolus, vt eius arte & præſtigiis multi morbi fiunt. Id autem quomodo contingat iam explicare aggredior. *Dæmon hominis aduerſarius, & cur.* Dæmon ob ſuperbiam è cœlo pulſus & lumine gratiæ omnino orbatus, quia videt hominem ad Dei imaginem efformatum, vacuas in cœlo ſedes & ruinas aliquando impleturum; vindictæ cupidine exardeſcens, humani generis hoſtem infenſiſſimum ſe profitetur, ei perpetuò inſidiatur, & illius fœlicitati inuidens, laxatis aliquando à Deo omnipotente habenis, totam furoris rabiem in eum conuertit: & ideo ad eius malitiam exprimendam varia in ſacris litteris habuit nomina; *Dæmonis varia nomina illius malitiam exprimentia.* Nam Hæbreis Sathan dicitur id eſt aduerſarius, Græcis διάβολος id eſt calumniator, aliquando Leo rugiens, oberrans vndiquaque & quærens quem deuoret, Draco, Aſpis, Baſiliſcus, Serpens ob virulentiam, Princeps tenebrarum & omnium aëris tempeſtatum, vas furoris & iræ, apud Eſaiam & Hieremiam, vas interitus, apud Pſalmographum, inſidiator, lucifugus, præſtigiator, quòd variis formis & Phantaſmatum ludibriis obverſetur. Itaque nunc in animam, nunc in corpus, multis fraudibus & ſæpe ſub ſpecie recti, ſuæ malitiæ peſtiferum eructat euomitque virus. Sunt autem mille illi nocendi artes, quia mira eſt eius poteſtas; vnde Dæmon apud Platonem in Cratylo, *Dæmon ab accurata rerum omnium cognitione ſic dictus.* ex Heſiodi ſententia, ab accurata rerum omnium cognitione quaſi Δαήμων eſt dictus. Hunc D. Auguſtinus multiſcium vocat; quòd viuacitate doloſi ingenij, ſeminales per congruas elementorum permiſtiones virtutes, hominibus incognitas cognoſcat. Non eſt (ait Iobus) ſuper terram poteſtas quæ conferatur ei, qui natus eſt nullum timere. Enimuero quàm varias mentibus noſtris diuinæ particulis auræ inſidias continuò paret, explicare non eſt inſtituti noſtri: ſunt hæc Theologorum propria: quid tantùm in corpus & corporeas animæ facultates poſſit aperiamus. Communis eſt omnium conſenſus, Dæmonem mira præſtare tribus modis; Mouendo locali motu corpora omnia velociſſimè; Actiua paſſiuis celeriter, ſolertè, & vt terminis vtar ſcholaſticis efficaciter applicando; Et illudendo. Nouit enim Prothæi inſtar varias oſtentare formas.

Omnia transformans ſeſe in miracula rerum.

De locali motu certum eſt, Dæmones mouere poſſe corpora tam rapido & veloci motu, quàm cœlum videmus moueri, nec id repugnat Peripateticorum principiis; nam ſi apud Ariſtotelem, quælibet intelligentia ſuum orbem mouet; cur non & Dæmon intelligentiis peripateticis nobilior? Eſt enim è ſuperioribus Hierarchiis, nec propter lapſum naturam amiſit angelicam, ſed lumen tantùm gratiæ & fauoris diuini. Si per animales ſpiritus omnino corporeos animalis appetitus momento fere brachium ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum & in orbem mouet. Si animæ ſolius nutu & imperio grauia ſurſum feruntur: cur non &

Dæmon

Dæmon mira celeritate corpora omnia quamtumuis grauia mouebit? Dæmon inquam, qui ab organis corporeis non impeditur, sed in quodlibet corpus se insinuat, commouet, transformat, componit, diuidit, abiungiturque ab eodem cùm libet. Talis fuit ab Angelis Philippi Apostoli in Azotum translatio Ezechielis, & Abacuc à Iudæa in Babilonem, & ipse filius Dei & homo Christus, non-ne per aëra à Diabolo elatus fuit ad fastigia montium & pinaculum templi? Mouet ergo Dæmon corpora omnia velocissimè pro nutu & arbitrio; Et licèt motus ille videatur præter naturam corpori graui, non est tamen præter naturam corpori, vt orpus cui assistit: velocitas eius (ait Tertullianus) diuinitas creditur, quia substantia ignoratur; non tamen totam terram mouere potest, quia naturæ ordinem destruere nequit. Secundò mira facit Dæmon, dum agentia quæ nouit passiuis ritè applicat: nam rerum omnium quæ naturæ lege imperioque continentur species habet insitas, ideoque res omnes singulares, vniuersales, virtutes cœlorum, stellarum; elementorum, herbarum, metallorum, lapidum animalium, cognitas habet, nec intellectu eget agente, quia eius cognitio non est à sensibus. Itaque aliquando futura præsentit ingenii acumine, longa experientia, dolosa industria, & bonorum Angelorum quibus ea Deus reuelauit commercio; & sæpe vt diuinitatem mentiatur ambiguis & fallacibus responsis futurorum scientiam, quam sibi Deus reseruauit falsò vendicat. Vtitur ergò agentibus naturalibus vt instrumentis, & ex his nobiliores multò effectus profert quàm posset natura ipsa.

Quam ritè Dæmon actiua passiuis applicet.

Dæmones quomodo futura præsentiunt.

Sic elementaris calor dum formæ elementari subseruit calefacit tantùm, attenuat, rarefacit, homogenea cogit; sed dum nobiliori formæ animæ scilicet mancipatur nobiliores effectus promit: illius enim ministerio arbusta gemmas trudunt & viriditate foliorum vestiuntur, terra floribus redimitur, animalia cuncta in amplexus venereos ruunt, homo intelligit, monetur, sentit, & animæ omnia obit munia. Postremò mira est in præstigiis & illusionibus Dæmonum vis; decipiunt enim sensus nostros vt volunt, & quando volunt, maximè verò visum, mutando medium, organum & obiectum. Sic Bothinici Septentrionales, referente Olao magno, per summam ludificandorum oculorum peritiam, suos alienosque vultus variis rerum imaginibus adumbrare callebant. Mutant medium, aërem scilicet, aquam, aut corpus diaphanum, dum aliena qualitate eum imbuunt, vnde deprauata omnia obuersantur, dum aërem mouent, species multiplicant & impediunt ne ad oculum feratur. Organum afficiunt dum illius situm immutant; debent enim pupillæ in eodem esse plano, alioqui geminata apparent omnia; dum spiritui visili, & lumini interno aditum ad opticos neruos & crystallinum humorem princeps visionis instrumentum denegant. Sed in obiecto variè immutando variè & mirè ludunt. Illud enim celeriter agitant, occultant collocant, nouum obiiciunt, assumunt, transmutant, & formant corpora ex aqua, aëre, elementis pro libito, vt non videantur planè commentitia quæ poëtæ fingunt de Saturno; inequum mutato, Philomela in lusciniam, Io in iuuencam, Daphne in laurum, Clitia in heliotropium, Aretusa in fontem, Hecuba in caniem, Acteona in ceruum, Calisto in vrsam. Est autem tam facilè Dæmoni & Angelo corpus aliquod assumere naturale, quàm materiæ formam suscipere æquiuocam: Si enim solis intelligentia non solùm muris corpus fabricat, sed etiam dat animam in fimeto: quantò faciliùs, celeriùs, commodiùs confecerit Angelus sibi corpus, qui Angelus est nobilior quàm Solis intelligentia: est namque vt iam diximus è superioribus hierarchiis. Variis ergò formis & spectris malignus ille præstigiator etiam sub meridiem obuersatur: vnde psalmographus aliquando Dæmonem meridianum vocat. Quod si præstigiatores, circulatores, histriones industria multa faciunt quæ vulgus credit miracula: quàm magnum (ait D. Augustinus libro de Trinitate) fuerit Diabolo & Angelis eius de corporeis elementis aërea corpora facere quæ caro miretur, aut occultis inspirationibus ad illudendos humanos sensus phantasmata machinari quibus vigilantes & dormientes decipiat? Scimus antiquis temporibus fuisse præstigiatores mirificos quos Græci γόητας καὶ ἀγύρτας vocant, θαυματοποιοὺς, incredibilia edentes spectacula, vt supra gladios saltitare, deuorare videri pugiones, flammas ex ore efflare, vinum ore quasi inde haustum effundere: quorum prioris mentio fit in Xenophonteo symposio: alterius in laconicis dictis à Plutarcho: reliquorum ab Athenæo: quæ tamen studia erant industriæ naturæ diu multumque in vsu & exercitatione rerum versatæ. Si ergo præstigiatores illudunt plebi, faciuntque arte, vt videantur esse quæ nec sunt, nec esse possunt: quantò celeriùs & faciliùs id Dæmon præstabit qui in occultandis fraudibus est sagacissimus? Magna est igitur & penè incredibilis Cacodæmonis potestas & in motu locali, & in solerti agentum applicatione & in præstigiis: nihil tamen ab eo fit quod impossibile sit fieri, definita est enim vniuscuiusque rei potentia, vltra quam quicquam agere aut pati non est apta natura, propterea quæ Dæmon facit mira potiùs quàm miracula, & veriùs præter naturam dici debent. Solus Deus vera facit miracula: Dæmon ficta tantùm & simulata. Hæc vt illustriora euadant, obseruandum est duplicem esse in Deo potestatem, ordinariam & extraordinariam. Illa nihil aliud est quàm ordinatio diuina, qua voluit ex natura certo modo mixta,

Calor nobiliori formæ mancipatus nobiliores effectus producit.

Dæmonum in præstigiis mira potestas.

Quomodo sensus decipiunt.

Obiecta quomodo immutent & organa ac media sensum afficiant.

Dæmones possunt sibi conficere corpora.

Præstigiatores industria mira facientes.

Deus solus vera facit miracula.

Dæmon ficta.

Potestas in Deo duplex ordinaria & extraordinaria.

mixta, ab agente determinato per motum in tempore factum definitum effectum produci. Hæc duplicem habet ordinem: primus miraculosus est, cuius principium non est rei singularis natura, sed sola Dei voluntas absoluta: alter est ordo prodigiosus, qui re ipsa non excedit terminos naturalis ordinis, sed tantùm rationem modi, quem plærique ignorant. Dæmon ventos mouet, ignes suscitat, fulmina vibrat, non quod procellarum, ventorum, ignium materiam creet: vnus enim est Deus (ait Propheta Regius) qui ventos producit de thesauris suis: sed quia rerum omnium semina quæ scit ad nocendum esse idonea depromit, & agentia quæ nouit passiuis ritè & celeriter applicat. Miracula facere solius est potentiæ infinitæ: solus Deus est infinitus: solus itaque vera facit miracula: quia solus ille creare, & mutare naturam præter, & supra naturam suam potest.

Solus Deus creat.

Dæmon non creat.

Creat autem aut verè, dum ex nihilo aliquid facit: aut impropriè, dum aliquid ex subiecto, vel in subiecto sine antecedente alteratione subitò facit ad quod natura sua natum non erat. Dæmon nec creat, nec in materiam formam aliquam inducere potest quam potentia non habuerit prius, nec eam aliter mutare, quàm quomodo mutari apta nata est: naturæ enim ordinem mutare nequit nisi author naturæ.

Dæmon non ex quolibet quidlibet facit.

Ideo non ex quolibet quidlibet facit Dæmon. nec vacuum inducere potest, nec infinitum actum producere, nec à priuatione perfecta habitum comparare.

Dæmonis potestas omnis à Deo est.

Præterea omnis eius potestas à Deo est, ne pilum quidem de capite nostro mouere potest, nec lædit nisi vt loquuntur Theologi, permissiuè, aut vt vult Damascenus dispensatoriè, Chrysostomus limitata potestate. Eam autem nocendi vim Cacodæmoni Deus concedit, vel vt probentur boni, vel vt puniantur mali: sæpe enim Deus scelera nostra per Dæmonem vlciscitur, ideo Angelus iustitiæ & scelerum vindex dicitur. Sed iam sentio me longiùs prouehi, & fortasse in Theologorum campos paulò liberiùs excurrere. Itaque vela contraho, & vt respondeant vltima primis, dico

Dæmones morbos inferunt tribus modis.

Primus modus. Mouent internas causas.

Dæmones humani generis hostes infensissimos morbos inferre posse uariis modis. Primùm dum internas causas quæ aliquando sopitæ sunt, & latitare possunt per multos annos mouent. Sic atram bilem exagitando melancholica excitant deliria. Cerebri (quod μητρόπολις est τῆς ψυχῆς ἐκ τοῦ κακώδους pituitam liquando, si eam in pectus deturbent, catarrhos præfocantes, si in ventriculos cerebri, epilepticos insultus; si in totum cerebri corpus, apoplexiam; si in aurium anfractus, surditatem, si in neruorum principia, paralysin; si in opticos neruos, guttam serenam pariunt.

Secundus modus. Inficiunt humores & spiritus.

Est & alter modus Dæmonibus satis frequens & familiaris quo graues inducunt morbos. Si enim videant nullum esse in corpore & venis humorem aut copia luxuriantem, aut qualitate noxium, qui morbos inducere sit potens, ipsi serpentis in morem naturali veneno corpus inficiunt, & spiritus ac humores momentò inquinant; rerum enim omnium semina quæ sciunt ad nocendũ esse parata, de naturæ thesauris depromunt, vt lædant.

Aquæ mortiferæ Dæmonibus notæ.

Norunt in quibusdam regionibus aquas esse tetram & venenatam efflantes auram, vt in Italia Auernum, in Iudæa mare mortuum, inter Argos & Mycenas lernam, ad Hieropolin Syriæ, tetri ac letbalis odoris specum, vt quidquid eiusmodi halitum hauriat animantium statim intereat; in Beroso taurorum colle, In Crobi Regno, in Thessalia, Arcadia ad Pheneum, Thracia apud Cychros, Sotacte, Macedonia non procul Euripidis Poëtæ sepulchro, Terracinæ fontes mortiferos.

Planta venenata.

Sciunt venenatas esse plantas, aconitum, napellum, radicem thelyphoniam ipso quasi hierogliphico mortis figuram exprimentes, in Nubia genus veneni cuius si granum vnum propinetur in instanti perimit, apud Persas & Turcas venena solo tactu necantia. Ab his ergo virulentos spiritus hauriunt, excitant, à materiæ crassitie separant, collectos conseruant, & nunc in puerulorum corpora inspirant, vnde langor, marcor, tabes, nunc in aerem semina hæc conspergendo illum morbidum reddunt, & ita sæuissimæ pestis authores sunt. Sic Iobi viri pii & integra sanitate fruentis humores momentò infecit Dæmon, eumque

Tertius modus nocendi.

vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem percussit. Postremò morbos infert Dæmon, dum spirituum animalium, vitalium, naturalium, quæ animæ sunt primaria instrumenta influxum intercipit, aut reuocat. Sic sæpe fœcunditatem tollit, semini vias intercludendo & spiritus genitalis influxum prohibendo. Sic cæcitatem simulat dum animalium spirituum ad opticos neruos influxum impedit. Ita mille ille nocendi artes.

Liberationes Magicæ.

Vt autem cacodæmonis malitia & arte multi morbi fiunt; Ita multæ sunt liberationes magicæ, quas ipse nunc per se solus molitur, nunc per suos ministros; & ferè ab omni æuo suos habuit expiatores, impostores, magos, quorum meminit Hippocrates libro de morbo sacro. Hi (inquit) epilepsiam sacrum morbum vocant, & expiationibus ac incantamentis liberare conantur. Hi lunam abolere, solem obscurare, tempestates & serenitatem facere, ventos mouere, fulmina vibrare & similia posse gloriantur. Itaque lustrationes & purificationes proponunt, sed impii sunt &

Dæmon sanat tribus modis. Primus per media naturalia.

impostores. Sanare autem potest Dæmon tribus modis. Primùm per media naturalia: nam cùm rerum omnium habeat accuratam cognitionem, causam morbi, partem affectam, ægrotantis naturam, temperiem, habitum & vires exquisitè dignoscens multa quæ in naturæ thesauris sunt nobisque incognita, viuacitate dolosi ingenij in vsum medicum adhibet, vt radices, semina, flores, succos herbarum, pulueres, suffitus; atque vt paucis multa complectar,

actiua

actiua quæ nouit, passiuis ritè & celeriter applicat; Adeo vt quæ natura per se & medici illius ministri successiuè vel paulatim efficere possunt, ipse per saltum, vt D. Augustini verbis vtar, vel accelerationem operum naturæ celerius & nobilius facit. Vidit Rex Christianissimus rusticum, qui herbæ alicuius suffitu, momento ferè strumas omnes sanabat: monebat iste vomitum, quo pituitosa multa & cum his animalcula quæ scrophularum dicebat esse germina, deiiciebantur. Id sæpè à Rege ipso causam à me sciscitante audiui: id etiam viderunt Dominus de Lomenie Regi à secretis & sanctioribus consiliis, Dominus de Frontenac, Franciscus Martellus primarius Regis Chirurgus, aliique multi cubicularij. Ego id à Cacodæmone semper fieri existimaui, nec mea me fefellit opinio: nam rusticus iste, paucis post diebus euanuit, nec amicis & familiaribus eum vndique perquirentibus, ab eo tempore vnquam innotuit. Secundo sanat Dæmon morbos, dummali fomitem quem ipse subministrat, substrahit. Itaque, quæ Dæmonis ope leuatio creditur, fraus est, fucus est; non enim verè curat, sed qui Dæmon lædebat, ab offensione cessat. Læditprimò (ait Tertulianus in Apologetico) deinde remedia parat, & postquam desiit lædere, curasse creditur. Sic portentosæ quæ leguntur pestis curationes has Dæmonis fraudes & technas detegunt: ex multis vnicam proferam. Romam triennis pestilentia diuexat; Libris aditis Æsculapius Romam accersendus consulitur. Legatus eò profectus, de ingenti simulacro anguis se proripit, & in nauem Roman pergit: aduerso subuectus Tyberi, in insulam propinquam desilit, & post ibi constructum Æsculapio templum, pestilentia mira celeritate sedatur. Quid anguis? quid simulacrum Æsculapij mutum & brutum ad curationem poterat? Quid ergo est? Dæmon quem pestis fomitem immiserat, substrahebat, & hac arte sibi diuinos honores quærebat. Sanat itaque, dum causam mali cuius author fuerat, aufert. Postremò sanat Dæmon illusoriè; exhibet enim spectra, quibus rudiorum mentes & oculos quasi præstigiis eludit; & pro rebus vmbras obiicit; proptereanon alios suis sacris initiari & iure iurando obligari patitur, quam ignauos, credulos, imperitos; fugit doctos, animosos, constantes, & verè Christianos, Iuxta Patras Mineruam habuisse templum fama est, cum fonte ad hanc rem paratissimo. Si enim in hunc ab ægro dimittebatur speculum, factis piaculis, æger Dæmonum præstigiis sic præstò comparebat, qualis ad finem morbi futurus erat; Et fons similis fuit Achaiæ fatiduus, ante Cereris templum, vbi quoque de ægrorum successibus responsum habebatur, & vbi Dæmonum præstigiis multi sanabantur. Sed simulata est omnis, & ficta hæc Dæmonis sanatio, cuius admiratione peruersas hominum mentes irretire conatur; Et in eo differt à Diuina; quòd in diuinis operibus ordinata sint omnia & sibi consentientia; Diabolica, inordinata, tumultuaria, ludibriis & imposturis plena. Deus morbos curat perfectè; Dæmon imperfectè; est enim rediuiuum in his malum, quos Dæmon curandos suscipit. Et licèt possit Dæmon integrè persanare, tantum tamen beneficium, in hominem quem perpetua consectatur inuidia, conferre haud quaquam vult. Quæ antem à Rege Christianissimo suscipitur & perficitur strumatum curatio, fucata non est nec simulata, quia nec præstigiis vtitur, nec remediis naturalibus, nec ideo fomitem morbi subtrahit, quia ipse malum fecit: Non ergo à Dæmone.

Historia rara rustici strumas sanantis præstigiis & arte Dæmonis.

Secundus modus sanandi morbos Dæmonis familiaris.

Liuius.

Pestis fraudulenta curationes.

Tertius modus sanandi per præstigia & illusiones.

Diabolica sanatio quid differat à Diuina.

Vim mirabilem strumas sanandi Galliæ Regibus concessam, gratiam esse à Deo gratis datam concluditur.

CAP. X.

Quia remediorum quæ sunt præter, aut supra naturæ ordinem, alia sunt Magica, quæ à Dæmone, alia Diuina quæ à Deo: Est autem iam à nobis confectum, huius sanationis Dæmonem non esse authorem: Consequens fit necessariò, vim eam sanandi strumas Regibus Galliæ Christianissimis concessam, à cœlesti munificentia & Dei solius gratia singulari manare. *Ipse enim* (vt Regibus canit propheta) *omnes infirmitates sanat verbo virtutis suæ.* Id autem nunc sine natura facit, id est nullis secundis causis in opus aduocatis, & hæc potestas extraordinaria dicitur, nunc cum natura, id est secundis causis adhibitis, quæ potestas ordinaria est. Priorem Deus aliquando exercet per Angelos, Prophetas, Apostolos, sanctos & priuatos homines: Posteriorem per media naturalia, per Medicos qui plantis, lapidibus, animalibus variè vtuntur. Altissimus enim in hominis vsum de cœlo creauit medicinam, ideo hominem rerum omnium finem vocant, cui sublunaria omnia seruiunt, ipse nulli, nisi forte homo homini. Sanat ergò omnis generis morbi & langore confectos Deus: nunc per Angelos, sic Tobiæ visum restituit Angelus, & apud D. Ioannem, Angelus aquam quæ in probatica erat piscina mouebat, & sanabantur omnes: nunc per Prophetas, sic Eliseus Naaman Syrum à lepra liberauit: interdum per Apostolos, sic D. petrus claudum ambulare fecit; & quinto actuū Apostol. Petri vmbra omnes ægritudines auferebat: sæpe per sanctos & pios viros, mirabilis enim Deus in sanctis suis: aliquando per priuatos & electos homines, vt authoritatem illis conciliet, omnibusq; demonstret se eos charos habere. Donum hoc conferendæ sanitatis,

Deus verbo sanat.

Potestas Dei ordinaria & extraordinaria.

Sanat Deus. Per Angelos. Per Prophetas. Per Apostolos. Per sanctos. Per priuatos homines.

Donum sanitatis donum est supernaturale.

sanitatis, donum est supernaturale, & gratia gratis data à Deo. *Super agros* (ait D. Marcus) *manus imponent & bene habebunt*. Et apud Apostolum, Epistola secunda ad Corinthios. *Alijs quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alijs sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alijs prophetia, alijs operatio virtutum, alijs gratia sanitatum in vno spiritu. Manum tuam extendas ad sanitates* (dicebant Apostoli) *& signa, & prodigia erunt*. Petrus Blesensis Archidiaconus Bathiniensis. *Fateor* (ait) *quod sanctum est domino Regi aßistere: Sanctus enim & Christus domini est, nec in vanum accepit vnctionis Regiæ sacramentum. Cuius virtus si ignoratur aut in dubium venit, fidem eius plenißimam facit, defectus inguinariæ pestis, & curatio scrophularum*. Iacobus Valdesius Hispanus libro de dignitate Regum, regnorumque Hispaniæ, licèt Regibus Galliæ multa à Romanis pontificibus concessa, & communi omnium voto ac consensu probata, eripere conetur: tamen dum de strumosis loquitur, hæc ab illo extorsit veritas. *Non desunt, qui detrahere gloriæ Gallorum velint, id euenire dicentes, occasione aëris Gallici curandis strumis salubris, & ita omnes aërem mutantes, & ad regionem Galliæ venientes valetudinem recuperare. Sed ego sentio, id accidere gratia accessa à Deo Optimo Maximo eius obsequio deditis Regibus Galliæ & fidelibus, præsertim D. Ludouico, adeò quod in oppido Poblete, in regione Hispana Cataloniæ, vbi brachium veneratur D. Regis Ludouici, quos laborantes strumis tangit, brachium illud ad sanitatem reducit*. Petrus Pomponatius libro de incantationibus cap. sexto, licèt omnia quæ vulgus miratur, ad aliquam animæ aut naturæ vim referri posse contendat, tamen curationem scrophularum, Regibus Galliæ à Deo datam, aut per bonos Angelos fieri putat, propter bene gesta eorum in Ecclesia, vnde fit vt soli dicti sint Reges Christianissimi. Vis ergo hæc per contactum strumas sanandi, gratia est gratis data, quam cœlesti prærogatiua, primus Clodoueus Francorum Rex accepit.

Primus Clodoueus gratiam hanc à Deo accepit.

Nam cùm esset idolorum cultor, vxoris Clotildis monitu sacra lustratus aqua, & cœlestis muneris chrismate deliburus, per D. Remigij ministerium, Christianam fidem amplexus est, tuncque signa, miracula & prodigia apparuerunt, vt patet ex epistola Hormisdæ Papæ ad Remigium Rhemensem Episcopum, cuius iam capite secundo mentio facta fuit. Itaque verisimile est sanctum hoc chrisma, cœlitus vt ferunt demissum, cœlestis quoque medelæ vim in Reges Franciæ instillasse. Vnde ab eo tempore, & Christianissimi dicti sunt, & strumas sanare cœperunt, vt ex Laniceri historia & D. Thomæ authoritate iam demonstrauimus.

Vnctio Regiæ potestatis insigne.

Vngebantur soli Sacerdotes Prophetæ & Reges.

Fuit olim apud Hebræos, vt refert D. Hieronymus vnctio, Regiæ potestatis insigne, nec Christus, apud Lactantium libro quarto, proprium est nomen, sed nuncupatio potestatis & regni Vnctos habuit Deus semper charos & quasi in delitiis. *Nolite* (inquit apud psalmographum) *tangere Christos meos*. Vngebantur autem in veteri testamento soli Sacerdotes, Prophetæ, & Reges. In Leuitico capite octauo. *Tulit Moses vnctionis oleum, quod fundens super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit*. Heliæ præceptum fuit à Domino, vt Elizeum filium Zaphat, Propheram pro se vngeret. Primo Regum, Samuel iubetur Saulem vngere in Regem. *Cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël*: cui Samuel obtemperans, tulit lenticulam olei & effudit super caput eius, & deosculatus est eum. Tertio Regum. dicit Dominus ad Heliam. *Vnges Asachel in Regem super Siriam, & Iehu filium Namasi, vnges Regem super Israël*. Apud Esaiam. *Hæc dicit Dominus Cyro Christo eius*. Vngebantur ergo Reges, & inunguntur hodie quamplutimi, sed vt notauit Sebastianus Campegius libro secundo de monarchia ac triplici imperio, oleo oliuarum sacrato.

Clodoueus oleo cœlesti vnctus.

Primus Clodoueus oleo cœlesti inunctus cœlestis quoque medelæ vim in successores transfudit. Hoc ferè omnes qui gesta Francorum describunt, profitentur, hoc ex nostris, Floardus, Rhemensis canonicus, qui vixit temporibus Caroli simplicis, & Hincmarus Archiepiscopus testantur, hoc exteri ferè omnes, Ioannes Nauclerus in sua Chronologia, Surius in vita S. Remigij, D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Raphaël Volateranus libro tertio Geographiæ, Franciscus Petrarcha libro secundo de vita solitaria, confirmant. Id tota Ecclesia Gallicana approbat: Et D. Thomas qui vixit temporibus D. Ludouici, secundo de regimine principum, hæc verba iam à nobis citata profert. *Sanctitatis sacræ vnctionis argumentum assumimus ex gestis Francorum, & B. Remigij Super Clodoueum Regem, ex dilatione olei desuper per columbam, quo Rex præfatus fuit inunctus & inunguntur posteri, signis, portentis ac variis curis apparentibus in eis ex vnctione prædicta*. Ioannes Gersonius vir doctrina & pietate insignis, superstitionumque censor acerrimus, in quodam sermone de S. Ludouico, hæc dicit. *Remigius noster Rhemensis Archiepiscopus, dum Clodoueum misso cœlitus chrismate baptisauit, prophetico spiritu plenus has protulit, ipsum Franciæ regnum, Regesque ipsos fore gloriosos & stabiles, quamdiu in hac fidei confeßione manerent*.

Religio Gallorum.

Agathias Græcus author, libro primo de rebus Gothicis, scribit Francos inter omnes Christianos rectissimæ esse fidei, ideoque fore putat, vt imperium habituri sint maximum, firmissimum & diutissimè duraturum. Quin etiam sub paganismo, nihil erat in toto orbe erga suos Deos religiosius, quod Cæsar libro sexto de bello gallico testatur; idque antiquissimum eorum insigne videtur indicare,

Insignia Gallorum.

quod habuit aram cum duobus tauris candidis sacrificio paratis, & aureis cornubus, querna fronde & variegatis floribus reuinctis: nunc tria habet aurea lilia, in cœruleo colore miro splendore micantia, diuinum sane & cœleste aliquid spirantia. Itaque ob

pietatem,

pietatem, & verum religionis cultum, regnum Galliæ cæteris omnibus semper preluxit, & Reges Galliæ Christianissimi dicti sunt. Ideo dicebat Hieronymus, vnicam Galliam caruisse monstris, semperque viris fortissimis & eloquentissimis abundasse. Regni huius & Regum dignitatem, Gregorius Magnus libro tertio, Epist. ad Regem Childebertum scribens, eleganter confirmat his verbis. *Quantò cæteros homines Regia dignitas antecellit, tantò cæterarum gentium regna, regni vestri culmen excellit. Esse enim Regem, quia sunt & alij non mirum est, sed esse Catholicum quod alij non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor, in tetræ mortis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit: Ita fidei vestræ claritas, inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quidquid autem Reges cæteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis &c.* Gregorius nonus, Regem Franciæ vocat Christianissimum. Innocentius quartus, Principem Catholicum, Regem Christianissimum: Vrbanus quartus, Ecclesiæ sanctæ primogenitum, militem Christi egregium, Regem Christianissimum. Sed cur Christianissimi nomen Regibus Galliæ potiùs quàm Imperatoribus impositum? Videtur enim Constantino & Imperatoribus qui primi Christi nomen professi sunt, iure quodam concedi debere. Ego non sine ratione factum puto. Quia Constantinus enim si Christum corde agnosceret & ore profiteretur, baptismum tamen veri Christiani characterem distulit in extremum diem, vt Eusebius libro quarto, Socrates libro primo, & Sozomenus libro secundo testantur. Is enim Helenopolim relinquens, Nycomediam rectà proficiscitur, si in suburbiis graui morbo correptus, lauacrum baptismatis petiit, paulòque post testamento facto, totus exultans & gaudio penè incredibili perfusus, obdormiuit in Domino. Post Constantinum Imperatores quidam, & ex Christianis quamplurimi, non nisi in extremo mortis periculo sacri baptismatis aqua lustrabantur; quos meritò damnat Ambrosius, exponens istud Pauli ad Timotheum, *Bonum certamen certaui. Non omnibus* (ait) *reposita est corona iustitiæ, sed ei qui potest dicere, certamen bonum certaui. Quod ideò non prætermittendum arbitratus sum, quia scio quosdam dicere, quod ad mortem sibi lauacri gratiam, vel pœnitentiam reseruent. Primùm qui scis an in nocte proxima, tua à te anima reposcatur? Deinde cur putas otioso tibi omnia posse referri?* Et Augustinus exponens illud. Si scires donum Dei. *Non omnes* (ait) *sciunt donum Dei, quia non omnes desiderant aquam viuam, si enim desiderarent, nunquam circa se baptismi sacramenta differrent. Igitur de se pronuntiant, & vitæ suæ testimonium perdunt, qui ideò volunt tardiùs baptisari, vt flagitia & scelera multa committant. Noli differre ô homo remedia salutis tuæ, quoniam nescis quando à te anima tua repetatur.* Noluit Clodoueus noster Imperatorum in morem baptismum differre, sed statim vt Christianam fidem amplexus est, igne charitatis & humilitatis totus exardescens baptismum petiit. *Processit* (ait Gregorius Turonensis) *ad lauacrum deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus. Cui ingresso ad Baptismū, Remigius sanctus Dei sic infit ore facundo. Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti. Erat autem Remigius Episcopus egregiæ scientiæ & rhetoricis apprimè imbutus studiis; sed & sanctitate ita prælatus, vt Siluestri virtutibus æquaretur.* De Remigio Apollinaris Sidonius libro nono Epistolarum hæc refert: *Proprietatem habet in epithetis, vrbanitatem in figuris, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis, oratione liquida, sine rima vel obice, addito conscientiæ bono ornatum dictionis.* Præterea primi illi Imperatores Christiani dum coronabantur, ritus quosdam obseruabant, qui paganismum redolebant, quos primus Gratianus & recusauit, & deleuit omnino. At Reges nostri, statim vt Christiani facti sunt, nihil cum idolorum cultoribus habuerunt commune. Addam & hoc, Imperatores quosdam temporibus interiectis, à fide Romana & Pontificum decretis defecisse. At Galliæ Reges pro fide catholica, & Sacræ Ecclesiæ Romanæ, ac Pontificum authoritate semper strenuè dimicarunt, multosque Pontifices ab Imperatoribus pulsos, & quasi in exilium relegatos, non modò humaniter exceperunt, sed etiam illatam illis iniuriam, & propulsarunt, & vindicarunt. Testes erunt Vrbanus secundus, Gelasius secundus, Paschalius secundus, Alexander tertius, Honorius tertius, Gregorius nonus. Meritò igitur ob præclara hæc, & egregia in Ecclesiam Romanam merita, Reges Galliæ Christianissimi, & Ecclesiæ primogeniti dicti sunt, & dicuntur hodie. Baldus natione Italus, ait Francorum Regem præ cæteris Regibus ferre coronam libertatis & gloriæ, eiusque vexilla prima esse, & in Authentico; *Rex Franciæ* (inquit) *est in Regno suo tanquam corporalis quidam Deus: nam quod Rex facit, non tanquam ipse, sed vt Deus facit, quia per Principis os Deus loquitur, & quæ facit Deo inspirante facit.* Ex quibus satis patere arbitror, Regni huius peculiarem curam Deum habuisse, & Reges Galliæ præ cæteris omnibus Deo charos fuisse, illisque ideò prærogatiua quadam datam vim strumas sanandi. Itaque vt totius disputationis summam in epilogum contraham, dico vim strumas per solum contactum sanandi, donum esse supernaturale, quod Deus gratia singulari & cœlesti munificentia, per traducem hæreditariam Regni, & sacram vnctionem, Regibus Galliæ Christianissimis, de sancta & Catholica Ecclesia bene meritis, confert; qui salutiferam manum explicantes, verba hæc cœlestem medelam stillantia, Gallico sermone proferunt. LE ROY TE TOVCHE, ET DIEV TE GVARIT. *Rex te tangit, & Deus te sanat*, atque

Cur nomen Christianissimi Regibus potius impositum quam imperatoribus.

In cap 15. Lucæ.

Tomo decimo serm. 2.

Lib 2. historiar.

D. Remigii laudes.

Conclusio totius libri.

apposito statim crucis signaculo, ab vno & trino Deo vim eam deriuari publicè profitentur. Hæc vis in Rege nostro HENRICO IV. tantò est illustrior, quantò ipse magnitudine animi penè incredibili, & clementia singulari cæteris omnibus præcellit. Sanat enim singulis annis plusquam mille & quingentos. Viuat igitur semper Augustus, Fortunatus, Inuictus, & Deo charus. Benedicat illi Dominus, & semini eius in æternum.



DE STRVMARVM NATVRA, GENERATIONIS MODO, DIFFERENTIIS, CAVSIS, SIGNIS, CVRATIONE QVÆ FIT ARTE, ET INDVSTRIA MEDICA.

LIBER SECVNDVS.

Glandulæ ob natiuam imbecillitatem multis quidem morbis obnoxiæ sunt; sed peculiares earum affectus strumæ sunt.

CAPVT I.



QVEMADMODVM morbi omnes, omnibus quidem ætatibus, naturis, tempestatibus contingere possunt, sed nonnulli magis in quibusdam ipsarum & fiunt, & exacerbantur: Ita humani corporis partes omnes, omnibus quidem morborum telis expositæ sunt; sed non omnium eadem est aut ad morbificas causas suscipiendas dispositio, aut ad earum iniurias propulsandas vis. Nam quarum natura exanguis est, temperies frigida, situs exterior, substantia rara, compages laxa, actio ignobilis aut nulla; hæ ἀπὸ τῶν ἐνεόντων καὶ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, id est à superfluis & inutilibus intus geniris & ab externis faciliùs afficiuntur. Cutis quia extremum corporis occupat & vsum tantùm communem habet, actionem autem nullam edit officialem. Glandulæ quia raræ & σπογγώδες. Articuli quia exangues & laxi, totius corporis superuacua & luxuriantes in visceribus ac vasis humores facilè excipiunt: cutis à calidis: glandulæ à frigidis; articuli ab omnibus, raro sinceris, sæpius adulteratis afficiuntur. Cutis viscerum quidem omnium, sed maximè hepatis inquinamenta excipit, vt indicant affectus illi cutanei, scabies, lepra, herpetes. Glandulæ, totius quidem corporis redundantiam aufetunt, ἀποσερίσκσι (ait Hippocrates libro de glandulis) τὴν πλεονεξίην ἄλλου σώματος, sed frequentiùs cerebri & partium quæ natura sua humidæ sunt & palustres. Articuli laxiores, quales sunt qui per diarthrosin connectuntur, à cerebro, hepate & vasis, sanguine, bile, sero, turgentibus, dolorum, tumorum, inflammationum caussis mutuantur. Ne longum faciam, si quis naturali œconomia, & publicis ac priuatis coctionibus error commissus fuerit, cutis statim, articuli, glandulæ totius mali pœnas luunt, & vt canit poëta,

Morbi omnibus temporibus fiunt.
Partes omnibus morbis afficiuntur sed alia magis.
Cutis vitia hepatis facilè excipit.
Glandulæ cerebri superuacua excipiunt.
Articula, cerebri superuacua.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Sunt namque inter omnes corporis partes, cutis, articuli, glandulæ natura & prima conformatione debilissimæ. Cutis ratione situs & vasorum productione debilis est, ideoque emunctorium dicitur vniuersale, & à Galeno inter τὰ ξυμφέροντα id est loca vacuationi conferentia recensetur: Ad eam enim vasorum omnium extrema desinunt; sed idem imbecillitatis incommodum natura compensauit, quia & multis spiraculis peruiam eam fecit ad liberam transpirationem, & in extremo locauit, vt ei facilius mederi liceret. Articuli fluxionibus excipiendis sunt opportuni, quia debiles, quia laxi, debiles, ob natiui caloris penuriam, sunt enim exangues, osseis, nerueis & membranosis partibus constantes, vasa habent exilia, paucum spiritum & sanguinem deferentia: laxi, propter motum. Glandularū natura spongiosa est ἀραιοὶ μὲν καὶ πίονες, sunt enim raræ & pingues, quod facilè deprebendes, si multa vi ipsas digitis compresseris, humorem enim oleosum emittent, etumperq́ sanguis specie albus velut pituita: hæ pituitam, serum & supervacuos humores spongiarū modo absorbent, propterea earum figura rotunda est & oblonga, & in partibus cauis iisque præsertim quæ natura sua humidæ sunt & sanguine plenæ, plures sunt & maiores, quàm in solidioribus & minus succulentis:

Cutis, articuli, glandulæ partes sunt debilissimæ.
Cutis cur debilis.
Articuli cur debiles.
Glandulæ cur debiles.
Hippocr. lib: de glandul:

lentis: sic pone aures & circa collum, vbi sunt iugulares venæ, circa alas vbi axillaris adest ramus, circa inguina vbi cruralis apparet vena, glandulæ sunt insignes, ttium principum partium supervacua excipientes, quas ideò vulgus emunctoria vocat Quæ si afficiantur aut intumescant, visceris alicuius intemperiem & prauam διάθεσιν indicant. *Abscessus* (inquit Hippocrates sectione secunda libri sexti Epidemiων) *veluti glandularum tumores, eorum quidem locorum ex quibus progerminant, ac velut stolones ducuntur atque etiam aliorum specimen exhibent, ac præcipuè viscerum.* Iraque cutis, atticuli, glandulæ ob nariuam imbecillitatem morborum sunt feracissimi. De cutis & articulorum affectibus hîc disserere non institui, neque etiam glandularum omnes morbos explicare; Ea tantum tubercula describere placet quæ Græci χοιράδες, Latini strumas & scrophulas vocant; primùm quia ex Hippocrate libello de glandulis, peculiaris est hic glandularum affectus, quod Galenus commentario in aphorismum vigesimum sextum sectionis terriæ confirmat. Τούτων τῶν ἀδένων ἐστι πάθημα καὶ ἡ χοιράς, id est adenum passio struma quoque est. Deinde quia pessimum est hoc morbi genus, Hippocrati libro citato, accuraram medici manum & industriam postulans: non enim vt ait Celsus libro quinto facilè maturescit, & siue ferro, siue medicamentis curetur, plærumque iterum iuxta cicatrices ipsas resurgit. Præterea satis frequens & communis est hic affectus, populaliterque præter morem apud nostros grassatur, licèt apud quosdam & in plærisque locis endemius sit, vt in quibusdam Hispaniæ regionibus. Postremò quia promptum & salutare habemus remedium in manu Regis nostri Christianissimi, qui solo tactu & verbis quibusdam prolatis, per traducem hæreditariam regni & sacram vnctionem, in nomine Dei omnipotentis, apposito crucis signaculo omnes strumosos, si creduli sint & fideles, sanat.

Glãdularum affectus sunt Germina viscerum prauè affectorum.

Cur de strumis disserendum.

Strumas in numerum eorum morborum, quos endemius vocant, id est patrios & vernaculos referri, esseq; Htssianis ob vitiatas aquas familiare: vnde fit vt ad Regem nostrum gratia conquirendæ sanitatis alibi negatæ accedant: Vbi de Endemiis morbis multa non vulgaria.

CAP. II.

Vnde morbi vernaculi.

VT ex cœli ac soli diuersa constitutione, & victus ac vitæ instituti ratione dissimili, varij hominibus mores ingenetantur: Ita ex aëris, aquarum & alimentorum natura, ex situ & flatibus quibus vna quæque iactatur regio, peculiares, patrij & vernaculi morbi qui Græcis ἔνδημοι dicuntur, oriuntur. Hoc admirandus Hippoctates libro de aëribus, locis & aquis fusa & eleganti oratione demonstrauit. Cur enim Europei indomiti sunt & feroces: Asiani molles & luxu perditi: Carthaginenses fraudulenri, & fœdifragi; Ligures montani, duri, & agrestes; Campani semper superbi; Hispani, Africani, callidi & versuti; Alexandrini fallaces, alia simulantes & ad singulos motus excandescentes; Ægypti furibundi, iactantes rerumque nouarum auidi; Siculi acuti; Persæ zelotypi; Pannonij feroces, sed ingenio pingui & hebeti; Britanni hospitibus feri; Lusitani versatiles; Scythæ sordidissimi & iracundi; Athenienses ad iram & misericordiam lubrici: Cretenses ad omnia doli genera promptissimi: Albani qui ad Caucasum sunt, ingenio minimè fucato aut subdolo: Syri auari & vafritia nimis solertes: Græci leues, mendaces & creduli: nisi ab ipsa natura loci, & à vitæ consuetudine? Nam cùm animi mores corporis sequantur temperiem: hæc autem ab humorum appulsu & spirituum influxu variè alteretur: Spirituum verò materia proxima sit aër, per os, nares & cæca spiracula attractus, verisimile est aëris clementiam aut inclementiam ad mores immutandos vires habere maximas. Plato quinto de legibus scribit varietate & frequentia ventorum homines reddi proteruos ac difficiles, & Lucanus

Diuersarum gentium cur varii mores.

Animi mores corporis sequi temperiem:

Aeris in moribus immutandis vires maximæ.

Quicquid ad Eos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

Qualis etiam aër, tales & spiritus prima animæ instrumenta. Ex aëre puro & tenui, puri & tenues; ex crasso & impuro, caliginosi generantur spiritus. At defæcati & lucidissimi spiritus, phantasmata reddunt subtiliora; impuri & tenebricosi, imaginationi tenebras offundunt, per quam suprema illa vis animæ intelligens concitatur & expergiscit ad speculandas vniuersalium rerum idæas. Intelligentem enim (inquit Philosophus) oportet phantasmata speculari. Aquarum vt & aëris mira est etiam in moribus immutandis facultas, nec in vlla parte naturæ maiora sunt miracula quàm in aquis:

Aquarum in animis mutandis miræ facultates.

——— sunt qui non corpora tantùm,
Verùm animos etiam valeant mutare liquores.

Ouid.

In Chio insula fons est, qui potantibus mentem adimit. In Bœtia iuxta flumen Orchomenum duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem affert. Scribit Varro in Cea insula esse fontem qui hebetes potu faciat, Et Paphlagoniæ fons est ex quo potantes fiunt temulenti, vt contra Clitorius abstemios reddit.

Plin. lib. 31.

Clitorio

Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit
Vina fugit gaudetque meris abstemius vndis. Ouid.

Boetiæ (inquit Isidorus) lacus furialis est, de quo qui biberint ardore libidinis exardescunt. In Sicilia apud oppidum Iusgum, fons est, ex quo bibentes subtiliores sensus habent. Tradit Mutianus in Cyzico fontem esse, qui potatus Veneris stimulos & lasciuientem amorem extinguit, ideo Cupidinis fons dictus.

Alimenta mores immutant. *Aër quomodo morbos inferat.* *Venti quorundam locorum proprii.*

Alimentorum quoque conditio vt temperiem alterare, ita & mores immutare est potens: Itaque vt aëris, locorum, aquarum in moribus immutandis vires sunt maximæ; ita ex aëris, aquarum & locorum natura, varij morbi fiunt. Aër qualitatum immoderatione, substantiæ vitio & corruptela, tempestatum mutatione morbos parit. Frigidus aër, crassus & impurus homines raucos facit & graui voce, Hippocrati libro de aëribus locis & aquis. Aër calidissimus vires deiicit: hinc Aristoteles Æthiopas & qui Lybias incolunt breuis æui esse ait; fit autem aëris & tempestatum mutatio vt plurimum à ventis: At venti sunt quidam quorumdam locorum proprij & vernaculi: non est illis ab vniuersi cardinibus aut solstitiis impetus, sed à regionis positu motus. Sic Atabulus ventus Apuliam infestat, Calabriam Iapix, Athenas Scyron, Pamphiliam Chagenus, Euboeam Olympias, Narbonensem prouinciam Cirsius, nulli violentia inferior. Frigidissimi sunt septentrionales: humidi Africus, Auster Italiæ: sicci Corus & Vulturnus: niuales Aquilo: tepidi Fauonius: Austri auditum hebetant, caliginosi, caput grauant, dissoluunt corpora: Aquilonij tusses mouent, fauces irritant, aluos siccas reddunt & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augent. Ita ex aëre & flatibus, quibus vnaquæque iactatur regio, varij morbi fiunt. Aquarum verò in morbis procreandis & habitu, colore, temperie totius corporis alterandis, quàm variæ sint & admirandæ facultates prodiderunt Theophrastus, Herodotus, Possidonius, Metrodorus, Vitruuius, Plinius, Varro, Seneca, sed omnium accuratissimè & verissimè diuinus Hippocrates. In Thuriis Cratis candorem facit, Sybaris nigritiem, non bobus modo ac pecoribus, sed etiam hominibus: nam qui Sybarim bibunt, nigriores sunt durioresque, & crispo capillo: qui ex Cratide, candidi ac porrecta coma: item in Macedonia qui volunt sibi candida nasci, ad Halialmonem ducunt: qui nigra aut fusca ad Axum. In Fatisco omnis aqua pota candidos boues facit. In Boetia amnis melas, oues nigras. Virgilius in Georgicis, Clitumnum fluuium commendat, quod apud eum depascentes tauri ad sacrificia eius potu reddantur candidissimi;

Aquarum in morbis procreandis vires admiranda. *Aqua habitum temperiem & calorem corporis immutantes.*

Hinc albi Clitumne greges & maxima Taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Referunt in Arcadia ad Nonacrim aquam esse stygiam dictam quæ aspectu blanditur quidem, nec vlla coloris aut odoris qualitate deterret, sed protinus hausta duratur, nec aliter quam gypsum constringit & alligat viscera. In flumine Silaro vltra Surrentum; non virgulta modo immersa, verum & folia lapidescunt. In Ciconum flumine lignum deiectum, cortice obducitur, de quo hæc Ouidius:

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Aqua perniciosa & mortifera.

Traduntapud Susas Persarum Regiam, fonticulum esse cuius potu dentes labantur. Sunt aquæ quædam à veteribus indomitæ dictæ, quæ solem auersum habent, nec fluunt ad ortum. Sunt apud Theophrastum, Vitruuium, Plinium, Senecam aquæ multæ perniciosæ & mortiferæ. In Thracia apud Cychros aqua est eos necans non modò qui biberint, sed et am qui lauerint. In Thessalia fons est, ex quo nec pecus vllum gustat, nec belluarum genus vllum propiùs accedit, quin emoriantur omnia. In Crobi Regno aqua est; quam qui gustant statim concidunt. Terracinæ fons est Neptunius vocatus, ex quo qui imprudenter bibunt statim necantur, propterea edicto publico damnatus & obstructus. In Arcadia ad Pheneum aqua profluit è saxis quæ illicò necat, vnde Styx appellata. In Soracte fons est latitudinis quatuor pedum, iuxta quem aues quæ gustauerint mortuæ iacent. Et similem nos vidimus sæpe in agro Monspeliensi prope oppidum quod vocant *Peyros*; quem rustici patria lingua vocant *le Boullidou*, quod videatur semper feruere. In Macedonia, non procul Euripidis poetæ sepulchro flumen est perniciosissimum. In Beroso taurorum colle tres fontes reperiuntur sine remedio, sine dolore mortiferi. Gelonius lacus, apud Solinum; solo odore omnes abigit. Ampsanctus apud Lucanos adeò lethali odore est; vt superuolantes aues necet. In Regione Gadara apud Strabonem lacus est, cuius aquam pecus quod biberit pilis, vnguibus, & cornibus destituitur. In Chermain Persidis deserto lacus est, cuius si vel guttula ebibatur, ventris profluuium gignit. In Islandia scaturiunt latices, quibus gustatis quisque velut veneno iacet prostratus. Tradit Pomponius Mela in fortunatis insulis fontem esse, quo qui gustauerit risu soluatur in mortem. Sed forrasse ex his multa sunt commentitia, fabulosa, & ex credulis ac mendacissimis Græculis transcripta. Verissima sunt quæ Hippocrates libro de aëribus, locis

& aquis scripsit. Ὁπόσα μὲν οὖν ἐστιν ἑλώδεα, καὶ στάσιμα, καὶ λιμναῖα, ταῦτα ἀνάγκη τοῦ μὲν θέρεος εἶναι θερμὰ καὶ παχέα, καὶ ὀδμὴν ἔχοντα; τοῦ δὲ χειμῶνος παγετώδεα τε καὶ ψυχρὰ, καὶ τεθολωμένα ὑπό τε χιόνος καὶ πάγετου ὥστε φλεγματωδέστατα εἶναι, καὶ βραγχωδέστατα. id est. *Quæ aqua palustres sunt & stabiles, eas necesse est æstate esse calidas, crassas, olentes, hyeme verò glaciatas, frigidas, turbatas prænive ac glacie vt pituitosissimæ & raucosissimæ existant. His splenes magni, hydropes, mulieribus tumores, pituita alba, pueris herniæ; viris varices, vlcera in tibiis.* Et eodem libro. *Ex gelu & niuibus potus sunt insaluberrimi, quia exuctum est inde quod tenuissimum est*: Et certè minui liquorem omnem congelatione inde deprehenditur, quod si hyeme vascula aqua plena sub dio exponas & congeles, deinde postridie in locum calidum depottes vt glacies liquescat, reperies aquam pauciorem, quod signum est à congelatione tenuissimum & leuissimum euanuisse. Aristoteles in problematis quærit, cur aquæ ex glacie liquatæ sint vitiosæ. An quia (inquit) cum aqua quæuis gelu concrescit, pars tenuissima difflatur & leuissima euaporatur? Indicium illud est, quòd deliquata fiat minor, quàm antea fuerit: cùm itaque quod salubrius est vanuerit, deterius sit quod relinquitur necess. est. Galenus aquas frigidas & concretas, arteriis, neruis, cerebro, glandulis inimicas esse testatur. Apud Athenæum qui vitæ longæ & sanitati tuendæ student, niues satis, frugibus & fluminum incrementis, quibus vtilissimas esse compertum est, relinquent. Aquæ omnes virosa hydrargiri qualitate imbutæ, cerebri robur eneruant, rheumatismis fances & glandulas fatigant. Plinius scribit in Germanici Cæsaris exercitu, ex vitiosi fonsis aquæ potu, duos nouos exiliisse morbos, quorum alter erat putridum oris malè olentis vitium, quod στομακάκην appellabant; Alter crura lædebat, vt compagines in genibus dissoluerentur, quem ob id σκελοτύρβην vocabant. Vt ergo aquarum bonitas maximum ad sanitatem perfectam habet momentum; vt verè dixerit antiquissimus Poëta Pindarus, ἄριστον μὲν ὕδωρ: Ita ex vitiosarum aquarum vario potu, varij morbi nascuntur, vt etiam ex prauo alimentorum vsu. Sic apud Hippocratem sectione quarta libri secundi Epidem. In Aeno per famen assiduo leguminum vsu, tam viri quàm fœminæ cruribus non constabant. Sed quorsum hæc de aëris, aquarum, alimentorum & locorum natura tam fuse: nisi vt videant omnes, ex iis variis & peculiares morbos oriri, qui Græcis ἔνδημοι, ἢ ἐνδήμιοι, & ἐπιχώριοι, Latinis patrij, vernaculi, natalitij, regionales, indigenæ, inquilini dicuntur? Quia vnicuique regioni ex soli & aquæ natura, ex situ & flatibus quibus iactatur, peculiaris inest constitutio suaque proprietas. Sic Ægyptijs elephantiasis est familiaris; Mauritanis & Æthiopibus dracunculi; Asiaticis lichen: Achaïam habitantibus lippitudines: Parthis ob indiscretos cibos graues oris halitus: Iudæis lepra: Tectosagis hydrocele: Geneuensibus catarrhi: Lusitanis phrisis: Vasconibus gibbus & lycanthropia: Appulis icterus, Romanis hemitritæus: Athenienſibus & Mediolanensibus podagræ: Transyluanis varen: Americam incolentibus morbus Ton dictus, qui digitos pedum exedit animalculi instar sub vnguibus se insinuans; Delon insulam habitantibus leucophlegmatiæ species, vultus enim & capillos habent albescentes, collo & pectore intumescunt sine dolore, sine febre, huncque morbum Apollinis in sibi euenisse putant: Venetis hæmorrhoides; Tridentinis pleuritides; Florentinis epilepsia, propterea recens vatis inurunt capita: Parisiensibus herniæ: Tholosanis dysenteriæ; Cariam incolentibus lienes magni; ideò dicebat Stratonicus cytharædus in Caria ambulare mortuos, quod lienosi essent omnes: Polonis plica: Indis lues venerea (*Buam vocant*: Germanis, Belgis, Danis, scorbutus, quem alij σκελοτύρβην id est crurum eneruationem, alij στομακάκην vocant: Illisinam prouinciam habitantibus artuum contractiones: Narbonensibus carbunculi: Alpinis & Allobrogibus broncocele (gutturonem vocant Taurini, Batbari bocium gulæ, alij herniam gutturis) Charinthiæ & Stiriæ aspera inhabitantibus, vt & Hispaniæ quibusdam prouinciis, strumæ seu scrophulæ. Ita cuique ferè regioni sua sunt & mala & bona. Sunt ergo strumæ ex censu & numero Endemiorum morborum, & regionibus quibusdam Hispaniæ ideò familiares, quia & crudis, & stagnantibus aquis vtuntur. Philarchus apud Athenæum libro primo scribit, Hispanos etiam ditissimos aquam crudam bibere. At ex Hippocratis doctrina, libro de aëribus locis & aquis, aquæ illæ quia non sunt valde sublimes, & æstate calidæ, hyeme frigidæ sunt, facilè corrumpuntur, sunt que fauces & glandulas inebriare aptissimæ. Sunt (inquit) φλεγματωδέστατα καὶ βραγχωδέστατα, id est pituitam generant & raucedinem excitant. Qui in locis calidis degunt, & meridiem spectant (ait idem Hippocrates) à ventorum Aquilonarium flatu sunt tuti, aquis subsalsis & crassioribus vtuntur, & morbis à fluxione tentantur. Aquæ crudæ suo transitu glandulas inebriant, eisque ob crassitiem hærent: stagnantes verò aut pigro lapsu repentes, æstate vaporatis, hyeme frigidis nebulis caligant. Esse autem Hispanis familiarem hunc morbum indè patet, quia veniunt ad Regem nostrum singulis annis plusquam quingenti remedium sanitatis gemitu & precibus exposcentes. Fuit superioribus annis in Gallia, & præsertim Lutetiæ satis frequens, quia cùm ciuilibus bellis arderent omnia, prauis alimentis, & aquis vti cogebantur rustici & pauperrimi omnes, vnde crudus & impurus sanguis: deinde salutaris & planè diuina Regij contactus medela multis

Aqua palustres pessimæ.

Aqua ex glacie liquata, praua sunt & cur.

Lib. 25. cap. 3.

Ex prauo alimentorum vsu varii morbi fiunt.

Vnde oriantur endemii seu patrii morbi.

Morborum omnium Endemiorum enumeratio.

Strumæ morbi sunt endemii Hispanis ob aquarum prauam qualitatem.

Cur fuit in Gallia frequens hic morbus superioribus annis.

multis denegabamr; aliis quidem intercepto ob militum omnia vastantium ad Regem aditu; aliis donum hoc conferendæ sanitatis ob pernicaciam & incredulitatem omnino respuentibus. Itaque augebatur in dies malum, & aut sæviebat ac grassabatur in vulgus, aut à parentibus in liberos transferebatur; est enim & contagiosus, & hæreditarius hic morbus. Contagiosum esse multi experiuntur, sed distinctione opus est: nam strumæ aliæ sunt mansuetæ, aliæ malignæ & mali moris: illæ à pituita fiunt simplici & inpermista; hæ à pituita, bile, aut melancholico succo adulteratæ: illæ morem habent æqualem, rotundum circumscriptum, inflammationis & doloris expertem: hæ tumorem habent inæqualem, durissimum, vasa varicum in morem implicata, comitem habent inflammationem, dolorem & vlcus: illæ contagiosæ non sunt: hæ tetram de se auram efflant, putrisque ab illis expirat vapor qui suo contactu, & physico, & mathematico proximos quosque inficere est potens. Ad huius sententiæ confirmationem, ego celeberrimæ Parisiensis scholæ decretum proferam, quod mihi clarissimus Decanus Dominus Iabot communicavit. *Struma contagiosus morbus est.* *Distinctio strumarum in contagiosas & non contagiosas.*

Die vigesima octaua Nouembris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, Sententia, denominatorum virorum de strumis recitata est & approbata. Hæc autem fuit eiusmodi. *Decretum scholæ Parisiensis de strumis.*

Supremus Senatus petiit ab ordine Medicorum, An strumæ panificium inficere possent. Respondet, ex multorum strumis, vlceribus malignis, virulentis & sordidis laborantium, & eodem in loco vnà commorantium halitu, panificium infici posse.

Contagiosus ergo morbus est. Esse autem hæreditarium, id est à parentibus in liberos transferri, certissimum est: quia & cerebri imbecillioris affectus, & capitis malè conformati vitia vnà cum semine in natos facilè abeunt. Vt ergò ex macrocephalis macrocephali, ex epilepticis epileptici; ita ex strumosis strumosi generantur. *Struma hæreditarius morbus est.*

Quàm varia sint huius morbi nomina, & cur ita imposita.

CAP. III.

Morbum hunc grauem, fœdum & contumacem, variis nominibus designare solent authores; Græci χοιράδες vocant; Latini *strumas, scrophulas, scrophas, sodellas*; Galli, *le mal du Roy*, id est morbum Regis, *les escrouelles*; Hispani, *procellanas, lamparones*; Lusitani, *las porcas*. Dicuntur χοιράδες vel à porcis, vel ἀπὸ τῶν χοιράδων πετρῶν à scopulis in æquore prominentibus: χοῖρος porcum significat, at porcorum cum strumis elegans est analogia. Porca solet esse multiplicis partus & numerosæ sobolis; strumæ rarò solitariæ sunt, & ex vna plures gignuntur. Porcorum colla plena sunt, breuia, curta: strumosorum colla ob tumores varios & inæquales sunt eiusmodi. In porcorum gutture adenosi tumores globulive reperiuntur: at his, vt refert Aetius ex Leonida, strumæ sunt persimiles. Suibus ob voracitatem familiaris est hic affectus: hominibus ob ingluuiem, maximè verò pueris, qui intempestiuè & omni ferè hora cibum capiunt, strumæ frequenter adnascuntur: fiunt enim inumeræ cruditates, & pituitæ maximus prouentus. Porca spurcum est & sordidum animal, nam in cœno volutatur: struma fœdum est morbi genus, & olim turpe, sordidum & scelerarum dicebatur, propterea Tullius strumam ciuitatis vocat turpitudinem, scelera, sordes. Hi (ait) medentur reipublicæ, qui execant pestem aliquam, tanquam strumam ciuitatis. Et *strumam dibapho vestire*, est scelera, turpitudinem, sordes cuiuspiam, honorum fastigio occultare: χοιρὰς ergo meritò dicitur hic affectus à porcis, vnde etiam latini scrophulas dicunt à scropha, quæ porca est & quæ sæpius peperit Gellio. Alij cherades dictas putant ἀπὸ τῶν χοιράδων πετρῶν à Cheradibus petris; sunt autem saxa sub mari nigricantia asperaque in suilli gregis morem sublatitantia, vt porcis natantibus similia videantur: quibus scopulis ob tumoris inæqualitatem hic morbus assimilari potest. Legimus ex Callimachi historia, cheradas petras scopulum esse iuxta Eubœam, apud quod vlciscentes Pallade iniuriam violatæ Cassandræ in eius templo, Aiax Oileus in patriam rediens naufragio periclitatus est. Sed cur latini eas strumas nuncupauere? quia cùm ruma gutturis pars dicatur, in ea vt plurimum nascentes strumæ sic dictæ sunt. Sunt qui strumas vocent extantia quædam in tergo, vt gibbum in pectore: sed falluntur meo quidem iudico, nam si strumæ monticuli instar scapulis eminetent, quo fieri posset modo, vt salinæ maluæque pharmaco abigerentur, teste Plinio? qui de maluæ facultate scribens, sic inquit. *Eadem strumas & parotidas addita hominis saliua purgat citra vulnus.* Quin & Iuuenalis eundem morbum vno carmine non ingeminasset, *Strumarum nomina var. ria.* *Cur cherades dicuntur.* *Struma ciuitatis.* *Scrophulæ cur dicantur.* *Cherades petræ.* *Struma cur ita dicta.* *Struma non sunt extantia in tergo.*

Nec prætextatum rapuit Nero loripedem: nec
Strumosum, atque vtero pariter gibboque tumentem.

Marcellus scribit apud Plinium, strumam duo tumorum genera indicare, δοθιῆνες & χοιράδες, vt quoties Græci δοθιῆνες legunt, toties Plinius strumam interpretetur: sed errat; nam δοθιῆνες vertit sæpe furunculos, & Dioscoridis interpretes δοθιῆνες furunculos interpretantur: Et sanè δοθιὴν propriè furunculus est, significatque apud Galenum tumorem ἀποστηματώδη ex

crassis

crassis humoribus in carnosis plærumque partibus consistentem, mitem quidem, cùm solam cutim occupat, sed peruicacem & malignum, vbi subter actis radicibus erumpit. Guillelmus Nangius in vita Ludouici pij Regis Christianissimi, strumas vocat sodellas; nescio qua ratione. Vulgus in Gallia, Regis morbum vocat, *le mal du Roy*, non eadem ratione qua veteres Icterum regium morbum dicebant: ideo enim Icterus, regius erat morbus.

Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.

Sed quia Rex Galliæ Christianissimus cælesti prærogatiua strumas sanat, vt morbos quamplures solet vulgus dicare Diuis, sic morbum B. Mariæ, S. Anthonij vocant, quòd eorum suffragijs & meritis curentur. Author libri cui titulus Rosa Anglica, libro 2. cap. primo. *Morbus hic* (ait) *Regis dicitur morbus quia si remedia Medica nihil prosint, mittuntur ad Regem, tanguntur ab eo & benedicuntur.*

Strumæ definitio elegans eiusque explicatio.

CAP. IIII.

Definitio Galeni. *Definitio Pauli & Aetii.* *Celsi definitio.*

STrumam varij variè definierunt. Author libelli definitionum medicarum, siue fuerit Galenus, siue alius strumam ita definit. χοιρὰς ἐστὶ σὰρξ ξηρὰ καὶ δύσλυτος *struma caro est sicca quæ ægrè soluitur.* Apud Paulum, αἱ χοιράδες ἀδένες εἰσὶν ἐσκιρρωμέναι, *strumæ glandulæ sunt induratæ.* Aëtio, carnes sunt subcandidæ, facilè augescentes, in membrana contentæ. Celsus strumam definit tumorem in quo subter concreta quædam, ex pure & sanguine quasi glandulæ oriuntur. Recentiores quidam strumas definiunt phimata, seu tubercula glandularum, quæ in eam molem assurgunt imbutæ, prouentu pituitæ putris & salsæ, ac tensione cuiusdam pelliculæ, intra quam ipsæ augentur, vt viua quædam mola. Nos paulò accuratiùs strumam ita definimus. *Struma tumor est glandularum obduratus, pellicula propria conclusus, à pituita crassa & resiccata, raro simplici sæpius adulterata & falsa, aliquando ex carne peculiari indurata genitus.*

Strumæ definitio exquisita.

Cuius definitionis singulas particulas sigillatim & minutatim excutere placet. Tumor morbus est in magnitudine aucta sed cùm tumorum alij sint apud Hippoc. laxi & molles, alii duri, strumam durum esse tumorem, Galeni & Pauli authoritate iam confecimus: vnde fit vt à multis inter scirrhos annumeretur: cùm tamen ratione materialis causæ prædominantis, in catalogum abscessuum qui à cruda & putrescenti pituita fiunt, & qui folliculis proprijs continentur, referri soleat. Durus autem est tumor, vel siccitate, vel concretione, vel tensione: sic lignum durũ quia siccum, glacies dura quia concreta, tympanum durum quia distentum. In struma nunc cõcrescit pituita, pus, aut caro, nunc permistione humoris atri, vel etiam absumptione liquidioris & tenuioris portionis, resiccatur, nunc inebriata totius glandulæ substantia quæ porosa est & bibula, nimis induratur: fit ergo vt in strumis duritiei causæ omnes aliquando luceant. Tumor hic glandulas obsidere solet, vnde apud Hippocr. libello de glandulis, & Galenum comment. in aph. 26. sectionis tertiæ, glandularum proprius dicitur affectus: sed quia glandularum variæ sunt differentiæ, quæ nam in strumis afficiantur explicemus.

Durus tumor quot modis dicatur. *Struma cur durus sit tumor.*

Glandularũ differentia. *Glandularũ vsus.*

Glandulæ in corporibus nostris, vel vna cum cæteris partibus generantur, vel nobis iam genitis & præter naturæ institutum nascuntur. Illæ vsum aliquem conferunt, hæ nullum omnino. Illæ aut vasorum diuisionibus firmandis, aut humoribus superfluis ebibendis, aut rigandis quibusdam partibus à natura sunt institutæ, quæ in custodiam & stabilimentum vasorum sunt comparatæ, ibi apparent, vbi eorum sunt diuortia: periculum enim erat ne vasa in violentis motibus tanquam rami à truncis diuellerentur, nisi corporibus hisce tanquam stratis molliusculis fulcirentur. Sic in venæ portæ diuisione glandula adest insignis, pancreas vocant & καλλίκρεας, in venarum mesenterij ditemptu glandulæ penè infinitæ, in cauæ ascendentis distributione thymus, in vasis cerebri conarium: in ceruice axillis, inguinibus, vbi iugulares rami, axillares & crurales variè diuaricantur, glandulæ adsunt vasa fulcientes. Est alius glandularum vsus ad humores superfluos absorbendos, & ebibendos spongiarum in morem, has vulgus emunctoria vocat, quia vt Hippocratis dictione vtar, ἀποστερίζουσι τὴν πλεονεξίην τοῦ ἄλλου σώματος, *reliqui corporis redundantiam auferunt.* Sunt & glandulæ quædam rigandis tantum partibus, ne siccentur, aut ad motum reddantur ineptæ, destinatæ: eiusmodi sunt laryngis & linguæ adenes saliuam generantes, glandulæ in oculorum angulis sitæ eorum motum iuuantes, prostratæ in collo vesicæ, oleosa & velut saliuali humiditate vretram rigantes, ne vrinæ lædatur acrimonia; mesenterij glandulæ, intestina madore suo proluentes. Addunt aliquando Hippocrates & Galenus quoddam glandularum genus ob substantiæ similitudinem sic dictum, quod verius glandosum corpus dici debet, non enim vsum tantum præstat, sed actionem aliquam edit officialem: sic renes glandosi dicuntur: sic testes glandosa sunt corpora, eorum enim substantia ψαφαρά est καὶ σηραγγώδης mollis & cauernosa: sic mammæ glandosa sunt corpora, quibus insita est vis γαλακτοποιητική, id est lactis generandi: & cerebrum ipsum libro de glandulis, ἴκελος ἀδένι, λευκὸς γὰρ καὶ ψαφαρὸς, *simile est glandulæ, album enim & friabile.* Hæc omnia glandularum

Glandosa corpora quæ.

genera

genera vnà cum cæteris partibus natura generantur. Sunt glandulæ quædam, quæ nobis iam genitis & præter naturæ institutum nascuntur, nulliusque sunt omnino vsus, tales in omnibus ferè corporis partibus generari possunt, in medio adipe plærumque; aliquando inter carnes & musculorum spatia, nonnunquam in membranosis & exanguibus particulis, sæpe in extremis vasorum oris, ex sanguine, pituita, muco aliisque redundantibus humoribus: hæ omnes strumosis tumoribus affici possunt. Nam apud Aëtium, lateribus & mammis mulierum agnatas se vidisse strumas Meges chirurgus author est. Iulius Pollux in mesenterio scrophulas enasci prodidit, nec non intra carnem, adipem & omentum. Narrat Ioannes Philippus Ingrassia libro de tumoribus, se in dissectione cadaueris strumas circiter septuaginta in mesenterio vidisse diuersæ magnitudinis, quibus dissectis nonnullæ lapideam, aliæ gypseam, quædam mucosam substantiam sub pellicula continebant. Refert Langius in epistolis medicinalibus Florentinæ mulieri strumam coxæ innatam fuisse, quæ industria Antonij Beuienij arctissimis & ferro candente curata fuit. Ego nobilem vidi totum ferè à capite ad pedes strumosum, qui Regis Christianissimi contactu perfectè intra mensem sanatus est. Brassauolus commentariis in aphoris. 26. sect. 3. *Nunc* (ait) *opem medicam exercemus in mulierem quandam, quæ omnem ferè corporis partem vsque ad inguina strumis plenam habet.* Vtergò in omnibus ferè corporis partibus glandulæ generari possunt; ita his omnibus strumæ adnascuntur, sed frequentius in collo, axillis, & inguinibus, quia trium principum partium, cerebri, cordis & hepatis sunt emunctoria. Itaque struma tumor est durus glandulamm, *à pituita crassa & resiccata genitus.* Particula hæc materialem causam designat. A pituita strumas fieri voluit Hippocrates libro de glandulis. *Si, inquit, pituitosa & multa, & lenta fuerit fluxio, strumas pessimum colli morbum generat,* & libro de affect. *Fauus & struma ex pituita fiunt.* Gal. comment. ad aphoris. 26. sectionis tertiæ, idem sentit. *Glandularum Passio* (ait) *struma quoque est, non ex calida materia, neque ad suppurationem properante, sed pituitosiore & frigidiore consistens:* Ideo veteres & neoterici, strumas inter abscessus quos vocant phlegmaticos annumerant. Verùm cùm pituitæ variæ sint differentiæ, quænam strumarum sit procreatrix explicandum est. Pituita, apud Galenum, humor est crudis: hæc duplex naturalis, & excrementitia. Naturalis, portio est sanguinis frigidior & minùs cocta, ἡ μισσεπτὸν αἷμα, sanguis semicoctus, vtilis tamen ad alendum: nam quæ simili temperamento præditæ sunt partes ea aluntur: sic cerebrum pituitoso sanguine, vt cor & pulmones bilioso, spumante & magis excocto nutriri voluit Hippocrates. Cùm enim alimentum omne sit heterogeneum, id est partes habeat dissimilis naturæ, crassiores, tenuiores, calidiores, frigidiores, est quippe corpus mixtum & animatum, fit vt vnius eiusdemque caloris imperio, ob materiæ diuersitatem, variæ in sanguine vnica massa confuso, & iisdem vasis concluso, gignantur substantiæ. Excrementitia pituita multiplex est, pro diuerso caloris gradu, pro varia humorum mistione, pro ratione consistentiæ. Gradus caloris remissior, intensior pituitam facit dulcem, acidam, salsam; acida fit à summa frigiditate partis eam generantis, id est ab imbecillo calore, nihil enim in viuente actu est frigidum, vel à cruditate, eo modo quo crudi omnes fructus sunt acerbi & immites. Dulcis à calore moderato. Salsa à putrido & extraneo calore. Varius mixtionis modus easdem etiam pituitæ differentias facit, eisque varios sapores imprimit: dulcis enim euadit pituita, si simplex fuerit & impermista. Acida permistione humoris melancholici, & hæc instar aceti terram fermentat. Salsa mixtione salsæ & serosæ humiditatis, aut amaræ bilis perfusione; ea tamen proportione vt pituita vincat, alioqui amarorem non salsedinem præse ferret: nam salsi saporis, apud Philosophum, causa est dum vapor calidus & exustus cum materia aquea permiscetur. Sic sal ex combustis rebus omnibus elicitur, siue aridæ sint, siue humidæ affuso cineribus humore liquido, & vi caloris euaporato. Itaque tria hæc pituitam salsam generant, putredo, mixtio salsæ & serosæ humiditatis, & amaræ bilis perfusio. Putridus calor agens in pituitam exustos vapores suscitat, qui cum aqua ea portione miscentur; putredinem autem facit prohibita transpiratio: prohibetur ab obstructione: obstructio ab humorum crassitie, lentore & meatuum angustia. Salsa humiditas fit à calore in humidum agente, vnde vapores exusti: sic pisces, carnes & aqua quò magis coquuntur, eò salsedinem maiorem acquirunt. Amara bilis suo calore agens in pituitam, vapores exustos producit. Itaque in omni humore salso, partes aqueæ mole quidem reliquas superant, sed viribus ab adustis & acribus intermistis superantur. Postremò ratione consistentiæ, pituita varias sortitur differentias. Quædam tenuis est, vt ichor, quædam mediocris consistentiæ; quædam crassa; quæ talis euadit, aut per se, id est à frigido cuius proprium est incrassare: aut per adustionem, absumpta parte aquosissima: & hæc effectus melancholicis similes, ac scirrhos illegitimos producit: alia vitrea est, quod vitro fuso consistentia sit similis: alia gypsea. Hæ omnes pituitæ excrementitiæ species, in variis partibus generantur. Dulcis & serosa sæpe in cerebro & ventriculo. In cerebro, vel ex reliquiis alimenti crudioris; alitur enim cerebrum pituitoso & crudo sanguine, vel ex vaporibus illic refrigeratis & densatis: propterea Hippocrates cerebrum appellat libello περὶ σαρκῶν μητρό-

Glandulæ nobis iam genitis natæ.

Struma in omnibus glandulis generari possunt.

Struma à pituita fiunt.

Pituita quid sit

Pituitæ differentiæ.

Pituita alimentaria.

Excrementitia.

Pituitæ differentiæ pro gradu caloris.

Pituitæ differentiæ pro vario mixtionis modo.

Salsedinis in pituita causæ omnes.

Putredo causa salsedinis.

Pituitæ differentiæ consistentiæ.

Pituitæ excrementitiæ in variis partibus generatur.

πολιν ξ ψυχρξ sedem frigidi, & primo ac quarto de morbis, caput fontem pituitæ vocat. In ventriculo, ex crudiore chili portione, & ea pituita dulci vtitur aliquando natura ad elixationem. Acida pituita sæpe in ventriculo generatur, dum imperfecta fit coctio, aut ob caloris imbecillitatem, aut ob copiam crudorum alimentorum, aut refluente per vas venosum portione humoris acidi & melancholici. Salsa sæpius in venis & hepate generatur aliquando in cerebro per putredinem. Vitrea in coli anfractibus & cellulis. Gypsea in articulis. Auicenna excrementitiam & non naturalem pituitam, talem fieri putat, aut per se, id est vitio propriæ substantiæ, aut mixtione: per se, tribus modis. Primùm resolutione & rarefactione, dum tenuata, aut in aquam vertitur, & tumores facit aqueos, aut in flatus, vnde flatulenti tumores. Secundò concretione, quando ab insigni intemperie frigida densatur, incrassatur, fitque mucilaginosa, albuginosa, vitrea, gypsea, hæc abscessus facit phlegmaticos. Tertiò putredine, vnde vlcera. Mistione euadit pituita non naturalis, dum bilis & melancholicus humor ei admiscentur.

Strumæ à qua pituita generentur.

Strumæ non ab omni pituita fiunt: non à dulci, hæc enim coctionis est capax; non à tenui & serosa, hæc enim œdemata & tumores laxos potiùs generat: sed à lenta & crassa, nunc simplici & resiccata, nunc humore melancholico permista, nunc salsa ob putredinem & bilis admistionem, ideo inflammationes aliquando mouet, dolores & maligna vlcera. Hæc autem pituita quæ strumas parit, nunc in glandulas defluit, nunc in eis congeritur; quæ defluit, sæpe à cerebro sensim in adenes instillat, ac lento adeò cursu vt obscura videatur origo; Interdum è venis, sed hæc rarò simplex est, adulteratur bilis & melancholici humoris permistione, atque ita putredine & caloris vi acrimoniam conquirit. Quæ congeritur, fit ex reliquiis alimenti, quas nec discutere ob natiui caloris imbecillitatem, nec expellere ob substantiæ laxitatem glandulæ potuerunt; ibi ergò humor superfluus sensim concrescit.

Strumæ aliquando fiunt à carne indurata.

Neque verò à pituita tantum resiccata, impermista aut alio humore adulterata generantur strumæ, sed etiam ex carne glandularum peculiari indurata, quod addidi in definitione: tuncque nihil aliud est struma, quam caro superflua, materiæ accessione augescens. Quod voluit fortasse author definitionū medicarum, dum strumam ita definit. *χοιρὰς ἐστι σὰρξ ξηρὰ καὶ δύσλυτος. Struma caro est sicca quæ ægrè soluitur* Et Aëtius ex Leonida. *Strumas definit carnes subcandidas, facilè augescentes.* Cæterum à quacumque causa fiant strumæ, hæ omnes proprio folliculo & membrana concluduntur; intra quam ipsæ augentur & crescunt vt viua quædam mola.

Quomodo membranæ in abscessibus pituitosis generantur.

Sed quomodo membranæ quæ partes sunt spermaticæ ex pituita generantur? Dico partes ferè omnes membranis vestiri peculiaribus, esseque præter has communes alias, quæ tenues admodum sunt. Itaque pituitæ affluxu dum distenduntur & nouæ materiæ appositione crassescunt, nouæ cuiusdam pelliculæ speciem videntur exhibere. Sed & quid impedit quò minus noua generari possit membrana? Est enim vis formatrix singulis partibus solidis insita, nec vnquam in viuente animali feriatur. Est in ossibus vis ossifica, in arteriis arterica, in membranis membranifica; aluntur toto vitæ tempore spermaticæ partes, at nutritio vt & accretio generationis est quædam species: Quid si dicam, membranas quibus strumæ & alij abscessus pituitosi concluduntur, imperfectiores esse his, quas vis formatrix ex semine puro à primo ortu fabricauit? sunt enim duriores, crassiores, nec tam exquisito sensu præditæ, quia ab humore frigido & pituitoso ortum ducunt.

Differentiæ strumarum omnes explicantur.

CAP. V.

Strumarum differentiæ omnes.

DIfferentiæ strumarum petendæ sunt ex modo generationis: materialis causæ diuersitate: quantitate continua, discreta, vt magnitudine: moribus: loco affecto; ortu; vasorum complicatione. Ex modo generationis, duplex differentia sumi potest. Nam aliæ sunt primigeniæ, aliæ secundariæ, aliæ per ῥευματισμὸν, id est fluxionem fiunt; aliæ per συναθροισμὸν, id est collectionem.

Primigeniæ strumæ quid sint.

Secundariæ strumæ.

Primigenias appello, quæ primò & per se, non ex alterius morbi consequutione fiunt. Secundarias aut succedaneas quæ alteri morbo superueniunt, vt inflammationi: nam quæ glandulæ phlegmone laborarunt, si resoluentibus & suppurantibus curari non valuerunt, facilè in scirrhum degenerant. At Galenus libro de tumoribus, ait omnem inflammationem induratam & in scirrhum versam, posse dici strumam.

Strumæ à fluxione ortæ.

Quæ per fluxionem fiunt, aliunde quam à sola partis imbecillitate ortus sui principia causasque ducunt. Fluit autem in glandulas humor; sæpe à capite externo, interno, per continuitatem membranarum externarum internarum, per helices & ductus aut ordinarios, aut extraordinarios, venas, arterias, neruos. Aliquando ab alijs partibus quam à capite fluit humor, vt hepate, venis, pituita, sero, humore melancholico turgentibus, & hæ strumæ viscerum prauè affectorum βλαστήματα sunt id est germinat. De quibus Hippoc. sectione secunda lib. sexti Epidem. *Abscessus* (inquit) *veluti glandularum tumores, eorum quidem locorum ex quibus progerminant ac veluti stolones ducuntur, atque etiam aliorum specimen exhibent, ac præcipuè viscerum.* Quæ per collectionem

fiunt,

sunt, ex reliquijs alimenti proprij generantur, quas nec discutere ob caloris imbecillitatem, nec expellere ob substantiæ laxitatem glandulæ potuerunt. Ex materiæ diuersitate variæ strumarum emergunt differentiæ: nam aliæ à pituita sola & impermista fiunt, aliæ à pituita adulterata. Quæ à pituita sola & incrassata fiunt mitiores sunt, & à cerebro frigidi ac humidi fonte vberrimo scaturiunt, quæ à pituita cæteris humoribus permista nascuntur, ferociores sunt. Miscetur autem pituitæ, nunc sanguis, nunc bilis, nunc melancholicus humor: dum sanguinis portio miscetur, inflammationem accersit & aliquando suppurat. Sic Celsus strumam definit tumorem in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriuntur, quæ febres mouent. Si bilis permiscetur, pituitam facit falsam & acrem, vnde vlcera: si melancholicus humor aut atra bilis, vlcera maligna excitat, tuncque sæpe circum radicibus cancrescunt strumæ, more arborum quas Theophrastus scribit sparsis hinc illinc radicibus κατεσπᾶσθαι. A quantitate strumæ dicuntur magnæ, mediocres, vna, plures. Magnæ in longum, altum & latum extenduntur. Magnitudinis penè incredibilis strumam describit Langius Epistolarum libro tertio. *Florentiis (air) Iuuenculæ cuidam pondo sexaginta librarum struma in coxendice accreuit, cuius moles cum progressum impediret; mulier integrum quinquennium in lecto decumbere coacta & mortem oppetens, cùm medici omnes de salute desperarent, ex horum collegio iunior natu misertus iuuenculæ eiulantis, arctissima ex setis equorum impliciti laquei ligatura, ferro & cauterijs radicitùs strumam muliercula superstite fœlici successu auulsit.* Struma rarò vna est, sæpius multiplex & numerosæ sobolis, vnde scropha dicta, quæ Gellio porca est quæ sæpius peperit: ex vna enim vt vulgò dicitur, plures gignuntur, non quod struma aliam procreet, sed quia glandulis vna tumente, reliquæ statim ob viciniam à confluente humore inebriantur. A moribus strumæ dicuntur aut mansuetæ, aut malignæ: mansuetæ moderatam habent duritiem, tumorem circonscriptum, æqualem, rotundum, inflammationis & doloris expertem: malignæ tumorem habent inæqualem durissimum, vasa varicum in morem implicata, inflammationes, dolores pulsantes, vlcera & contactu, ac medicamentis efferantur vt cancri. Hæ vt plurimùm solent esse contagiosæ, quia tetram de se efflant auram; expirat quippe ab vlcere aut inflammatione vapor malignus. Illæ rarò sunt contagiosæ. A loco variæ peruntur differentiæ: nam aliæ sunt anticæ, aliæ posticæ, aliæ cutaneæ, aliæ magis profundæ: aliæ externæ quas visus & tactus detegunt, aliæ internæ quas vix humana industria dignoscere potest. Externæ internarum solent esse germina, vnde sæpe contingit externarum vna sanata rediuiuum esse morbum. Internæ mesenterium aliquando infestant, quarum meminit Iulius Pollux, & quas se vidisse testatur Ioannes Philippus Ingrassias medicus Siculus libro de tumoribus. Ab ortu aliæ sunt sublimes & quasi pendulæ, facilè hûc & illûc mobiles; aliæ insertæ fixæque. A vasorum complicatione, aliæ venas arteriasque implicatas habent & neruos, aliæ non.

Strumæ per congestionem.
Differentia strumarum ex materiæ diuersitate.
Differentiæ à quantitate.
Differentiæ à moribus.
A loco.
Strumæ internæ.
Differentiæ ab ortu.

De causis strumarum externis, internis, antecedentibus, coniunctis.

CAP. VI.

CAVSÆ strumarum procreatrices, aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ variæ quidem sunt, sed inter eas principatum obtinent aer, aqua, ingluuies & prauorum alimentorum vsus. Aer crassus, caliginosus; regio humida, constitutio pluuiosa, caput humore superuacuo onerant, natiuum calorem debilitant, corpora mollia reddunt: nam qualis est aer, tales & spiritus: quales spiritus, tales & humores; quales humores, tale & totum corpus: spirituum namque alimentum & proxima materia est aer. Spiritus ab innato calore ratione tantùm, non re differunt: Innatus calor coquit & humores generat, humoribus totum corpus alitur. Aquarum verò in strumis generandis mira est vis. Celsus notauit frigidam aquam & crudam excitare strumas, quia crudum repugnat resolutioni, gutturis hæret musculis & glandulis facilè se insinuat. Quorumdam fontium haustu multi strumis laborarunt: sic qui Alpes metallis fœcundas habitant, & aquas inibi scaturientes bibunt, strumis & broncocele infestantur. Aquæ omnes virosa hydrargiri qualitate imbutæ, cerebri robur eneruant, rheumatismis fauces & glandulas fatigant. Est enim hydrargiri genuina virtus, pituitam ab extremis arcere, & ad colli glandulas, gingiuas, fauces regerere. Hispani nunc crudas & glaciatas aquas bibunt, nunc palustres, quæ æstate calidæ sunt, & hyeme frigidæ, nec valdè sublimes, propterea facilè corrumpuntur: earum meminit Hippocrates, libro de aëribus locis & aquis. Vnde fit vt ratione aquarum, strumæ sint Hispanis familiares, & inter endemios morbos recenseantur, vt fusè à nobis est demonstratum capite secundo huius libri. Inest enim vnicuique ex soli & aquæ natura, ex situ & flatibus quibus iactatur, peculiaris constitutio suaque proprietas. Vitæ luxus & crapula in cruditatibus generandis, & strumis procreandis miras habet facultates, propterea sues ob voracitatem huic morbo sunt obnoxij, & pueri ob ingluuiem strumis sæpe infestantur. Meminit Galenus libro de morborum differentiis, Nicomachi cuiusdam Smyrnei, qui per edacitatem in tantam molem increuerat, vt pituita in corpore

Causæ externæ strumarũ.
Aer quid possit.
Aquæ strumas generantes.
Crapula strumas solet procreare.

pore coaceruata in strumas concreuerit. Vna gula omnium prope morborum quia cruditate fiunt est mater, ideoque medicorum nutrix. Carnes porcinæ, pingues, omnia item placentarum genera, vt & pistorum genus omne, panes azymi, pulticulæ ex decorticatis leguminibus, cruda item omnia & praui succi strumas solent generare.

Internæ causæ strumarum. Internæ strumarum causæ, vel sunt antecedentes, vel coniunctæ. Antecedentes aut sunt efficientes, aut materiales. Inter efficientes & procreatrices annumerantur viscerum intemperies, & praua diathesis, præsertim hepatis, ventriculi, cerebri, & capitis vitiata conformatio. Hepar humorum officina, si sit intemperatum, prauos succos generat, hinc cacochymia omnis generis, pituitosa, biliosa, melancholica, serosa. At strumas cacochymiæ germina esse annotauit eleganter Galenus commentario in aphorismum 26. sectionis 3. *Struma* (inquit) κακοχυμῦ πλήθους ἐκγονα νοσήματα ἕρποντ@ ἔξω τε καὶ πρὸς τὸ δέρμα; *sunt vitiata multitudinis ad exteriora & cutem repentis germina.* *Strumæ sunt germina cacochymiæ.* Ventriculus imbecillior, maximam crudorum humorum copiam congerit. Cerebrum malè affectum ex reliquiis alimenti crudioris, & vaporibus illic refrigeratis ac densatis, pituitam copiosiorem generat. Quod si ad eam intemperiem, accedat praua capitis conformatio, ea in strumis generandis erit feracissima. *Sic quibus tempora sunt valdè compressa, frons parua nec prominens, maxilla lata, collum angustum; hi strumis facilè corripiuntur: hæc enim vitiosa capitis conformatio imbecillitatem arguit facultatis formatricis & natiui caloris: at imbecilla pars superuacua congerit.* *Capitis praua conformatio ad strumarum generationem aptissima.* Viriosam autem appello, quia naturalis capitis figura rotunda esse debet, sed aliquantulum oblonga, verticibus geminis extumescens, id est antica & postica parte protuberans, paululumque ad latera compressa: oblonga, vt cerebrum & cerebellum contineat, protuberans anteriore parte, ob apophyses mammillates odoratus organa, quæ cerebro etiam expurgando inseruiunt: posteriore, ob spinalis medullæ exortum; paululum compressa ne impedimento sit oculis maiore circulo inspecturis & ad aurium commodiorem situm. *Figura naturalis capitis.* Si ergò nimis compressa sint tempora, spiritus angusto velut conclaui coërciti, non liberè expatiabuntur. Itaque penè strangulatus calor non bellè coquet, & superuacua multa generabit, quæ frons angustior nec excipere, nec continere poterit; desinunt enim ad frontem vasorum ferè omnium extrema, & tubercula duo mammarum papillis similia ad frontem nariumque ossa cribri instar perforata feruntur, per quæ mucosa eluuies à cerebro instillat in nares. Ideò apud Hippocr. libro de vulneribus capit. Inter caluariæ partes frons si percutiatur inflammationi est magis exposita quam cæteræ partes, quia continetur ab aliis & situ, & vasorum productione. *Frons continetur ab aliis capitis partibus.* Cùm itaque frons ob angustiam, cerebri superflua nec excipere, nec continere omnino possit, necesse est vt per alios ductus in glandulas, in maxillas quæ laxæ sunt & latæ in his quos descripsimus, se exoneret. Sunt enim, vt annotauit Hippocr. libro de locis in homine, & libello de glandulis, varij ductus cerebro expurgando dicati. *Fluit (inquit) è cerebro humor per aures, oculos, palatum, in guttur & gulam, per venas in medullam spinalem.* Hæ sunt ergò causæ efficientes & generantes. Materialis verò strumarum causa est pituita nunc simplex, & hæc mansuetas facit strumas, nunc permista & alio humore adulterata, vt sanguine, bile, humore melancholico aut atrabilario, & hæc inflammationem, dolorem, vlcera maligna, & interdum cancrosa excitat: vnde malignæ & contagiosæ strumæ nascuntur. *Materialis causa strumarum.* Causa continens humor est parti infixus, qui varias subit alterationes, vt nunc seui, nunc adipis, nunc mellis, nunc pulticulæ, nunc gypsi naturam & consistentiam præ se ferat. *Causa continens strumarum.* Et mirum est quomodo in abscessibus folliculo conclusis, aliquando lapides, carbones, cochleæ, cornua, pili, fœnum, creta, carnes, cartilagines, animalcula & tam varia reperiantur. *Cur in abscessibus folliculo conclusis tam varia reperiantur.* *Causa fortasse ad materiæ dispositionem, & vim agentis referri debet. Pituita nunc simplex, nunc adulterata, nunc putris, formarum omnium est capax. Efficiens vis est formatrix, quæ in viuente nunquam feriatur, & idolum seu idea generantis quibusdam dicitur: hæc calido vtitur tanquam architecto, & spiritu tanquam opifice & pictore.* Cùm ergo homini insita sint rerum omnium semina, est enim (vt ait philosophus) potestate quodammodo omnia, potest in materiam dispositam calor natiuus varias formas introducere, etiam animalium imperfectorum, vt vermium, serpentum, scorpionum, dracunculorum. Aliquando strumarum causa coniuncta est pus concretum Celso, nonnunquam ipsa glandulæ caro, id est substantia indurata Aëtio: nam veterum quamplurimi glandulam definierunt συστροφὴν σαρκώδη, *carnem in se conuolutam.*

Quibus signis struma à plærisque humoribus pituitosis similitudinem quandam habentibus discerni possit, & quomodo strumæ à se inuicem distinguantur.

CAP. VII.

SCribit Plato in Sophista vnum esse ex principiis humanæ sapientiæ, rerum dissimilium similitudines, & similium dissimilitudines cognoscere. Quàm sæpe (ait Celsus) similitudines bonis & peritis imponunt? Auerrhoi visa est sola vis discernendi similia à similibus, efficere medicum hominibus vtilem & admirandum: quippe cùm si quis εἴδεα καὶ μὴ εἴδεα, internos-

ternoscere nouerit, is quod summum est in praxi vniuersam medicæ operationis exequendæ occasionem, teste Hippocrate, sit assequutus. Cùm itaque plærique tumores pituitosi maximam cum strumis habeant similitudinem, quomodo à se inuicem discerni queant, dignoscere debet medicus. Struma, glandula, ganglium, nodus, & abscessus ferè omnes quos practici phlegmaticos vocant in multis conueniunt, in plærisque dissident. Conueniunt in causa materiali, & in forma, quia tumores sunt pituitosi & rotundi: sed differunt, glandula quidem à struma, quia glandula mollior est & doloris expers; struma durior, & si tangatur dolorifica. Glandula vt plurimùm vnica est & simplex: struma multiplex & numerosæ sobolis. Glandula si prematur tactum fugit, deinde recurrit, struma tactui non cedit: glandula cutanea esse solet, struma altas & firmas habet radices: propterea dicebat Rhazis nasci sub cute pituitosos quosdam tumores glandis similes, qui dum tanguntur & mouentur fugiunt, videnturque esse sine radice. Ganglium corpus est quidem rotundum: sed à struma in eo differt, quòd neruosas tantùm partes occupet. Ideò definitur nerui nodosa & remittens contractio, doloris expers, nullius præter naturam & caloris & coloris. Nodi apud recentiores Latinos tumores sunt pituitosi, membranis conclusi, qui sensim crescunt strumarum instar, sed differunt à strumis; quia strumæ hærent carnibus, nodi à vicinis partibus separantur: Strumæ vt plurimùm in glandosis partibus generantur, nodi in cæteris omnibus corporis partibus peræque. Struma raro vnica, nodus semper solitarius est. Nodi pro varia contentorum natura varia sortiuntur nomina, hinc meliceridès, atheromata, steatomata: humores enim vbi in his abscessibus perdurauerint, varias & miras subeunt alterationes; vt scribit Galenus secundo ad Glauconem, & decimoquarto methodi. Nam & lapidibus, & arenis, & carbonibus, & limo, amurcæ, pulticulæ, seuo, melli, similia in eueniuntur. Quæ in strumarum inuolucris continetur materia, non est tam diuersæ dissimilisque naturæ. Ad nodos lupiæ, naphthæ & similia quæ à cruda pituita fiunt referri possunt. His ergo signis struma à cæteris humoribus pituitosis discernitur. Sed quia strumarum varias notauimus differentias, eas à se inuicem ita interstinguet medicus. Quæ à pituita simplici & impermixta fiunt, sunt sine dolore & inflammatione: quæ à pituita salsa & bili aut humori atro permista fiunt, inflammationem habent comitem cum dolore. Illæ raro soluunt continuum, hæ vlcus habent adiunctum malignum & sæpe carcinodes. Quæ à pituita fiunt sunt sub candidæ & eiusdem coloris cum cute: est enim cutis pars spermatica, at spermaticarum partium color est candidus & in cute ratione humorum affluentium variegatus apparet; qualis humor, inquit Hippoc. libello περὶ χυμῶν, talis color in cute effloreścit. Pallet biliosorum, nigricat melancholicorum, roseo rubore suffunditur sanguineorum cutis, & in animi pathematis, ira, gaudio, verecundia, metu, tristitia, variè immutatur. Quæ strumæ à pituita sanguini permista fiunt, ruborem habent comitem. Quæ ab humore melancholico, liuent & nigricant.

Quomodo struma distinguatur à glandula.

Struma à ganglio quid differat.

Nodus & struma differunt.

Quomodo strumæ à se inuicem distinguantur.

Strumarum Prognostica.

CAP. VIII.

Strumæ omnes in vniuersum difficile curantur, quia ab humore crasso fiunt, quia folliculo proprio continentur, quia duræ & scirrhosæ. Difficilius sanantur plures quàm vnica, dolorificæ quàm doloris expertes, factæ ab humore melancholico, quàm à pituita sola, fixæ quàm mobiles, in anteriore colli parte quàm in aliis partibus. Solent strumæ, ait Celsus libro quinto, medicos fatigare quia febres mouent, nec vnquam facile maturescunt, & siue ferro, siue medicamentis curantur, plærumque iterum iuxta cicatrices ipsas resurgunt. Strumæ sæpè vlcerantur dum putret humor, dum calefit, dum topicis irritantur: plærumque etiam in scirrhum degenerant, quia resoluta tenuiore parte & absumpta aquosiore, reliqua in lapideam concrescit, nonnunquam atræ bilis permistione fiunt carcinodes. Puerulis affectus hic est familiaris, ideo aphorismo 26. sectionis tertiæ, pueris grandiusculis strumæ fiunt: primùm ob ingluuiem, deinde quia sunt habitu laxo & raro. Strumæ post quadragesimum secundum annum raro fiunt, Hippocrati in Coacis prænotionibus. Quibus frons angusta, compressa tempora, maxillæ latæ & prominentes, collum angustum, hi strumis maximè sunt obnoxij; hæc enim capitis figura fluxionibus excitandis & humoribus pituitosis congerendis est opportuna: angusta enim spiritus coërciti conclaui, non liberè spatiantur: Itaque penè suffocatus & strangulatus calor non belle coquit, & superuacua multa congerit, quæ in vicinas partes natura laxas & imbecilles, propriaque cerebri emunctoria, ante elementari forma decumbunt, aut à vi excretrice quæ naturalis est, deturbantur. Hippocrates libr. secundo prorrheticon. Quod verò ad ætates attinet; phymata in pus mutantur, atque hæc quidem strumosa quamplurimos occupant pueros, vnde discedunt ex facili: sed tamen & pueris profectioribus, & ipsis iuuenibus vt rariùs illæ nascuntur, sic abeunt difficiliùs. Verùm in viris perfectis huiusmodi phymata non admodum oriuntur.

Primum prognosticum.
Secundum.
Tertium.
Quartum.
Quintum.
Sextum.
Septimum.
Octauum.

Curatio strumarum; ac primùm qualis esse debeat victus ratio.

CAP. IX.

Qualis esse debeat victus in genere. *Qualis aër seligendus.* *Aër arte medicatur.*

HIppocrati libello de glandulis, struma pessimum est morbi genus. Itaque accuratam medici manum, & industriam postulat. Quia verò in longis morbis, & iis qui à cruditate & crapula ortum ducunt, victus ratio inter præsidia medica principatum obtinet, ab ea methodicæ curationis rationem aggrediemur. Proponetur autem nobis pro exemplari struma pituitosa, quia frequentior esse solet. Sit ergo victus in vniuersum siccans, attenuans & moderate calefaciens. Aër seligatur tenuis, siccus, serenus, purus, in ortum apertus ac patens; fugiatur crassus, caliginosus, humidus, pluuiosus, palustris, in occidentem vergens. Austrina tempestas cerebrum nimis opplet: Aquilonia, aëris quidem inquinamenta purgat, sed comprimendo distillationes concitat. Paretur arte aër medicatus, aut pomum odoratum, cuius inspiratu anteriores cerebri ventriculi siccentur, roborentur.

Pomum odorum.

Acc. Styracis calamitæ,
Ladani puriss. ana vnciam sem.
Santali muscatelini,
Ligni aloës,
Ligni Rhodij au. drac. vnam sem.
Gariophyllorum,
Myrrhæ,
Thuris, ana drachmam vnam.
Ambræ odoratæ, pro ditioribus, scrupulum vnum.

Excipiantur omnia aqua melissæ, & ex arte formetur globus manu gestandus, & sæpe naribus admouendus.

Famem tolerare bonum. *Qualis debeat esse panis.* *Quales cibi.* *Pisces.* *Fructus.* *Potus.* *Quæ aqua vitanda.*

Famem interdum tolerare bonum ex mandato summi Hippocratis. Nam *carnes humidas habentibus, fames salutaris,* aphorismo 60. sectionis septimæ: *Siccat enim, quia in pabuli penuria natiuus calor humidum superfluum exorbet, cruditates coquit, & per inedias pituita in alimentum vertitur.* Panis sit bene coctus, & aniso, aut fœniculo dulci conditus. Euitent omnia placentarum genera, ex lactis collustris parata, quæ veteres lagona appellant; omne item ex tritico sine fermento pistorum opus, vt panes azymos, & alia arte culinaria parata fercula, vt pulticulam ex decorticatis leguminibus decoctam. Cibi sint euchymi id est laudabilis succi; fugiant carnes iuuencas, mucilaginosas, pingues, porcinas, quadrupedum pedes & interanea: sorbitionibus & iusculis parcissimè vtendum: sint autem carnes assæ potiùs quàm elixæ, vt omni ratione corpus siccescat & superuacuorum humorum non exigua portio absumatur. Pisces huic morbo aduersantur, maximè verò elixi, squammis carentes, & in cœnosis stagnis degentes; concedantur aliquando saxatiles. Fructus omnes crudi, præcoces, vt & cruda omnia euitentur. A nimio potu abstinendum, quia nihil magis cerebrum & corpus totum grauat, quàm nimia potus perfusio. Aquæ omnes crudæ, & virosa hydrargiri qualitate imbutæ, cerebri robur eneruant, & fauces ac glandulas rheumatismis fatigant: aquæ item stagnantes, quæ hyeme frigidæ sunt, æstate calidæ, nec valde sublimes, vt notat Hippocrates libro de aëribus, locis & aquis. Solæ aquæ minerales & fontes aciduli probantur. Est (ait Vitruuius) aquæ genus nitrosum, vti Pinnæ, Vestinæ, Cutilijs, alijsque locis similibus, quod potionibus depurgat per aluumque transeundo etiam strumarum minuit tumores. Vino ergo potiùs quàm aqua sola vtantur, eoque odorato, vel vino medicato, in quo libanotis, thymus hyssopus, saluia incocta fuerint dum feruet. Abstineat à vino dulci & musto. Omnium vtilissimus est potus, qui vel ex ligno sancto, vel ex salsa, aut radice chinarum paratur, incidit enim pituitosum humorem, extenuat, detergit, cruda & superuacua resiccat, absumit: paretur autem in hunc modum.

Vinum medicatum.

Decoctum Chinæ.

Acc. Chinæ recentis minutim dissectæ vnc.. duas. Infunde per diem in libris 5. aquæ puriss. dein coque ad tertiæ partis consumptionem, addendo sub finem passularum mundatarum vnciam 1. Coletur decoctum per manicam Hippocratis, condiatur cinamoni electi drach. iij. gariophyllorum drachma 1. Vtatur in pastu loco vini, vel saltem primo haustu.

Aqua lentisci roborat partes omnes nutritias laxiores, sanguinem & humores firmat, visceribus & cerebro amica est, reddit aluum humidum, ob mastichem.

Decoctum lentisci.

Acc. Lentisci minutim concisi vncias ij. infunde in libris viij. aquæ & coque lento igni ad tertiæ partis consumptionem.
Sumat vncias vi. nocte hora somni
& totidem manè à somno.

Somnus.

Somnus sit nocturnus, & longè à pastu, nunquam meridianus; dormiat elato capite in alterutrum latus, non supinus, ne cerebri excrementa in fauces, collum & asperam a-

procumbant. Motus totius corporis torpescentem calorem excitat, coctionem iuuat, & superuacuorum expulsionem promouet. Ignauia contra corpus hebetat: nam vacuitas à motu priuat calorem suo ventilabro & aculeo, hinc calor ad agendum ignauior. Ignauia affert calori impotentiam ad assimilationem vtilium succorum, & depulsionem inutilium, vnde fit vt cumulentur inutiles, pars verò vtilium fiat inutilis, hinc cruditates & excrementorum prouentus. Si totum corpus exercere nequeat, fiant artuum frictiones duræ, nec non colli & scapularum. Aluus sit semper libera; quod si fortè adstrictior fuerit irritetur balano, clystere, & pillulis de hiera, ex aloë sola, aut elephanginis. Peculiaria verò cerebri excrementa, quotidie vacuentur, per os, nares & aures: transitus enim apertos esse oportet, ex mandato summi Hippocratis, vt exhauriatur catarrhi fons. Expurgetur pituita per os penna oximellite imbuta, aut apophlegmatismis; Aures aqua calidâ abluantur frequenter, & sordiculæ tergeantur. Trahant per nares succum betæ ex aqua hordei calida; aut errhino sequenti mucus & pituita è naribus proliciantur. *Exercitium.* *Excreta.* *Alui.* *Cerebri.* *Per os.* *Per aures.* *Per nares.*

Errhinum pituitam trahens.

Acc. Saluiæ,
Betonicæ,
Maioranæ recentis an. man. 1.
Radicis ireos florentinæ vnc. 1.

Terantur simul, demum affundendo vini albi vnciam vnam sem. exprimatur succus, hauriatur in nares iam expurgatas.

Pectatur diligenter caput quotidie manè, linteisque calidis & siccis perfricetur, vel sacculis in hunc modum paratis.

Sacculus cerebrum confortans.

Acc. Foliorum maioranæ,
Saluiæ,
Stœchados,
Betonicæ, an. manip. vnum,
Baccarum lauri contusarum,
Seminis anisi,
Fœniculi,
Cumini, ana vnc. vnam,
Salis crassioris, vnc. semis,
Milij, vnc. iiij.

Torrefiant omnia, reponantur in duobus sacculis, qui calidi applicentur sincipiti & ceruici.

Poterunt aliquando cieri sternutamenta, vt impetu facto cerebri excrementa deriuentur in nares.

Atque hæc victus in strumis pituitosis obseruandi præcipua capita sunto. Quod si pituitæ admixta sit atri humoris portio, non ita siccans & calefaciens imperetur; sed in actiuis & passiuis magis temperatus.

Strumarum curandarum indicationes duæ principes. Et quæ remedia antecedenti causæ debeantur.

CAP. X.

IN strumis curandis duæ sunt in vniuersum indicationes augustæ & principes. Prior antecedentem causam tollit, aut minuit. Altera causam coniunctam (quæ in scholis continens dicitur, quæque si non est morbus, saltem ab eo est inseparabilis) amouet. Antecedens strumarum causa humor est pituitosus, nunc simplex & impermistus, nunc alio adulteratus humore, qui vel in venis oberrat, vel in cerebro quod sedem pituitæ vocat Hippocrates, continetur. Est ergo primùm vacuandus humor quantitate luxurians & qualitate noxius; Deinde partium, quæ sua intemperie fomitem mali subministrant & humorum perennem faciunt generationem, temperies corrigenda, illisque natiuum robur restituendum. Vacuatio, alia est sensilis, alia insensilis. Sensilis fieri potest vomitu, purgatione aluina, hydroticis, phlebotomia. Vomitus confert, si ventriculus cruditatibus scateat & nimia pituitosi humoris abundantia natet, ex decocto rafani, semine atriplicis, floribus genistæ, & oxymellite; Vel præscribetur diasarum Fernelij, aut vulgare hoc. *Prima indicatio sumitur à causa antecedente.* *Altera à coniuncta.* *Humor pituitosus est causa antecedens.* *Qui vacuandus.* *Vacuatio sensilis.* *Per vomitum.*

Acc. Oxymellitis simplicis vncias duas; decocti seminis atriplicis, hordei, florum genistæ vncias quatuor: misce hauriat tepidè.

Græcis vomitus ante pastum matutini & ieiuni συρμαισμοὶ, dicti, commendantur. Quibus igitur hoc pacto vomere placuerit, radiculas tenues, nasturtium, erucam, portulacam deuorent, deinde aqua tepida affatim hausta vomant. Veteres vtebantur aqua mulsa meraciore, succo ptisanæ ex aqua per se, vel cum melle decocto & ijs efficacioribus surculis veratri albi in rafanum defixis, vel rafanis solis postero die ex aceto mulso comestis. Quæ per aluum fit vacuatio

Per purgationem. cuatio commodior est. Ea porrò pillulis electariis, pulueribus, potionibus perfici potest. Debent autem cathartica ex alto trahere, & ab vniuerso corpore maximéque à cerebro pituitam prolicere.

Pillula. *Acc. Aloës succo betonicæ, & rosarum diligenter lotæ dragm. iij.*
Agarici recenter trochisc. drag. I. sem.
Turbith gummosi,
Pulueris foliorum sennæ,
Rhei electi aqua cinammomi aspersorum, ana drach. vnam.
Zingiberis,
Cinamomi, ana scrupul. vnum,
Trochiscorum halandal, grana quindecim,
cum oximellite fiat massa. Dosis ad drachmam vnam.

Ego in his affectibus, vt & in pituitosis omnibus, & quià crudis crassisque humoribus fiunt, siue in ventriculo, intestinis & mesenterio stabulentur, siue in cerebro localem habeant generationem vtor fœlicissimè pillulis è salsa parilla, quarum hæc est descriptio.

Pillulæ de salsaparilla. *Acc. Salsæ parillæ, libram semis: abluatur bis cum aqua & extergatur, deinde concidatur minutim in ramenta, & triduo maceretur in libr. quatuor aquæ betonicæ, postea lento igne ferueat in vase fictili, donec ad libram vnam liquor omnis redeat. Coletur cum forti expressione, vt succus omnis extrahatur, qui postea ad ignem lentum coquatur cum infrascriptis.*
Acc. Aloës puluerizatæ, vnc. I. sem.
Foliorum sennæ mundat. vnc. I.
Myrrhæ electæ, drachmas ij.
Ligni aloës,
Cinamomi, ana drachmam I.
Croci, scrupul. vnum.
Pulueri zatis omnibus coquantur, donec inspissetur liquor ad mellis consistentiam.

Ex ea pasta formentur pillulæ quatuor pro drachma, quarum duæ aut tres diluculo deuorentur alternis diebus per mensem integrum. Et toto eo tempore vtatur in pastu pro potu ordinario decocto salsæ parillæ.

Electarium ad strumosos purgandos parari potest in hunc modum.

Electarium ad strumosos purgandos. *Acc. Turbith gummosi,*
Hermodactylorum, ana drach. ij.
Rhabarb. electi drachm. ij. semis.
Diagridii drachm. vnam,
Santali albi,
Santali rubri, ana scrupul. semis.
Zingiberis,
Mastiches,
Anisi,
Cinamomi,
Croci, ana grana octo,
Omnia pulueri sentur ex arte, & cum sacchari in aqua betonicæ sufficienti quantitate soluti, fiat electarium per tabellas ponderis drachmarum trium. Capiat manè.

Commendatur à multis puluis diaturbith ad drachmam vnam decimo quoque die sumptus: fit ex turbith, zingiberis, & sacchari æquis partibus. Describi poterunt potiones, & syrupi magistrales, quorum formulæ omnibus sunt notæ.

Sudorifica conferunt. Et diuretica. Et aquæ minerales. Sudorifica in hoc morbo mirum in modum conferunt, ex gaiaco, salsa parilla, china, ligno sassafras, vt & quæ vrinas mouent; propterea laudantur aquæ minerales quæ vini fæculam resipiunt, & fontes aciduli Spadenses, Pogenses, S. Pardoux, vt & potus balnearum Borbonij, eóque potentiùs quò calore suo liquant pituitam, tergent, & per alumen, vrinas & sudores expurgant. Quod autem diureticorum vsus conferat confirmari potest ex Aphorismo 45. libr. 4. *Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat vrina multa, crassa & alba.* Alba vrina indicat à pituita fieri, multa & crassa totam materiam excludi denotat. Sed in vsu diureticorum aduertat medicus, ne ea impuro corpore & non purgato exhibeat: Ita enim ad hepar, renes, mesenterium viam affectaret humor, vnde obstructio, inflammatio, & metus putredinis. Quod ad venæ sectionem attinet, si à sola pituita fiant strumæ; eam non probo: sed si

De venæ sectione in strumis. adulteretur pituita sanguinis, bilis, aut atri humoris permistione, sitque in ægrotante hepar præcalidum, poterit tutò administrari; vt & hæmorrhoidum apertio, si lien eiusque causa fæculento sanguine redundarint.

Cerebrum particulariter expurgandum. Vacuato vniuersali corpore particularis cerebri expurgatio tutò procurabitur, idque nunc per helices ordinarios, & loca consueta, vt palatum, & nares, apophlegmatismis, errhinis, sternu-

sternutatoriis nunc per alios ductus, pyroticis quippe ceruici aut brachio admotis, sinapismis, vesicatoriis, sincipiti, & occipiti applicatus. His artibus materialis strumarum causa eaque antecedens vacuabitur sensiliter. Potest etiam insensiliter vacuari, iis quæ pituitam in ventriculo, venis & cerebro contentam sensim absorbent, exhauriunt, siccant. Eiusmodi varia apud veteres & neotericos describuntur, quæ ex radicibus scrophulariæ, vrticæ mortuæ, filipendulæ, gariophylatæ gladioli, enulæ campanæ, & similibus concinnantur; ex quibus potiones, pulueres, electaria parari poterunt. *Vacuatio insensilis.* *Per apozemata.*

Acc. Radic. enulæ campanæ,
Radic. chinæ recentis,
Radic. scrophulariæ minoris,
Rad. gladioli, ana vnicam sem.
Foliorum pimpinellæ,
Agrimoniæ,
Filipendulæ, ana Manip. vnum
Seminum anisi,
Cardui bened. ana drachm. iij.
Florum betonicæ,
Rorismarini, ana Pugill. vnum,

Fiat decoctio. Cape de colatura libram vnam semis, in qua dissolue oxymellitis simplicis, vncias duas, syrupi de betonica, vnciam vnam semis: fiat Apozema clarum; & conditum drachmis duabus aquâ stillatitiæ cinamomi. Capiat in quatuor doses matutinas.

Acc. Radic scrophulariæ minoris, *Potiones.*
Filipendulæ ana vnc. semis,
Foliorum pilosellæ,
Pimpinellæ ana Manip. vnum,
Radic. rubiæ tinctor. drach. ij.
Radic. rafani, drach. vnam,

Bulliant in vino albo & fiat potio clarificata manè, haurienda in duas doses.

Fiunt ex similibus electaria & pulueres.

Acc. Spongiæ marinæ,
Nucum cupressi ana drach. ij. *Electaria.*
Radic. scrophulariæ minoris,
Cyperi,
Filipendulæ ana drach. vnam
Ossis sepiæ,
Salis gemmei, ana drach. semis,
Zingiberis,
Pyrethri, an. scrupul. semis.

Fiat puluis tenuissimus, excipiatur sacharo violato ex succo violarum; recenti, & formentur tabellæ ponderis drachmæ vnius. Capiat tabellam vnam manè & hora somni.

Acc. Radic. rusci, *Pulueres.*
Salsæ parillæ,
Ligni sassafras, ana quod suffic.

Fiat pulvis, capiat drachmam vnam ex vino albo quotidie manè totos quadraginta dies.

Radix gladioli optima est quocunque modo ad vsum adhibeatur. Puluis ad drachmam vnam quotidie sumptus ieiuno stomacho per quadraginta dies; Eadem radix sacchato condita si hora somni assumatur, mirum in modum prodest.

Acc. Radic. gladioli conditæ, vnc. vnam. *Opiata.*
Cineris viperarum, drach. sex.
Cineris spongiarum mar. vnc. sem.
Puluer. elect. de gemmis drach. vnam,

cum syrupo de betonica fiat opiata; de qua capiat ad quantitatem castaneæ, quatuor horis ante prandium.

Acc. Cineris viperarum, vnciam vnam, *Pulueres.*
Cornu, cerui vsti, vnciam semis,
Radic. galangæ,
Iridis,
Cinamomi, ana drach. vnam semis,
Salis vsti, vncias duas,
Piperis nigri, drachm. vnam.

Fiat puluis tenuissimus, de quo capiat alternis diebus manè horis quatuor ante prandium cochlear vnum, & pro sale vtatur in condimentis aucta salis quantitate.

Arnaldus Villanouanus ad strumas & colli tumores frigidos, puluerem hunc mirum in modum extollit, aitque se virgines multas curasse.

Puluis Arn. Villanouani.

Acc. *Pilæ marinæ,*
Spongiæ marinæ,
Ossis sepiæ,
Piperis longi,
Piperis nigri
Zingiberis,
Cinamomi,
Salis gemmei,
Pyrethri,
Gallarum,
Spinæ rosarum; ana quant. satis.

Omnia subtilissimè puluerizentur, excepta spongia & pilis marinis, quæ prius secundum artem comburantur, postea earum cinis cum aliis rebus puluerizatis misceatur.

Puluis hic interdiu & nocte in ore, & sub lingua detinetur, eoque cibaria condiri poterunt. Detur manè quatuor horis ante cibum ad drachmam vnam. Potest etiam cum melle ad electarij formam redigi & exhiberi per plures dies. Aqua viperarum vel liquor strumis plurimùm auxiliatur proprietate: & annotauit Celsus strumosos si anguem comederint, liberari. Carnes viperarum strumas dissoluunt, vt & scrophulariæ minoris radices cum melle delinctæ eiusdem etiam aqua distillata. Quidam serpentem aut viperam extinctam in ollam coniiciunt, eamque benè occlusam in fornacem mittunt & concremati serpentis cinerem æquali fœnugræci pondere miscent & melle excepto vtuntur. Ita ergo antecedenti causæ materiali, vacuatione sensili & insensili prospiciemus.

Viperarum vsus.

Verùm non satis erit materiam vacuasse & pituitæ fontes exhausisse, corrigenda est quoque cerebri intemperies & omni arte suum cerebro & ventriculo robur restituendum, alioqui perpetua fiet humorum generatio. Galenus in hunc finem præscribit medicamenta ex aromatibus, theriacam, mithridatium, athanasiam, ambrosiam, diacalamenthum. Aromatica enim suo calore resoluunt insensiliter materiam in vapores & vi specifica roborant viscera. Parari poterit in hunc vsum opiata sequens.

Opiata roborans cerebrû.

Acc. *Conseruæ helenij,*
Gladioli,
Ireos, ana vnc. vnam,
Conseruæ flor. betonicæ,
Anthos, ana drach. sex,
Theriacæ veteris drach. tres,
Pulueris elect. aromatici rosa.
Diagalangæ, ana drach. vnam,

Cum syrupo conseruæ corticis citri fiat opiata, de qua capiat modicum bis in hebdomade quatuor horis ante prandium.

Roborabitur etiam caput externis præsidiis, sacculis, pulueribus cephalicis, suffitibus, quorum formulas omnibus notas hic prætereo. Atque hæc curandarum scrophularum quæ à pituita fiunt, & quarum causa humor est crudus in ventriculo, venis & cerebro contentus, vera est methodus. Quod si pituitæ humor ater aut biliosus admisceatur, ea præscribi debent, quæ melancholicam & biliosam cacochymiam expurgant, & viscerum eam procreantium intemperiem alterant.

Quibus remediis strumarum causa coniuncta oppugnari possit.

CAP. XI.

Curationis indicatio quæ sumitur à causa coniuncta.

Tumor omnis, apud Galenum, aut resoluitur, aut in suppuratur, aut in scirrhum degenerat, aut in gangrenam abit. Tumores calidi facilè resoluuntur & suppurantur, quia eorum materia tenuis est & πέπανσιν capax: frigidi difficillimè; at strumas ex horum esse genere, omnibus est notum: nam ratione materialis causæ prædominantis, in abscessum quia cruda & putrescente pituita fiunt, & qui folliculis propriis continentur, catalogum numerantur. Incipientes tamen & resolutionis, & suppurationis aliquando capaces sunt. Confirmatæ & in scirrhosam duritiem conuersæ, mollientibus & discutientibus interdum sanantur. Sed quæ topicis non cedunt resoluentibus, suppurantibus, mollientibus, discutientibus; hæ ferro, igne, & erodentibus solis curantur. Est autem hæc summa in medendo lex, ex Hippocratis & Galeni mandato, vt à mitioribus inchoemus. Ergo resoluentia primùm & suppurantia, deinde mollientia, & discutientia tentare oportet. Quod si hæc non prosint, vre, seca. Exiguæ

guæ & incipientes strumæ & quæ tenella concluduntur membrana facilè curantur. Nam compressæ, attritæ & manu perfricatæ donec incalescant, primum molliuntur, postea ligneo aliquo vasculo toties percutiuntur vt dispareant, quo facto lamina plumbea tumori æqualis applicatur & fascia arctè deligatur. Maioribus in principio resoluentia conueniunt, quibus adstringentia miscet Galenus secundo ad Glauconem, quia glandulæ ob substantiæ raritatem & laxitatem facilè fluxiones admittunt. Parentur ergò fotus, cataplasmata, vnguenta, emplastra in hunc vsum. *Strumarum incipientium curatio.*

Cataplasma resoluens & roborans.

Acc. Radic. gladioli, vncias duas,
Radic. lilior. albor. vnc. vnam sem.
Foliorum cupressi, Manip. vnum,
Seminis fænugr. drach. sex.
Cymini, vnciam semis,
Florum meliloti,
Chamomilæ,
Rosar. rubrar. ana pugill. vnum.
Coquantur omnia, pistentur, cribrentur, quibus adde,
Farinæ orobi aut lupinorum vnciam I.
Mellis optimi vnc. vnam semis,
Olei anethini q. suff.
Fiat cataplasma.

Fiant alternatim fotus ex adstringentibus in posca decoctis, malicorio, myrtho, cupressi foliis.

Fotus ad idē.

Acc. Nucum cupressi, paria v.
Ficuum, paria tria.
Radicis arundinis vnciam semis,
Coquantur in oxymellite: post adde iuri expresso,
Salis communis,
Cineris spongiæ,
Calcytheos, ana drach. tres,
Redigantur in formam vnguenti.

Langius ad strumarum resolutionem præstantissimum describit remedium.

Oleum Langii resoluens.

Acc. Olei philosophorum libr. semis,
Thuris.
Mastiches,
Gummi arabici,
Therebintinæ, ana drach. tres,
Pistata simul per alembicum, distillentur; tandem adde salis ex cinere cerri modicum, & iterum distilla, & in vitro serua.

Est autem cerra arbor glandifera. Huius olei inunctio resoluit & dissipat strumas.
Emplastrum resoluens erit eiusmodi.

Emplastrum resoluens.

Acc. massæ empl. de melil. vnc. I.
Bdellii aceto squill. dissoluti dr. ij.
Castorei pinguis drach. vnam semi.
Pulueris rad. ireos,
Pulueris fol. cupressi an. drach. I.
Olei chamemelini,
Liliorum,
Amygdalarum amar. an. q. suff.
Fiat massa emplastri.

Si his remediis strumæ resolui nequeant, & suppurationis quædam appareant indicia, vt aliquando contingit in his quibus sanguinis, aut bilis portio quædam admiscetur, iuuanda erit suppuratio diachilone, cerato triapharmaco, cataplasmate ex radicibus altheæ, acetosæ coctis in aqua, addendo farinam triticeam & olea: aut emplastro sequenti.

Emplastrum supputans.

Acc. Bedellii vnciam vnam,
Ammoniaci rec. & pinguis vnc. se. dissoluantur in lixiuio claro. Adde
Calcis viuæ cum axungia contritæ dr. I.
Sulphuris viui, drach. semis,
Aluminis, scrupul. vnum,
Thuris, drach. vnam semis,
Mellis optimi, vnciam semis,
Fermenti veteris, drach. ij.

Fiat emplaſtrum ex arte

Vel,

Ceratum, ad idem.

Acc. *Mucaginis althea.*

Fenugraci,

Olei de lilio ana vnc. ij.

Pinguedinis gallinæ,

Anſerinæ,

Porcinæ liquefactæ,

Therebintinæ claræ, ana vnc. 1. ſe.

Lythargiri auri puluerif. vnc. iij.

Bulliant omnia ſimul ad conſum. mucilaginis, deinde addendo,

Ammoniaci,

Galbani diſſol. in aceto an. vnc. 1.

Coquantur omnia, & cum cera, nouæ ſuffic. quantitate fiat cerotum, ad formam diachilonis.

Suppurata ſtruma ferro vel cauſtico aperienda eſt, deinde pus vacuandum, expurgandum; tergendum; tandemque ſinus carne implendus vnguento Iſidis, de betonica, de tuthia, & ſimilibus.

Remedia ad induratas ſtrumas.

Induratæ autem ſtrumæ & ἐσκιῤῥωμέναι quia reſoluentibus & ſuppurantibus non cednat, omni arte molliendæ ſunt & diſcutiendæ. Aëtius ſulphuris & galbani æquas portiones reſina excipit, & ceratum efformat; cortices etiam radicis mandragoræ, cyprino, aut irino cerato excipit, oſtreorum ceſtas vſtas ac minutiſſimè tritas inſpergit vino prius ex ore conſputo, & idfrequenter facit. Molliunt emplaſtrum nigrum Galeni, de meliloto, cum ammoniaco, oleo liliorum & puluere radicis ireos. Oleum de bufone cum diachilone, ad cerati formam redactum præſtantiſſimum eſt. Pumex cum aceto tritus ſtrumas diſſoluit. Paretur emplaſtrum huius deſcriptionis.

Emplaſtrum emolliens ſtrumas ſcirroſas.

Acc. *Radicum brioniæ,*

Cyclaminis

Cucumeris agreſtis,

Althee,

Lilij cœleſtis, ana vnc. vnam,

Coquantur perfectè in vino albo, deinde adde.

Ammoniaci in aceto ſqu. diſſol.

Bdellij,

Opopon. in oleo ſeſamino diſſolutorum, ana vnc. vnam,

Stercoris columbini,

Caprini, ana vnc. vnam,

Ladani,

Styracis calamithæ, ana vnc. ſe.

Picis naualis quantum ſatis,

Fiat ex arte emplaſtrum.

Emplaſtrum de Vigo cum mercurio & diuinum valdè commendantur.

Vnguentum ad idem.

Acc. *Opopanacis,*

Ammoniaci,

Bdelij in aceto ſquillitico diſſolutorum, ana vnciam ſemis,

Succi narciſ. vel rad. eiuſ. vn. ij.

Mulcilagi. ſem. fœnugraci.

Medullæ cruris vituli,

Propoleos ana vnc. duas,

Contundantur contundenda, & reducantur in formam vng.

Præſcribunt quidam fumum mercurij extincti cum aceto. Sunt quæ proprietate ſtrumas ſanant, vt hoc vnguentum.

Aliud vnguentum.

Acc. *Cineris agni caſti flore caeruleo,*

Senectæ ſerpentis, ana vnc. 1.

Ceræ, quant. ſuff.

Olei amygdal. amar vnc. 1.

Fiat ad formam vnguenti.

Radix gladioli ſtrumis proprietate confert.

Ex radice gladioli contuſa & axungia ſuilla fit vnguentum; adeo vt radix hæc quocunque modo in vſum adhibeatur internè extrinſecus, videatur proprietate ſtrumis omnibus conuenire.

Emplaſtrum è cochleis vino, aut lixiuio cinerum incoctis, miræ eſt virtutis. Rogerius hoc remedium commendat.

Acc.

Emplastrum Rogerii.

Acc. Radicum filicis,
Asphodeli,
Ebulorum, quantum voles.

Coquantur in vino optimo & tundantur in mortario, addendo sulphuris modicum, & ceræ quod suff. fiat ex arte emplastrum.

Paratur etiam à quibusdam vnguentum de scrophnlaria.

Vnguentum de Scrophularia.

Acc. Radicum scrophulariæ, Autumno collectarum quantum voles. Contundantur in mortario marmoreo cum butyro recenti, Deinde vase operto conclusa ponantur in fimo per quatuordecim dies, postea lento igne liquescant & colentur, fiatque cum axungia & cera vnguentum.

Galenus, sexto de compositione medicamentorum per genera, ad strumas topica multa describit.

Si ob humoris atri & biliosi permistionem, ant pituitæ pntredinem vlcera excitentur, ea quæ in malignis vlceribus præscribi solent admouere debet chirurgus.

Strumarum curatio quæ fit manu & industria Chirurgica

CAP. XII.

VT glandularum varij sunt vsus; aliæ enim in custodiam & stabilimentum vasorum sunt institutæ; aliæ ad humotes superfluos ebibendos; aliæ ad succum aliquem animali vtilem, vt saliuam, lac, semen generandum sunt fabrefactæ: ita pro earum dignitate & vsu, diuersæ sumuntur curandi indicationes. Nam quæ succum vtilem generant vt testes, mammæ, & tonsillæ seu amygdalæ, quas Græci ἀντιάδες & παρίσθμια vocant, si scirtho & strumosis tumoribus obsideantur, non aliter curandæ sunt, quàm cæteræ omnes corporis partes, nec nisi desperatis omnibus, summaque vrgente necessitate sunt extrahendæ. At verò quæ vasa fulciunt & superfluis tantùm excipiendis snnt destinatæ, simul cum morbo tutò, & citra totius incommodum tolli possunt. Tolluntur autem glandulæ induratæ tribus modis, ferro, causticis & ligatura. Quæ mobiles sunt, blandæ, tractabiles, si mollientibus, resoluentibus & digerentibus non curantur, incidi debent. Immobiles, insertæ, vasis implicatæ, ad radicem latæ & profundæ; corrodendæ sunt. Quæ tenui & gracili radice nituntur, deligandæ. Sectio, accuratam chirurgi manum postulat, quæ in hunc modum fieri debet. Decumbat æger aut sedeat in loco splendido; Chirurgus verò sinistra manu strumam comprehendat ad se quantum poterit: dein phlebotomo aut alio instrumento cutim secet. Sectio hæc duobus fit modis: aut enim nihil de cutis snbstantia perit, aut aliquid de cute detrahitur. Prior sectio vel est simplex, vel duplex: simplex rectà fit, in longum scilicet, ant transuersum; In longum; in omnibus ferè corporis partibus; in transuersum, si in collo, axillis, & inguinibus administrari debeat; quia earum partium fibræ transuersæ sunt: at hæc in chirurgia lex statuitur, vt secundum fibrarum rectitudinem fiat sectio. Quæ duplex est, barbaris cruciata dicitur; ex duabus enim constat, ea scilicet quæ in longum, & altera qnæ in transuersum fit. Sectio in qua de cutis substantia aliquid detrahitur myrthina dicitur; quia ad myrthei folij figuram abscinditur cutis; In minntioribus strumis simplici linea cutim diuidito. In maioribus myrthinam administrato. Cute dissecta venas & arterias paulatim & blandè denudatas seponito, & oras cutis incisæ, hamulis dilatato, membranas glandulam tegentes digitis, aut scalpri cupulo excoriato, strumamque vbi membranis explicata apparebit omnino eximito; ea semper cautione adhibita, ne violentur grandiores venæ, arteriæ & nerui, præsertim in collo, vbi iugulares venæ, arteriæ carotides, & nerui recurrentes variè diuaricantur. His enim sectis obmutescit momento animal; illis vulneratis maxima fit sanguinis profusio, quæ difficilè cohiberi potest. Id Galenus primo de locis affectis capite sexto, apertè indicauit his verbis. *Cum ex ceruice quidam strumas excinderet, & inter secandum quoddam membraneum vas vnguibus lacerasset, imprudens & ignarus recurrentes neruos detraxit, atque ita puerulum quidem liberauit à strumis, sed mutum reddidit.* Apud Lusitanum Centuria secunda, curatione septuagesima. Mulier Illyrica quum strumam à lue gallica ortam in collo haberet, quendam medici officio fungentem aduocauit, qui cùm multis vsus esset medicamentis, tandem vt radices resecaret sublimato vsus, alterum ex recurrentibus neruis erosit, vnde ipsa paulatim rauca facta vocem tandem amisit. Summa ergò attentione hoc opus tractandum, ne pet incuriam aut neruus, aut vas insigne secetur. Si tamen sanguinis profusio tuum opus interturbet, vas ipsum funiculo excipito & deligato: esto autem filum ne corrumpatur ant decidat vel sericum, vel ex gracilibus testudinum chordis: aut cotone vsto vasorum orificijs apposito sanguinem exugito: aut causticis vritor vt calchanto, aut puluerem hunc sæpe à nobis expertum inspergito.

Diuersæ curandi indicationes ex glandulis sumptæ.
Glandulæ scirrosæ tribus modis tolluntur.
Mobiles, ferro.
Immobiles, caustico.
Quæ tenui radice, ligatura.
Quomodo fieri debeat sectio.
Sectio in qua nihil de cutis substantia perit est.
Vel simplex.
Vel duplex.
Sectio myrthina.
Sanguinis profusio sistenda.
Aut ligatura.
Aut caustico.
Aut hoc puluere.

Acc. Calcis viuæ.
Sanguinis draconis,
Gypsi,

Aloës,
Calchanti, ana drachmas duas,
Aluminis vsti,
Testarum ouorum, ana drach. I.
Telæ araneæ siccatæ, drach. semis.

Fiat puluis, aut ex oui albumine emplastrum.

Cauendum est etiam in extractione, ne aut glandulæ, aut pelliculæ frustulum quantumuis minimum relinquatur, alioque tediuinum erit malum. Quod si folliculi aliquid remanserit, iubet Albuchasis vt absumatur, implendo vulnus xilo aqua salsa imbuto, aut Ægyptiaco, vel alio erodente.

Operationis modus per causticum.

Secundò extrahi potest struma caustico, nunc affixo in eius medio candente ferro, nunc admotis erodentibus & putrefacientibus, vt sandaraca, arsenico, argento liquido vsto, oleo quod ex atramento sutorio igne elicitur, calce non extincta cum sapone, axungia porcina cum argenti sublimati portiuncula, puluere Mercurij, erinaceorum combustorum, testæ sepiæ, auripigmenti. Ne autem vicinæ partes inflammationem aut putredinem concipiant, his ca debent apponi quæ vulgus defensiua vocat. Postremò extrahi potest glandula si angusta sit basis, ligatura ex seta, filo, aut crine equino, quæ in dies magis ac magis arctanda est, donec sponte decidat struma. Sunt qui filum in aquam arsenici ter quaterque immergunt donec vim erodentem acquisierit, quo filo radicem strumæ ligant singulisque diebus arctant, donec resiccata radice alimenti defectu struma prociderit. Atque hæc quidem curandarum strumarum ratio est omnis.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

B.

C.

D.

Dæmones

FINIS.



ANDREÆ LAVRENTII TRACTATVS DE NOBILITATE VISVS EIVSQVE PER DIÆTAM ET MEDICAMENTA CONSERVANDI VERA METHODO.

CAPVT I.

Cerebrum veram esse animæ sedem, ideoq; omnium sensuum organis circumdari.



ICET anima humana nobilissima & perfectissima sublunarium forma, venis imaginis diuinæ in nobis expressæ character, tota sit sibi similis, immaterialis, indiuisibilis, atque adeo tota in toto, & tota in qualibet parte: nihilominus ob diuersitatem actionum, differentias instrumentorum quibus vtitur, & varietatem obiectorum in quæ fertur, diuisibilis esse vulgò æstimatur. Quinetiam Philosophi, qui naturæ & formarum recondita accuratius penetrarunt, cum viderent potentias ipsius magis in vna quam in altera parte elucere, certæ alicui particulæ eam affixerunt, haud aliter quam Theologi, qui cum admirabilem diuini opificij structuram in cœlo potissimum eminere conspiciant, idipsum Thronum Dei appellant, licet essentia ipsius infinita sit incomprehensibilis, & per vniuersum extensa, Herophilus animam in ipsa cerebri basi sitam esse censuit, Xenoctates in vertice capitis, Erasistratus in duobus membranosis cerebri inuolucris, quæ Arabibus matres dicuntur, Strato in medio superciliorum, Empedocles cum Epicureorum & Ægyptiorum assensu in pectore, Moschion in toto corpore, Diogenes in arteriis, Heraclitus in sola corporis circumferentia, Herodotus in auribus, Blemor Arabs & Syreneus è Cypro Medicus in oculis, quoniam in illis omnes animæ affectus, velut in speculo, residere animaduertit. Verum nugæ hæ sunt, & fictiles inanesque opiniones. *Diuersæ opiniones de animæ sede.* Ad similitudinem veritatis accedit magis Aristotelis, magni illius naturæ interpretis, sententiá, qui cor veram animæ sedem constituit, quod primarium ipsius instrumentum natiuus calor illic comperiatur. *Aristotelis opinio.* Primum est, inquit, viuens, & vltimum moriens, verum spirituum promptuarium, venarum arteriarum & neruorum origo, princeps respirationis author, verus omnis caloris fons & scaturigo continens in ventriculis, suis subtilissimum & mero artificio extenuatum sanguinem, de quo velnti luculento foco, omnes totius corporis minores ignes succenduntur, est denique vnicus microcosmi sol. Et quemadmodum cœlum idipsum est à quo ceu primo principio omnes generationes vt & alterationes elementares dependent; ita à corde omnes actiones & motus principium primum & originem sortiuntur. Cœlum motu, lumine, & recondito influxu mirabiles producit effectus: Cor suo continuo motu (qui non minus admirationi nobis esse debet quam interruptus Euripi fluxus & refluxus) & spirituum influxu partes omnes viuificat, & viuidum florentemque ac roseum illum colorem impertiens, natiuum calorem tuetur & conseruat: *Elegans cœli & cordis comparatio.* Motus & lumen corporum superiorum instrumenta sunt intelligentiarum & cœli, intelligentiarum, vt primi mouentis immoti: cœli vt primi mouentis moti. Cordis motus & spiri-

spiritus qui luminis instar momento per omne corpus diffunditur, instrumenta sunt animæ & cordis, animæ vt primi mouentis immoti: Cordis vt primi m .uentis ab anima moti. Cor ita queex Peripatericorum doctrina, vera est animæ sedes, solusque princeps in eximia illa & admirabili corporis œconomia. Chrysippus & omnis Stoicorum schola hanc ipsam sectantur sententiam æstimantes, quod illnd partium vitalium continens Thorax παρὰ τὸ θεῖον ὡρεῖν, indigitetur, quod diuinum Anaxagoræ intellectum, ardentem & mille artificiis insignitum Zenonis calorem, admirabilem Promethei ignem è cœlo, ad vitam animamque homini impertiendam sublatum, spiritum denique agitantem, tanti à Theocrito habitum, contineat. Adeo in diuersas de sede animæ Philosophi abierunt sententias. Neque verò est quod in examinandis singulatum opinionum momentis hæream, cum non disceptanti sed primæ veritatis assignandæ gratia campum hunc ingressus sim. *Cerebrum esse veram animæ sedem. Rationes, Prima.* Itaque primariam animæ sedem Cerebro in quo nobiliores ipsius potentiæ resident, & effectus præstantiores elucent, assigno. Omnia motus, sensus, imaginationes, rationis & memoriæ organa aut in cerebro reperiuntur, aut à Deo immediatè dependent. Secto corpore clarissimè ocnlis nostris se offerunt è cerebri basi exorta septem paria neruorum, qui momento temporis omnium sensuum organis animalem spiritum impertiunt neque è capite excedunt nisi sextum par quod ad ventriculi orificium vsque protenditur. Quinetiam ubi cerebrum cerebello occurit admirabilem illum processum, elegantem & candidam, dorsalem medullam chordam argenteam Ecclesiasti dictam canali quodam, quem Lactantius sacrum nominat, sollicitè conseruatam, procedere cernimus; è qua deinceps innumeri minores nerui singulis partibus ad hoc destinatis sensus & motus facultatem afferentes, oriuntur. *Secunda.* Cerebrum externi sensus, veluti intellectus principis animæ partis internuncii, vndequaque ambiunt. Visa Principis custodia (ait Philo) principem qnam primum secuturum judicamus: ita visis rationis satellitibus & ministris, oculis, auribus, naribus, lingua, in capite sitis principem illam formam non longè abesse censendum est: *Tertia.* Experientia discimus temperie cerebri læsa, superante scil. calore quod phreneticis accidit, aut frigore quod melancholicis, corrumpi imaginationem, turbari judicium, debilitati memoriam, quod nequaquam accidit in affectibus cor primario offendentibus vt febre hectica aut *Quarta.* assumpto lethali veneno. Anima (inquit Plato) cerebrum mollius, densius, aut durius auersatur, cum sibi conuenientem ac justam temperiem requirat. Deprauata vel minimùm capitis conformatione, ita vt vel æquo maius sit vel minus, acuminatum, quale Thersiti Homerus adscribit, neque vndequaque (quod ex naturæ præscripto requiritur) circa latera complanatum omnes animæ actiones distortæ deprehenduntur, & capita eiusmodi stolida, judicio & prudentiâ destitura deprehendúntur. Vnde, non minus quàm oculus visionis, *Quinta.* Cerebrum eiusmodi actionum instrumentum est judicandum. Præterea figura illa rotunda homini propria caput illud sublime, erectum & cœlo intentum, admirabilis illa & insignis copia cerebri, aliquid amplius quam cæterorum animantium capite contineri demonstrant. Hoc ipsum Ægyptiotum sapientes animaduerterunt, qui non nisi per caput jurabant. Contractus omnes per caput confirmabant, & ob reuerentiam singularem quàm parti huic deferebant, cerebrum etiam bestiarum, ne in cibos veniret, lege cauebant. Epilepsiam non alia de causa sacri morbi nomen sortitam esse crediderim, nisi quod supremam & sacram illam corporis partem obsideat penitusque occupet. Itaque cerebrum veram animæ sedem, & motus, sensus, ac nobilissimarum eius functionum principium esse statuamus. Non me latet curiosum qnempiam hic sciscitaturum, quanam ratione Cerebrum insensibile, sensuum fons & origo dici possit? Conueniatne tam insignes functiones adscribere Cerebro parti natura frigidæ, cum anima sine calore in vniuerso corpore humano nullos vnquam producat effe- *Cur cerebrũ sensu careat.* ctus. Verum huic facile responderim, Cerebrum ideo particulari sensu destitutum esse, quod ipsi ceu propriæ sensus cõmunis sedi de aliotum sensuum obiectis iudicium, Creatoris & naturæ legis cesserit. Atqui judicem ab omni affectu liberum esse decet; Organum omne, inquit Aristoteles, qualitate ea quam percipere natum est, vacare debet, veluti Crystallinus humor primarium visionis instrumentum colore, auris peculiari sono, linguas saporis certa specie destituta est. Quodsi organum qualitate aliqua infectum sit, vt crystallinus humor flauedine, flauum apparebit quicquid oculis obuersabitur. Quemadmodum ergo cerebrum neque videt, audit, gustat aut odoratur, verum de colore, sono, sapore, odoreque judicium & sententiam fert: ita rationi consentaneum non fuit vt cerebro peculiaris tactus sensus implantaretur qui tractabilium qualitatum discrimina perciperet, verum vt ipse ea discerneret, ac judicare. Ad alteram obiectionis partem, dico cerebrum actum calidum esse, neqne aliter *Cur cerebrũ temperatum?* nisi cordi collatum frigidum dici posse. Necessaria erat omnino hæc ipsi commoderata qualitas vt igneos cordis spiritus ad temperiem reduceret, species sensibiles retineret, & quam diutissime conseruaret. Quodsi cerebrum pari cum corde calore præditum esset, perpetuo in nobilissimis animæ functionibus turbulenta seditio existeret. Omnes sensus exorbitarent: omnes motus inordinati, discursus temerarius, memoria lubrica, qualis in phreneticis, compare-

pareret. Quamobrem nihil obstat, quo minus Cerebrum nobilissimam corporis partem esse asseueremus.

Hoc est magnificum illud & superbum animæ ædificium, palatium illud regale omnibus elegantiæ numeris absolutum sacra Palladis arx, turris inexpugnabilis ossium munimentis velut fortissimo muro, circumdata, vbi suprema illa animæ potentia (Rationem intelligo) quæ vnico momento sine attactu totum vniuersum comprehendit, per aerem circumuolitat, in profundum maris delabitur & unico instanti ad cœlestem orbem magnitudine immensum, cursibus rapidum, splendore pellucidum resurgit, communicat cum Angelis, penetrat ad nobilissimum diuinæ gloriæ solium, quinetiam dum corpus somno consopitum est, libera ipsa, nullisque quasi vinculis irretita, sancto volatu, ac suaui raptu ad speculum diuini Archetypi transfertur, ubi inquam princeps illa domina velut in fortissimo castro residere noluit, vt inferioribus duabus prouinciis ad rebellandum continuè paratis, irascibili inquam & concupiscibili, commodius imperare. Sunt hæc sanè certissima diuinitatis Cerebri argumenta; sed ausim vlterius prolabi, & forsitan primus asserere, nihil in corpore humano supremum ac nobile nisi Cerebrum appellari posse, quod eius solius gratia totum corpus constructum sit, cæteræque partes ipsi ceu Regi famulentur & tributa offerant. Demonstro hoc ratione, solis luce meo iudicio clariore. Omnium animæ partium princeps ac regina, mens est ac intelligentia, qua præditus homo vnus cæteris antecellit animantibus: intelligentiæ ac rationis domicilium est Cerebrum: ad rationis & discursus vsum necessarium est vt phantasia intellectui obiecta omninò pura, immaterialia, & à qualitatibus corporeis segregata repræsentet. Verum obiecta hæc imaginatio non nisi externorum sensuum (qui animæ velut exploratores sunt & fideles internuncij) operâ comprehendit, itaque sensuum organa oculos, aures, nares, linguam, membranas internas externasque formari oportuit. Vt sensus obiectorum varietatem perciperent, locali motu eguit animal; hinc organa motus constructa sunt gemina, nerui & musculi. Nerui per continuationem quam cum principio suo, veluti radii solares cum sole habent, deferunt è cerebro potentiam & spirituum animalem: musculi velut obsequentes subditi imperio huic parent, & pro imaginationis ac appetitus arbitrio partem flectunt, extendunt, & quoquouersum circumferunt. Quare cerebrum imperat, neruus imperata defert, musculus obsequitur, & versus originem suam reflectitur. Atque vt peritus eques freno sibi commissum equum ita dirigit, vt nunc ad dextram, nunc ad sinistram cursum inflectat, ita Cerebrum per neruos musculorum motum, extensionem, reflexionemque gubernat. Hæc duo motus voluntarii organa neque subsistere, neque functiones suas exequi possent, nisi solido aliquo & immobili corpore firmarentur, quamobrem osseas illas columnas & cartilagines, è quibus prodeunt inseruntur que musculi, procreari, atque ossa ligamentis iungi & membranis operiri necesse fuit. Partes hæ actiones suas sine calore naturali & alimento perficere nequeunt, calor hic aliunde exortus ac alimenta certis ductibus per corpus deferenda fuerunt, ideoque natura venas & arterias constituit, has à pulcherrimo fonte Corde sc. deuehendi spiritus gratia deriuatas illas à communi promptuario hepate deducendi sanguinis causa deductas. Adeo vt si per eosdem gradus per quos digressi sumus sursum regredi opus sit, Cor & Hepar eo fine condita sint, vt calorem natiuum feruent & instaurent: Ossa & Cartilagines, vt musculos ac neruos voluntarii motus instrumenta sustineant, musculi & nerui, vt sensuum functionibus adiumento & perfectioni sint: sensus vt obiecta externa imaginationi exhibeant: imaginatio, vt species ab omni materia exemptas rationi offerat, quæ deinceps easdem memoriæ fideliter asseruandas transmittit. Vnde cum omnia rationi obtemperent; rationis vero sedes Cerebrum sit, omnes corporis partes Cerebri gratia factas, eique iure merito principatum deferre fatendum est.

Demonstratio elegans pro cerebri excellentia.

Conclusio.

Superest ad bucalia, nec ipsa vulgaris, pro partis huius nobilitate declaranda, demonstratio: nimirum quod ipsa formam perfectionemque partibus omnibus impertiat. Certum est capitis figuram à cerebri figura dependere, cum continens à contento formam structuræque rationem nanciscatur. Capiti spina dorsi annectitur, viginti quatuor vertebris & osse sacro constans hæcque truncum corporis nuncupatum constituunt. Quod si foramen illud, per quod medulla è cerebro delabitur, amplum fit, vertebræ etiam ampliores sint oportet. Spinæ dorsi velut carinæ in nauigio primum iactæ, cætera ossa innituntur & cohærent; superius quidem ossa scapularum, unde duo vtrinque brachia & duodecim costæ inferius, ossa ilium, pectinis, & coxendicis, adeo vt si eiusmodi proportiones æqua judicij trutina examines, ossium magnitudinem à capite, tandemque à cerebro velut primo principio dependere fatearis. Ossibus annectuntur ligamenta, musculi, acreliquæ potissimæ corporis partes, quarum amplexu viscera nobilissima coërcentur, vnde tandem inferendum est, ossa partibus omnibus figuram à cerebro sibi donatam elargiri. Quamobrem rectè admodum diuinus Hippocr. 2. Epid. Medicum ex magnitudine capitis de reliquorum ossium, venarum, arteriarum & neruorum magnitudine judicare posse, asseruit.

Concludamus ergo cum veritate, quandoquidem Cerebro tanta præ reliquis partibus priuilegia cesserunt, principalem & supremam animæ sedem idipsum esse constituendum.

CAP. II.

Sensus externos veros animæ internuncios quinque tantum esse omnesque extra Cerebrum collocatos.

POsteaquam perspectum planumque est animam in corpus velut obscurum carcerem detrusam sine sensuum ope neque discurrere, neque quidquam concipere posse; necessum fuit, sensuum organa non procul à regia illa sede, & rationis ingenito domicilio collocari. Sensus ergo quos externos nuncupamus, quinque sunt, Visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, ex quibus omnis nostra cognitio dependet; vt verè Philosophus asserat, nihil omnino nisi per has quinque partes intellectum subingredi posse.

Cur quinque tantum sint sensus.

Prima ratio. Qui numeri hujus rationem reddere conantur, ideo dicunt quinque tantum constitutos esse sensus, quod Vniuersum quinque simplicibus corporibus constet quatuor scil. Elementis, & Cælo quod naturæ æthereæ est, puræ, & nobilissimo lumine dotatæ. Visus (vt platonici aiunt qui pro instrumento sortitus est gemina illa astra, radiis æthereis & igne cœlesti lucente, non urente plena, cœlum refert, & pro obiecto lumen sibi adscribit. Auditus sonos percipiens pro obiecto aërem agitatum impulsumque nancisci tur, pro instrumento verò primario (si Aristoteli credimus) interiorem aëremexiguo labyrintho inclusum, & auribus ingenitum. Odorans ad ignis naturam accedit, cum odor non nisi in arido quodam fumo à calore excitato consistat, & communiter aromatica omnia calidis adnumeremus. Gustui humiditatem, tactui terram pro obiecto attribuimus.

Secunda. Alii verò qui varium hunc sensuum numerum sic tuentur, quod non nisi quinque sint obiecta propria, omniaque corporis naturalis accidentia colori, sono, odori, sapori aut tractabili alicui qualitati ad numerari possint.

Tertia. Sunt qui hunc numerum ab vsu ceu causa finali colligunt: Sensus ad utilitatem vsumque hominis ex anima & corpore constituti, produxit natura. Visus & auditus plus animæ quam corpori famulantur, gustus & tactus plus corpori quam animæ, odoratus æqualiter vtrique seruitia sua impertit, & spiritus, primaria animæ instrumenta, recreat & emundat. Equinque his sensibus duo ad vitam, & esse hominis simpliciter, tres reliqui ad beneesse, ac oportunius viuere requiruntur. Ad esse simpliciter necessarii sunt gustus & tactus. Hic si naturæ exploratoribus credimus, fundamentum est, vt ita dicam, animalitatis: ille vitam tuetur & conseruat. Visus, auditus, & odoratus commodioris vitæ gratia sunt, atque sine his animal subsistere potest. Primi duo velut summè necessarii obiectum homini internum, atque organo ita coniunctum, ut ab eo sit omnino inseparabile, adeo vt Medici medium & instrumentum in gustu & tactu confundant. Tres reliqui obiectum habent externum & ab organo seiunctum, vt visus aërem, aquam, & omne corpus diaphanum. Argutas & multiplices huius numeri causas in exordio libri tertii de anima percenset Aristoteles, sed quæ interpretes in varios sophismatum labyrinthos præcipitarunt, ita naturæ & secreta Philosophiæ mysteria tegere & occultare videatur, non quidem velo poëtarum fabulis intertexto, aut superstitioso pythagoricorum numerorum concentu; sed obscura breuitate, haud secus ac sepia, quæ ut è manibus piscatorum elabatur, offuso nigro liquore diffugit, & se recondit.

Quarta. Aristotelis de numero sensuum demonstratio. Sensus (ait Aristoteles) non nisi quinque sunt, quia media per quæ sentimus non nisi 5. modis alterari possunt. Media illa duo tantum sunt, externum & internum: externum, aër est, aut aqua, internum caro aut membrana. Aër & aqua recipiunt obiecta externa aut velut diaphana, sicque visui ancillantur, aut velut corpora mobilia & rara, sicque auditui famulantur; aut velut humida sicum recipientia sicque odoratui inseruiunt. Caro vel membrana duobus modis considerari possunt: aut ratione temperamenti è quatuor primarum qualitatum complexu exurgentis sicque tactus obiecta sunt, aut ratione mixtionis humidi cum sicco, sicque sapores gustu discernent. Vt, vt sit, quinque tantum sensus esse, illisque naturæ præscripto stationes suas extra Cerebri arcem obtigisse perspicuum jam est, & euidens. Hi veri sunt animæ satellites & nuncii, fenestræ per quas omnia clare intuemur, custodiæ & portarum præsides, quarum beneficio ad secretiora ipsius penetralia intromittimur: quæ vbi fidem Rationi debitam seruant, mille obiecta perfectissima eidem offerunt, è quibus admirabiles discursus efformat.

Sensus animæ carnifices. Sed prò dolor quoties eam iniqua proditione subuertunt? quam facilè blandarum voluptatum illecebris, vt deficiant, corrumpuntur. Vnde sensus non immeritò Mercurius Trismegistus, tyrannos & carnifices Rationis appellat, quòd eam sæpenumero vinctam ligatamque, potentiis duabus inferioribus, irascibili & concupiscibili, tradant, cumque domina sit, ancillam; cum libera, mancipium constituant. Tunc sanè frustra leges aut præcepta constituit, tunc ipsi haud aliter obtemperatur ac legi vel magistratui, ciuitate variis dissidiorum turbis in diuersas factiones distracta. Eben quot animæ libertatem suam per visum amiserunt? quam

quàm lata est per hunc nisi custodiæ tegumen obiiciator ad mortem spiritualem fenestra? quoties oculi incautas animas deprædati sunt? an non omnium sermone percrebuit, cœcum illum & lasciuum sagittarium cupidinem ad corda nostra per has portas aditum moliri; & amorem è complexu radiorum ex oculo promicantium exurgere; aut ex vnione subtilium spirituum è secreto corde ad oculum exigua semita prorepentium qui corrupto hoc ostiario amori portas reserant, qui paulatim arcem occupans rationem è dominatu suo improbè deturbat. Quoties verò Ratio per auditum lasciuæ incantationis medio, seruituti addicitur? Si aurem accommodas suaui alicui linguæ, voci delicatæ, discursui mille illecebris referto, ne dubites quin Ratio tua captiua trahetur, excubias somnus opprimet, illabetur hostis & arcem victor occupabit. Prudentiæ exemplar Vlysses an non sociorum aures obturauit, ne suaui Sirenum harmonia incantarentur? Effrænata gustus voluptas, cupediæ & bibendi illecebræ quot magnates perdiderunt? Et sensus ille tactus ad species conseruationem à natura animantibus attributus, terrestris maxime & corporeus, ideoque ad voluptates procliuior. Annon sæpenumero ad abiectam & sordidam bestiarum conditionem nos deturbat? Nunquam itaque ratio supplantatur nisi corruptis his custodibus, nunquam palatium suum subiotratur, nisi consciis custodibus & colludentibus quòd nimirum anima in corpus velut ergastulum (quod capitis huius initio memoratum) detrusa non nisi ministris & internuncijs sensibus rerum notiones in se comprehendat.

Quo pacto sensus rationem libertate spolient.

CAP. III.

Visum nobilitate sensus omnes externos præcellere.

INter omnes sensus visus, rectè Philosophantium judicio principatum obtinet. Eius præstantiam multa indicant; sed quatuor hæc inter cætera; rerum quæ animo repræsentat varietas; actionis modus omnium nobilissimus, & velut spiritualis; Obiecti particularis præstantia, lucis sc. qualitatum à Deo procreatarum omnium diuinissimæ, & actionis certitudo. Primum plures rerum differentias nobis commonstrat visus; quia ferè omnia corpora colorata sunt, aut saltem sub oculorum aspectum cadunt, non autem tanguntur, nec sonum edunt omnia: Cœlum mundi decus & ornamentum, nobilissimum vniuersi corpus à nobis non tangitur, nec auditur dulcis illa è diuersis ordinatisque motionibus exorgens harmonia; solo tantum visu percipitur. Corpora mollia sonum non edunt, terra & ignis gestu destituuntur, aspectui tamen hæc omnia sunt exposita. Visus præter obiectum proprium communia habet quamplurima, figuram, magnitudinem, numerum, motum, statum, situm, distantiam; vnde à Philosopho in Metaphysicis inuentionis sensus dicitur, quod eius adminiculo pulcherrimæ scientiæ sint adinuentæ. Nobilis huius sensus ministerio omnis philosophandi studium ortum ac incrementa suscepit; nam philosophia ex admiratione, hæc ex rerum pulcherrimarum aspectu extitit. Anima itaque nostra in cœlum oculorũ auxilio subuecta, & stupendarum rerum infinita multitudine in admirationem rapta, causas earum perscrutari voluit atque inde Philosophiæ prima jecit fundamenta. Verum vlterius prouehar; dicamque felicitatis omnis nostræ sensum esse visum. Cum enim hominis beatitudo in Dei cognitione consistat, nullum sanè video sensum qui nobis visu certius clariusque ad eam iter demonstret. Inuisibilia Dei, Apostoli testimonio, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Primam illam infinitam & incomprehensibilem causam non nisi per effectus comprehendere valemus, neque Moyses diuinum vultum igneo radiorum fulgore aciem perstringentem rectà intueri poterat, Huc ades ergo ô Athee, nobilem hunc sensum totius Vniversi à Deo summa perfectione, & infinitis ornamentis ditali, considerationi impende. Eleua oculos tuos, sursum vnde originem sumpsisti, dirige; contemplare diuinæ maiestatis thronum, Cœlum ipsum perfectissimam è numero sensibilium & corporeorum substantiam; intuere syderum tanquam gemmarum interlucentium infinitam varietatem; ac potissimum duo illa luminaria magna, Solem ac Lunam, hanc noctis illum diei illustrationi præfectam. Considera maiestatem solis exorientis dum vnico momento radios suos ab vno mundi extremo ad alterum diffundi ac vesperi denuo sub vndas solito fulgore circundatis se recondit. Expende varios Lunæ vultus, admirare ortum, progressum, occasumque astrorum quæ in cæteris quinque globis versantur, & erratia dicuntur; licet nullo errore vagentur, sed indefecto ordine reciprocis itineribus cursum suum conficiant. Quòd si te cœlum intueri pudet, veterisque ne infallibilibus diuinitatis argumentis inde prominentibus conuincaris; deflecte vultum deorsum ad terram aut ad mare; in hoc vide & examina ingens miraculum; quod perpetuis fluctibus intumescat, & terræ velut horrendum continuè minetur, non imminens tamen vltra statos fixosque limites excurrat. Quod flumina in se recipiat omnia, neque tamen aut augeatur, aut in mortalium damnum amplius intumescat. Aspice terram in aëre velut suspensam, suis

Visus præstantiam quatuor indicant. Primum.

Elegans consideratio pro atheis.

ſuisque libratam ponderibus: diuerſitatem animalium in ſua ſpecie adeo perfectorum, elegantiam gemmarum, infinitam plantarum ſeriem, tantum varietate delectantium, quantum proprietate viribusque admirabilium. Sin hæc omnia ad primæ cauſæ cognitionem confeſſionemque viam nondum aperiunt, ſi deliciæ te alio rapiunt, & id quod eiusmodi rerum contemplationi impendendum foret tempus ſuffurantur, in exigua admodum re totius mundi epitomen, rerum omnium menſuram, vniuerſi tabulam & ideam primarium diuinæ opus tibi ad oculos demonſtrabo; vt cum vetuſtiſſimo Zoroaſtre exclamare cogaris: O Homo audaciſſimæ & omnia confidenter molientis naturæ decus? Neque verò aliud quid hoc loco, niſi caput tibi contemplandum offeram, cum in hoc humanæ dignitatis argumenta eluceant clariſſima. Expende regiam hanc domum intus, extra, ac vbicunque libet. Intuere artificium cerebri, tres illas columnas, quibus, vt cœlum humeris Atlantis, ita ſuperbi iſtius ædificii operimenta innituntur: quatuor cellulas in quibus (ſi Arabum ſcholæ fides habenda eſt) principes animæ facultates reſident. Imaginario in duabus anterioribus, ratio in media, memoria in poſteriori. Examina dein ſpeculum lucidum, rete admirabile inſtar labyrinthi, ex infinita arteriarum ſibi mutuo implexarum ſerie contextum, vbi ſpiritus animales extrema perfectione donantur: neruorum originem, funem argenteum, eiusque producendis neruis fœcunditatem incredibilem, canales & tubos qui omnem cerebri eluuiem excludunt. Quod ſi regio hoc palatio includi abnuis, egredere, vt extra caput intuearis duo lucidiſſima illa aſtra, ſpecula animæ in quibus omnes eius affectus expreſſos legimus: miraberis dubio procul cryſtallinum humorem puritate & elegantia margaritas Orientales longè præcellentem, nitorem ſex tunicarum, ſtupendam mobilitatem ſex muſculorum, & præ omnibus, pupillam amoris ducem & indicem. Videbis non minori cum admiratione aures vtrumque conſtitutas. An non audax eſt illa naturæ actio, quod adeo exiguo foramini inſeruerit tympanum eique chordam tenuiſſimam inſtar nerui militaris attenſam, oſſicula tria, malleolum, incudem, & ſtapedem æmulantia, muſculos tres exiles viſum pene effugientes, labyrinthum interni aëris receptaculum, feneſtras duas ouales neruum, & cartilagineum ductum, ad palatum vſque protenſum, qui eximiæ illius ſympathiæ, quam vocis ac auditus inſtrumenta inter ſe habent, author exiſtit. Et quid dices de exiguo illo carnis fruſto quod inſtar anguillæ miris ſe torquet & inflectit motibus, linguam intelligo puſillum corpuſculum omnes animi conceptus exprimens, per quam (vt inquit Apoſtolus) benedicimus Deo & maledicimus hominibus, quæ in admirationem rapit, flectit, tonat, generoſos animos ad confligendum excitat, ac denique florentiſſima imperia funditus euertere, eademque priſtino flori & vigori reſtituere poteſt. Denique ô Athee ſi particulatim ſingula examinare piget, aſpice precor, elegantiam & maieſtatem faciei, quæ omnibus animantibus terrorem incutit, an non in ea ſcintillam aliquam vel radium potius diuinitatis reperies? an non characterem creatoris ſui in ea conſpicies? atque omnibus his conſideratis nunquid inuitus tandem adigeris ad exclamandum cum Regio propheta: Confitebor tibi Domine, quia tuæ ſapientiæ magnitudinem in corporis mei fabrica declaraſti. Quam nobilis ergo ſenſus eſt viſus, qui cum tantam ſeriem rerum ſtupendarum, & obiectorum præcellentium percipiat, recta ad Dei cognitionem nos deducit.

Secundum punctum pro excellentia viſus.

Secundum, ex quo viſus dignitas declaratur, eſt actionis modus qui reliquorum ſenſuum actiones longis poſt ſe interuallis relinquit. Fit enim in inſtanti viſio ſine motu locali, & ad diſtantiſſima interualla; vnde ad intellectus naturam proximè accedit.

Elegans viſus & intellectus comparatio.

Intellectus rerum ideas ab omni materiæ contagione liberas complectitur: viſus ſpecies tantum incorporeas quas Philoſophi intentionales vocant, recipit: Intellectus totum vniuerſum comprehendit nullo tamen loco circumſcriptus, complectitur cœlum terram neque ſe mutuo, intellectui inſerta, aut offendunt aut impediunt. Viſus cœlum recipit, neque tamen locum vllum oculi aut confundit aut interturbat, ingentes illæ montium moles ſimul unaque vice pupilla reſubintrant, cum tamen exigui foraminis ad eiusmodi moles nulla ſit proportio. Intellectus eodem tempore duo contraria comprehendit, verumque à falſo diſcernit; viſus eodem inſtanti album nigrumque diiudicat, & dum percipit vnum contrariorum, non impeditur à perfecta cognitione alterius, quod cæteris ſenſibus nequaquam accidit. Guſtato enim amaro, impoſſibile eſt ſimul de dulci iudicium ferre. Intellectus vnico momento totam rerum vniuerſitatem penetrat: viſus vno inſtanti ſpatium omne cœli in ſe recipit: Cæteri ſenſus cum tempore mouentur, vnde fulgur ante tonitru percipitur, licet vno eodemque tempore è nubibus elidantur.

Argumentū rei veritatis aſſerendæ certiſſimum eſt propria ocularis inſtinctio.

Intellectus liberam habet & cogi neſciam vim; viſus in actione ſua ſpeciem quandam præ ſe fert libertatis, quod reliquis ſenſibus denegauit Natura, aures enim perpetuo ſunt patulæ, vt & nares, cutis expoſita eſt frigori, calori, omnibusque aëris iniuriis: at oculi palpebras habent, quibus, ſi velit animal, viſum, ſuſpendere & cohibere poſſit. Accedit tertiò ad viſionis præſtantiam illius certitudo. Plus valet (vt vulgo dici ſolet) oculatus teſtis vnus quam auriti decem; & Thales tantum inter oculos & aures intereſſe putabat, quantum inter verum &

falſum

falsum. Vnde prophetæ quæ diuino sermone edocti sunt, vt certiora verioraque asserant, visiones appellant. Postremo visus dignitatem indicat obiectum ipsius, nobilissimum, communissimum, & notissimum, nobilissimum dico quod lucem perfectissimam qualitatum omnium, è cœlo ortam, & primogenitam Dei filiam poëtis dictam, comprehendat. Communissimum quod indifferenter omnibus communicetur. Notissimum quod nihil vniuersa rerum natura contineat, quod coloratum aut visibile non sit. Qua ratione factum puto vt Theophrastus; visum hominis formam dixerit; Stoici; visu nos ad diuinitatem accedere: Anaxagoras, ad hoc natos nos esse vt videamus. *Tertium punctum, quo visus excellentia asseritur.*

De præstantia Oculi proprii visus instrumenti.

CAP. IV.

VT visus in actione sua mirabilis est, ita visioni dicatum organum omnem superat admirationem; tot enim particulis tanta industria fabrefactum est, vt nemo sit qui non obstupescat: & nescio sane an cum Plotino & Synesio naturam magam appellare ausim, quod pusillo corpusculo tam varij generis particulas, tunicas, musculos, humores, neruos, venas, arterias concluserit. Ægyptii solem adorabant & Dei inuisibilis visibilem filium appellabant; & quare non admirabimur oculum qui (vt vetus Poëta Orpheus canit) microcosmi sol est, dignitate & vsu neutiquam illi cedens. Sol radiis quidem suis vniuersum orbem collustrat, sed nihil inde voluptatis, nihil commodi accipit, nihil videt eorum, quæ vt nos videamus, ipse autor & mediator est. Oculus, minor sol, dum visilium omnium spectra animo repræsentat, cum eo oblectatur, & obiectorum formam, magnitudinem, distantiam percipit, quod nulli alii sensuum organo concessum est. Plato vt diuinam hanc partem dignis ornet honoribus, diuinissimam & æthercam appellat, eamque existimat participem ignis cœlestis; qui non vrit; sed illuminando suauiter diem inuehit mundo. Orpheus oculum naturæ speculum vocat: Hesychius solis portas: Alexander Peripateticus fenestras animi, quoniam per oculos clare ipsum intuemur, & secretissimos eius recessus penetrantes abditos quo suis conceptus rimamur. Et quemadmodum vultus animi est imago, ita oculi passionum animi indices sunt. *Solis cum oculo comparatio.* *Oculus animi speculum.* *Omnes animi passiones apparent in oculo.*

In oculis elucet amor & odium, tristitia & gaudium, timor & audacia, vltio & commiseratio, spes & desperatio, sanitas & ægritudo; vita & mors. Aduerte quæso vt in amore blandiantur, iucundi versuti, illices, lasciui, neanratores efficiantur, in odio efferantur, in audacia prosiliant, in timore subsideant, gaudente animo hilares subrideant, eodem mœrente languescant obscurentur, & lacrymentur. Denique ad animi affectus oculi sunt compositi, eius imagnem ita exprimentes, vt alter animus esse videantur: qua ratione factum puto, vt Blemor Arabicus, & Syenensis Medicus Cyprius animæ sedem in oculis statuerent, quibus & vulgus adstipulatur dum enim oculos osculatur; animum ipsum attingere & exosculari sibi videtur.

Viden' hic impudens Momete condemnatum & causa penitus cecidisse? ades huc & palinodiam canas vt culpam honeste depreceris; quod malitiose ac falso naturam in condenda corporis humani fabrica erroris accusaris quasi impudenter oblita fuerit fenestrarum prope cor constituendarum, è quibus animæ passiones elucerent. Desiderasne elegantiores fenestras oculis? an non illis velut in speculo reconditissima animi secreta legis? nunquid reus ex oculis iudicum, gratiæ, aut supplicii notas colligit. Planum est (inquit Theocritus) & apertum iter ab oculis ad cor; frustra ad simulandum vultum componis, quia cordis affectum oculus celare nequit. Quam vanum ergo & fictile propositum est illorum, qui crystallinum pectus desiderant, vt abdita cordis perspicere possint cum elegans & rotundum illud in oculo crystallum obtineamus, quod radios suos velut per lucidissimum vitrum eiaculatur. *Momus damnatur,*

Quod si philosophicis & poëticis floribus medica immiscere licet, adiungam & hoc; maxima ex oculis peri indicia ad salutem aut mortem. Magnum Græciæ oraculum quod adhuc vniuersus orbis admiratur, Hippocrates hoc ipsum in Epidemiis accurate obseruauit; & in Prognost. iubet, vt medicus ægrum inuisens faciem omnem, potissimum verò oculos, diligenter exploret, quod in iis tanquam in speculo tam robur, quam imbecillitas facultatis animalis eluceat. Oculi enim clari & lucidi bonam concipere spem iubent; obscuri, tenebrosi & flacidi, res ægri in angusto esse attestantur. Galenus oculum vocat membrum diuinum, solarem animalis particulam, tantumque oculis tribuit, vt eorum gratia cerebrum constructum esse asserat. A cancellis curiæ excludendum cœcum Iureconsulti statuunt, quod Magistratus maiestatem videre nequeat. *Corporis sanitas ex oculis enitet.*

Naturæ genius Aristoteles secundo de gener. Animalium certa ex oculis signa fœcunditatis colligit. Namque si in oculi canthum amarus liquor instilletur, & lingua statim eo sapore inficiatur signum erit fœcunditatis. Sunt etiam (ait Philosophus) oculi spiritibus pleni & se-

mine turgentes, propterea concidunt & corrugantur ij qui nuper nupsêre. Sed quid opus est tot authoritatibus excellentiam duplicis istius solis asserere, cum natura ipsa abundè hoc demonstret: euoluamus eius librum, videamus quantam curam conseruando fidissimis suis internunciis impenderit? admiremur artificium quo in extruendo eorum propugnaculo vsa est; animaduertemus nihil penitus eam prætermisisse, non secus ac ij, qui fortissimum & omni hostili machina inexpugnabile castrum exstruere constituunt.

Munimenta oculi.

Primum enim oculos in antrum quoddam velut sinuosam vallem recondidit, vt extrinsecus irruentibus iniuriis minus forent obnoxii, neue hæc vallis impetu quopiam infestari posset, quatuor eam cinxit propugnaculis, solidis ossibus saxum æmulantibus firmatis, quæ velut exigui colles vt vim hostilem excipere possint, protuberant.

Superiore parte eos frontis inferiore os maxillæ prominet: à dextra & à sinistra duo sunt anguli, maior ad nasum vergens, & minor huic oppositus. Quoniam vero castri huius anterior pars in propatulo erat, ne fortè princeps in eo constitutus si oculus opprimeretur nimioue fulgore, vento, frigore aut fumo offenderetur. Natura extruxit velut pontem trusatilem, qui pro arbitrio gubernatoris attolleretur ac demitteretur palpebras inquam quas subleuare vel claudere ex animi nostri arbitrio dependet: catenæ pontem eleuantes & demittentes sunt musculi, motus voluntarii organa. Itaque singularis hæc naturæ solicitudo quam tutelæ oculorum impendit, abundè nobis ipsorum excellentiam patefacit, eruditque quantum visus conseruationi studium, quanta diligentia sit impendenda.

De oculorum structura in vniuersum.

CAP. V.

Non alienum instituto nostro arbitror artificium geminorum hominis astrorum aperire, idque ita exactè, vt curiosissimo cuique atque ijs etiam qui non nisi ad caluminandum nati videntur, nulla reprehendendi reliquatur occasio. Interim tamen prætereibo de partibus oculique disceptationum, longam illam seriem quam libro quarto operum meorum Anatomicorum fuse persecutus sum. Quemadmodum ergo Cosmographi, aut qui curiositatis gratia varias regiones perlustrant, primùm de nomine cuiusque prouinciæ inquirunt, & priusquam ciuitatem ingrediantur, situm, ipsius formam, magnitudinem, propugnacula, omnes aditus ac quidquid demum exterius aspectui patet accuratè explorant: ita oculorum formam, situm, munimenta, magnitudinem, vsum, numerum & quidquid tandem generale animaduerti potest, exquisitè enucleabo, priusquam ad particularem ipsorum descriptionem deueniam.

Nomina Oculi. Oculi Græcis ὀφθαλμοὶ dicuntur, quod ex ipsis lumen & videndi facultas oriatur, Poetis Theæ filii appellantur. Hebræi Oogen dicunt, quod altum denotat vt originis nostræ memores simus, & ad hoc datos nobis oculos, vt excelsa contemplemur. Latini oculos vocant ab oculendo; latent enim sub cilijs & velut sinuosa valle recondiri sunt. *Figura Oculi.* Figura oculi rotunda est, neque tamen perfectè Sphærica, sed aliquantulum oblonga & pyramidalis, eius namque basis extrorsum est, conus introrsum ad neruum opticum. *Cur oculus rotundus.* Figuram hanc conuenienter obtinuit ad capacitatem, robur, & agilitatem. Mathematici asserunt figuram rotundam esse maximè capacem, & Optici volunt oculum non suffecturum magnitudini capiendæ si non sit rotundus, & nihil nisi æquale sibi percepturum. Cum autem sit orbicularis, à quacunque parte occurrent radii, franguntur ad perpendicularem, id est, diriguntur ad centrum pupillæ. Figura hæc rotunda conducit plurimum oculo ad agilitatem vt facilius sursum, deorsum, ad dextram ac sinistram rotari possit; corporibus enim globosis summa inest reuolutionis facilitas, cum non nisi vnico punctoadhæreant. Rotundam etiam hanc figuram defensioni oculorum seruire censeo: siquidem inter omnes figuras rotunda fortissima est, & plurimum externis iniuriis resistit, cum tota sit continua, nullumque angulum aut punctum, vnde exsistat, dissolutionis initium obtineat.

Situs oculi. Siti sunt in loco editissimo, anteriori & profundo: in editissimo quidem, vt velut exploratores interdiu noctuque excubantes, eminus quæcunque nocitura sunt, aut profutura prospiciant, *Cur in alto situs.* vnde in sacris literis Phari frequenter nuncupantur. Nam & excubiæ in editissimis locis disponuntur, & insignia turrium aut nauium summitati insiguntur. *Cur in parte anteriori.* In anteriore siti sunt, quia antrorsum mouetur animal; debet igitur, quæ illi obuersantur aut offendere possint videre; neque etiam excubias tergum inimicis obuertere conuenit, Anatomici situm huncipsis attribuunt, quod ad visum nobilissimo & velut medullam referente neruo opus sit, quò facilius magna spiritus quantitas per viam eiusmodi lubricam deferretur. quare à posteriori parte seu cerebello ficcioreoriri non poterat. Rationem hanc in opere meo Anatomico approbaui quidem, verum interim accuratius neruorum originem scrutatus, omnes etiam opticos ex posteriori parte exoriri planè penitusque cognoui, vnde opinionem veterem mutare

tare coactus sum. Tandem in antrum quoddam velut sinuosam vallem reconditi sunt, & in cauum (orbitam vocant) retrusi, vt tutiores essent, & minor spirituum fieret dissipatio. Vallum hoc vndiquaque firmatur ossibus frontis, nasi & genæ superioris quæ velut exigui colles, extrinsecus irruentibus iniuriis objiciuntur, & quoniam anteriore parte aditus omnis patebat, natura eam ipsam palpebris quasi propriis sepimentis obuallauit, quæ reserantur & recluduntur pro voluntatis nostræ arbitrio, ne oculus nimio luminis splendore occursante lædatur, neue ipso perpetuo patente spiritus omnes euanescant, aut sopore ligatis sensibus externarum causarum incursionibus offendatur. Adiungo rationibus hisce quod si oculus non clauderetur, nunquam tam facilis esset reditus spirituum ad proprium centrum, neque somnus ita placidus nobis obreperet: philosophorum enim commune est decretum, reuocatis intrò spiritibus & vacatione feriarum vice sensibus imperatâ, somnum fieri. *Cur incencauitate.*

Natura oculi (quam Anatomici substantiam dicunt) mollis est, pellucida, densa, aquo sæ mollis, vt promptiùs species recipiat; pellucida, vt lumine facilius penetrari possit, habeatque organum debitam cum obiecto suo proportionem: densa, vt obiecta firmari solidarique in ea valeant. Aqua eius modi qualitatibus sola est insignita: substantiam ergo totam aqueam sortitus est oculus non igneam, vt Platoni visum est quem pluribus cap. decimo redarguemus. *Oculi substantia.*

Visus oculorum duplex est: alter communis homini & brutis, vt tanquam speculatores fugiant quæ nocitura videntur, & quæ vtilia sunt prosequantur. *Visus.*

Est diuinior alter oculorum visus soli homini proprius, rerum cognitio, Dei inuisibilis contemplatio, per eam quæ visibilia sunt, ipsaque penè dixerim beatitudo; nam cœli specie recepta intellectus nobilior euadit, & opifici suo simillimus redditur.

Oculi duo sunt ob sensus huius necessitatem & excellentiam nimirum vt ægrotante aut ablato altero alter seruiat, vtque simul plura obiecta visu percipi possint. Si enim vnum oculum eumque in media fronte (qualem Cyclopibus Poetæ affingunt) constituisset natura, solum ea quæ ante nos sunt, non autem quæ ad latera consistunt, intueremur. Eorum admirabilis est sympathia, nam & læso altero, statim afficitur alter, vt vno eodemque motu simul & semel mouentur ambo, neque in nostra potestate vnum sursum, alterum deorsum, aut immobili existente vno, alterum mouere. Aristoteles hoc vnioni neruorum opticorum adscribit, creditque oculos vno eodemque cieri motu, quod commune principium motus in coniunctione neruorum opticorum existens, obtineant. Sed, pace tanti viri dixerim, errat in boc plurimum, vt in omnibus ferè rem Anatomicam concernentibus à recta veritatis semita plurimum deflectit. Neruus opticus nihil omnino ad motum facit, visiuos tantum spiritus defert, eoque in gutta serena obstructo, visus perit illæso oculi motu. Causa itaque fini & perfectioni huius sensus adscribenda est, nam si oculorum alter attolleretur, alter deprimeretur, obiectum quod natura simplex est, duplex appareret perpetuo (quod fit vbi digito alterum tantum deprimimus leuamusùe oculum) adeoque nobilissimus sensus nunquam non falleretur, & ratione perfectionis cederet omnibus. *Numerus.* *Oculus vnus moueri non potest altero immoto.* *Error Aristotelis.*

Temperamentum oculi frigidum est & humidum. *Temperamentum.*

Sensus est acerrimi, & mira sympathia cum cerebro conspirat. *Sensus.*

Sunt in homine solo variegati oculi & diuersi coloris. Varietas hæc aut ab humoribus, aut ab vuea membrana, aut à spiritibus originem sumit. In humoribus tria obseruo; situm profundum, & superficialem, substantiam tenuem, aut crassam, claram aut obscuram, & quantitatem. Humor crystallinus si clarus est, subtilis & purus, si magnus & in anteriora prominens, igneus erit oculus: è diuerso si obscurus est. crassus & in profundo demersus, niger erit aut fuscus membrana vuea diuersimodè colorata magnam huic varietati ansam præbet, cui plurimum ipsi spiritus adstipulari possunt. *Colores.*

Specialis partium oculi descriptio ac primum sex eius musculorum.

CAP. VI.

ADmirandum sanè si quid quam aliud quod stupenda vniuersi structura protulit, organum ita exiguum, vt instar nihili haberi possit constare pluribus quàm viginti particulis distinctis, adeo exquisitè vnitis, vt intellectus humanus neque deficiens neque redundans quicquam deprehendere valeat. Quas eo ordine quo in sectionibus Anatomicis occurrunt, describere aggrediar. Constat ergo oculus sex musculis quibus mouetur sursum ac deorsum, ad dextram & sinistram, versaturque & circumagitur: sex tunicis quibus partes omnes colligantur, nutriuntur, & humores terminis suis coercentur: tribus humoribus claris & pellucidis quibus obiecta visilia recipiuntur, alterantur, & seruantur: duobus neruis spiritum animalem deferentibus, altero Optici nomine ad visum, altero ad motum destinato: venulis exiguis quam plurimis alimentum arteriis totidem vitæ commoda subministrantibus: pinguedine *Breuiter oẽ omnes oculi partes enumerantur.*

guedine copiosa vt faciliori mobilitate versetur: Carunculis seu glandulis duabus, quæ humorem à cerebro defluentem excipiunt, oculos irrigant & ad mouendum aptiores reddunt, qui alioquin in perpetuis motibus æstuaret & siccaretur.

Musculorum descriptio. Musculi ad oculi constitutionem necessarii omnino fuerunt vt in omnem partem circumagi posset. Nam si immotus persisteret ad videndum, collum ac caput simul in omnem partem obuertere cogeremur: verùm carnosis hisce velut funiculis immoto capite, incredibili agilitate circumfertur; vt meritò à Poëta faciles oculi appellentur. *Quatuor musculi recti.* Musculi hi non nisi sex sunt; quatuor recti, motibus rectis præfixi, & duo obliqui. Rectorum primus sursum, alter deorsum mouet, tertius ad læuam, quartus ad dextram trahit. *Error veterum.* Veteres apud quos rudis & impolita adhuc erat Anatomica cognitio, musculos hos quatuor à duriore membrana cerebrum obuoluente enasci putarunt. Sed absurdè decepti sunt. Neque enim à membrana debent aut possunt enasci: non debent, quia membrana hæc exquisitissimi sensus, neruum opticum circumdat, itaquè musculi in motibus suis neruum comprimerent, liberum spiritus transitum remorarentur, & ob sensus acumen quo prædita est membrana cum dolore perpetuo oculus moueretur: non possunt, quia firmæ non adhærerent basi, cùm tamen partem attrahentem attracta fortiorem esse conueniat. Oriuntur ergo omnes ab interiore orbita, quam ossis sphenoidis portiuncula constituit, hinc in varias adnatæ tunicæ partes inseruntur.

Duo musculi obliqui. Reliqui duo musculi obliqui dicti versant & circumferunt oculum obliquè, alter superius, alter inferius, vterque anterius, cùm nihil sit quod retro ac posterius oculus cernere possit. Primus ab interiore orbita, vt recti quatuor, exortus, ad angulum maiorem fertur, ibique in chordam gracilem desinens, eam trochleæ obuolu t, tandemque in latus coniunctiuæ obliquè inseritur. *Trochlea amatoria.* Trochleam voco cartilagineam, quæ canalem habet per quam currit dicta chorda, & ligamento membraneo ita ab angulo pendet, vt trochleæ speciem omnino referat. Admirabile hoc artificium cæteris Anatomicis hactenus nondum innotuit, ac nostro tempore subtilissimi Falopij industria detectum fuit. Alter ex maiore angulo prodiens ad minorem, oculum transuersim amplexatus, inseritur, huncque ad autem obliquè retrahit. *Iucunda sex musculorum nomina.* Iucundioris doctrinæ gratia singulis his musculis singulare nomen attribuemus: primus attollens & superbus dicitur; secundus deprimens & humilis; tertius adducens, legens, & bibitorius, quod in legendo aut bibendo oculos ad nares adducamus; quartus abducens & indignatorius, quod obliquè & toruè molestantes nos intueri faciat; duo obliqui, circumagentes, circulares, amatorii, quod sint velutin amore duces & furtiuos oculorum jactus promovent. *Error antiquorum de septem musculis.* Septimum his omnes ferè Anatomici adiiciunt neruum opticum ambientem, oculumque firmantem ne exorbitet; qui in quadrupedibus tantum, quæ prona terram spectant, reperitur, in homine nunquam quod ipsi natura

---Os sublime dedit, cœlumque videre
---Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Sunt qui existiment eo nomine musculum hunc tam hominibus quàm brutis necessarium esse, vt oculum stabiliat dum attentius quid & fixo, vt aiunt, intuitu contemplamur: verum id tunc fieri assero, vbi fibras suas æqualiter sex musculi intendunt, quemadmodum vbi eas pariter laxant, oculus firmari non potest, sed continuis motibus circumagitur.

Quòd si his rationibus satisfactum aduersariæ parti non est, musculum hunc septimum in sectione mihi declaret, sicque lubens ipsius sententiæ subscribam

---

De sex oculorum tunicis.

C A P. VII.

Cur in oculo tunicæ. OCulus cum esset pellucidus, & naturæ aqueæ, vt humores sua sede continerentur, nec fluitarent, debuit corpore aliquo solidiore firmari: Construxit ergo natura in eum vsum tunicas quæ oculi particulas connectant, humores liminibus suis coërcent, ijsque nutrimentum offerunt. Tunicarum eiusmodi numerus valde est controuersus, sunt qui plures, sunt qui pauciores oculo adscribant. Hippocrates non nisi quatuor agnoscit, Galenus quinque animaduertit, Anatomici huius seculi usque ad nonem numerum extendunt. *Non nisi sex sunt tunicæ.* Ad me quod attinet, postquam accuratè librum naturæ euolui, non nisi sex comperio: candidam seu adnatam, corneam, vueam, araneam, reticularem, vitream: ciliaris quæ dicitur à vitrea dependet, dura verò corneæ portionem constituit, vltima quæ ex musculorum tendinibus conflatur, tunicæ oculi propriæ nomen non meretur; siquidem alioquin membrana communis oculi musculos obtegens eodem gauderet priuilegio. *Prima est alba.* Prima igitur ab omnibus alba seu album oculi aliàs coniunctiua dicitur: præter cætera Græca & Latina nomina quæ ex Anatomico meo opere peti possunt. Fortis hæc est & ab vltimis pericranii oris enascitur, nec totum oculum regit, sed ad circulum tantum fertur, quia diuersitate colorum Iris nuncupatur. *Triplex vsus coniunctiuæ.* Tunicæ huius triplex est usus. primus ne ossium duritie lædatur oculus; secundus vt capiti annectat

ftat oculum ne in violentis motibus exorbitet, tertius vt oculi musculos proprijs sedibus firmet: Secunda tunica Cornea dicitur, quod duritie & pelluciditate cornu prænenè & accuratè politum ac derasum, quali in laternis vsus est, referat: vel quod cornu instar in plures laminas dissoluatur. Dura etiam nominatur à duritie quod que à crassa cerebri menynge ortum ducat. Substantia eius dura est & densa, vt extrinsecus irruentibus injurijs obsistat; non nimium crassa, vt visilium species admittat, & lumen extremum celerius ad crystallinum permeet; omnis alieni coloris expers, quòd cæteroquin omnia visilia eundem referrent, denique omni ex parte læuis, polita, tersa; ad perfectam luminis omissionem: vnde & venulis, arteriolis & neruis destituitur. Quod si tunica hæc inalbescat, vt post vlcera contingit, aut si quis calori intenso oculum propius admoueat, quod Turcæ Mahometi sepulchrum intueri volentibus faciunt, visus omnino perit, vitrum species admittens obscuratur. Triplex eius vsus est: defendit enim humores, eosque circumscribit, & crystallino specilli munia præbet. *Secunda Cornea.* *Vsus Corneæ.*

Tertia est Vnea, vuæ acinum & folliculum referens, quæ & choroides dicitur quod conj instar vasa ferè omnium tunicarum suffulciat; vel quod à tenui membrana quam Choroidem sæpenumero Gal. indigitat, oriatur. Tunica hæc totum oculum vndiquaque ambit, nisi parte anteriore, qua aliquantulum comprimitur, & rotundo ac satis exiguo foramine peruia est, pupilla dicitur, verà oculi fenestra; quâ in suffusione obserata, in perpetuis viuendum est tenebris. Sola hæc inter oculi tunicas variè est colorata anteriore parte nigricans est, vt species vniat interiore cærulea, viridis & variegata; vt fessum humorem crystallinum reficiat & recreet. Vuea crystallino humori, cæterisque oculi partibus singulares exhibet vsus. Primò enim crystallinum defendit, ne cornea lædatur duritie; deinde colore nigro & cæruleo dissipatos spiritus recolligit, & luminis externi splendorem refringit; deniq; reticulari alimentum suggerit, & corneam quæ venis & arterijs caret, nutrit; ideoque mollem & vario genere vasorum refertam construxit natura. *Tertia Vuea.* *Vsus vuea.*

Quarta nunc pater Arachnoides siue Aranea, quod tenuitate telas areanearum repræsentet, ambit crystallinum & inuoluit immediatè, & vniendis ac conseruandis spiritibus, vt in speculo plumbum, inseruit. *Quarta Arachnoides.*

Quinta est reticularis quamplurimis filamentis retis instar intertexta: nascitur à medullari optici nerui substantia dilatata, vnde in aquam coniecta candida, mollis; & velut medullosa comparet. diffundit hæc per crystallinum & vniuersum oculum visiles spiritus, & visilium spectra ad neruum opticum hincque ad cerebrum velut iudicem defert. *5. Reticularis.* *Eius vsus.*

Postrema tunica veteribus incognita vitrea dicitur, quod vitreum humorem omni ex parte ambiat, in cuius medio ciliare interstitium apparet cilij figuram exhibens, videtur id aliud nil esse nisi exiguæ venæ sanguinem humori vitreo deferentes, vt cum crystallino dealbet ac præparet. *6 Vitrea.*

CAP. VIII.

De tribus oculorum humoribus, deq; crystallini nobilitate & elegantia.

DE tectis sublarisq; tunicis, in apertum se profert pretiosissimus oculi thesaurus, crystallinus humor, quouis adamante nobilior, quauis gemma Orientali illustrior, humor scilicet ille qui princeps est visionis organum; anima oculi, specillum interius, quiq; solus à coloribus alteratur & visilium spectra recipit. In hoc luminis interioris exteriorisque concursus fit: huic tanquam principi, quæ in oculo sunt, singulæ partes famulantur. Nam cornea vitri instar est, pupilla fenestræ vices gerit, vnea viridarij amœnissimi in quo se defatigatus recreet, aranea plumbi, vt species retineat; Humor aqueus est propugnaculum externi luminis splendorem infringit, & velut medium est delusionis imaginum; vitreus coqui instar, alimentum præparat, candoreque imbuit. Neruus opticus à cerebro facultatem videndi deferens, quæque crystallinus percipit eidem continuo reuehens nuncium repræsentat: musculi equos exprimunt, crystallinum, totumque oculum sursum deorsum, ad dextram læuamq; versantes. Est itaq; princeps oculi pars, cuius historiam exponere jam aggredior, si prius humorem aqueum, qui primus sese in conspectum dat, descripsero. *Crystallini excellentia.* *Quopacto reliquæ oculi partes crystallino famulentur.*

Constat inter Anatomicos tres oculi humores esse, aqueum, crystallinum & vitreum. Aqueus siue albugineus sic dictus est, quod tenuitate & puritate aquam vel oui candidum referat. Hunc natura ante crystallinum constituit, vt sit eius propugnaculum, ne circumdantium membranarum duritie lædatur; tum vt externi luminis splendor affatim occurrens quodammodo infringatur, & cum interno lumine consuescat externum; est enim velut medium quoddam delationis imaginum. Et quemadmodum pulmo aëtem externum primum suscipit, cordiq; familiarem reddit: ita humor aqueus lumen exterius appellens alterat, & interiori familiare efficit. Quin & crystallinum perpetuo irrigat albugineus humor: siccus *Humoris aquei descriptio.* *Cur aqueus humor ante crystallinum.*

 enim

enim cum ille sit nisi huius madore imbueretur, species nequaquam reciperet. Adde quod ocularium instar simulachra ad crystallinum defert; prohibetque ne visiles spiritus natura sua sibi sursum rectaque exitum molientes effluant. Separat denique vueam à crystallino & corneam perpetuo distendit, qua corrugata & in se concidente perit videndi actio. Cum itaque tot perfectionibus insignitus sit aqueus humor, verisimile non est crystallini eum excrementum esse vt Arabum principi Auicennæ placuit. Ego spermaticam, viuentem, & instar crystallini progenitam particulam æstimo, cui quantitas definita est, situs determinatus, & duabus membranis à crystallino separatur, semelque deperdita nunquam restauratur videndique functionem penitus abolet.

Humor aqueus vera corporis pars est.

Crystallini descriptio.

Sequitur crystallinus humor glacialis & crystalli modo pellucidus. hic animæ speculum est vbi rerum imagines suscipiuntur & vtrumque lumen, internum externumque vnitur. à crystallino specillorum vsum prodijsse censent, quod in charta depictis characteribus impositus duplo maiores quam sint repræsentet. Humoris huius substantia tota est aquea, non diffluens tamen qualis vitrei aut albuginei, sed densa & crystalli modo concreta, vt figi ac sisti in eo simulacra queant; pellucida, vt vernaculi luminis externo fulgori similis familiarisque fit; coloris alieni expers, vt colorum omnium species indifferenter excipiat. Nam si crystallinus viridi, rubro, aut citrino colore imbutus esset omnia obiecta eodem colore tincta apparerent. Prouidentiam naturæ hic mirari subit, quæ crystallinum humorem non vt alias corporis particulas sua sanguine nutriri voluit, ne scilicet per hunc rubore inficeretur, sed vitreum humorem adiunxit qui ei instar sanguinem præparat, eumque albedine donat: Figuram obtinuit rotundam, sed non planè globosam; qui accuratius contemplabitur vtraque parte depressam ad lentis aut disci similitudinem comperiet, vnde Græcis φακοειδῆ & δισκοειδῆ nuncupatur.

Eius substantia.

Quare crystallinus sanguine non nutriatur.

Eius figura.

Forma hac ideo donatum esse censeo, ne hinc atque illinc flueret, & in violentis motibus à propria sede exturbaretur: siquidem corpora exactè rotunda quasi proprio cientur motu, quem etiam sistere nequeunt, cum non nisi vnico puncto innitantur. Situs est ferè in medio oculi, velut in centro, vt vtrumque lumen & internum & externum facilè admittat; anteriore parte annectitur albugineo, posteriore vitreo veluti innatat: tunica tegitur propria eaque tenuissima aranea dicta.

Situs crystallini.

Vltimum humorem vitreum vocant, quod colore & consistentia vitro fuso sit similis. Primarius eius vsus est, vt crystallino alimentum præparet, non quidem vt Auicenna censuit, quod vitrei substantia crystallinum nutriat, nulla enim pars alteri in nutrimentum cedere potest, sed quod sanguinem disponat, apparet, & albo colore imbuat. Crystallinum quinetiam conseruat, ne membranarum duritie afficiatur, & visiles spiritus ad ipsius illustrationem continet. Quantitatem obtinet cæteris longe maiorem, tegitur propria tunica quam veterum non agnouit industria.

Humor vitreus.

CAP. IX.

De neruis, venis, arterijs cæterisq́ oculi partibus.

Neruus opticus.

Eius origo.

SVpersunt examinanda duo neruorum paria, aliæque exiguæ oculi particulæ. Primum par nerui optici nomine insigniunt, qui spiritum animalem & lumen interius crystallino offert. Neruus hic nequaquam originem suam ducit ab anterioribus cerebri ventriculis ut Arabum opinio fert, neque ex medio basis quod Græcis placuit placetque adhuc hodie Anatomicis nostræ ætatis omnibus, sed à parte cerebri posteriore, vbi cerebrum cerebello vnitur. Obseruatio hæc noua est, sed verissima, cui frequens in sectionibus à me facta diligens animaduersio fidem facit. Opticus ergo hinc exortus vbi dimidium sui processus confecit, alteri optico velut consodali suo vnitur, non per intersectionem, vt vulgaris est vulgi opinio, nec per contactum simplicem, sed per medullæ confusionem, vt alterum ab altero nulla arte secernere queas. Coire autem debuerunt nerui optici, tum ad robur, ne ob mollitiem longum iter perferrantes flauescerent, tum vt eandem planitiem in pupilla obseruarent; secederent enim aliquando sine eo amplexu, atq; ita delusi oculi simplex obiectum duplex iudicarent; tum vt visilium formæ & spectra vnirentur; tum vt commodè per foramen è caluaria procederent, & ad oculos recta ferri possent; postremo vt visilis spiritus ab altero oculo in alterum momento permearet ad visus perfectionem; sicenim clauso alterutro oculo acutius videmus. Ita ergo confusi optici & coëuntes, mox separantur & per caluariæ foramen in oculi centrum feruntur; interior quidem eorum substantia mollis ac medullosa dilatatur & reticularem tunicam constituit, exterior verò in vueam & corneam absumitur. Hos neruos Galenus Herophilus, cæterique Anatomici ferè omnes Cauos censuerunt, verum porosi solummodo sunt, neque sensilis & conspicua cauitas in ijs obseruatur. Secundum neruorum par oculos mouet: ab hoc ramuli emergunt quam plurimi mira elegantia in musculos singulos diuaricandi.

Cur optici nerui sibi vniantur.

Prima ratio. Secunda.

Tertia.

Insertio optici.

Nerui motus.

Venæ & arteriæ.

Sunt etiam in oculis venæ & arteriæ quam plurimæ vitam & nutrimentum eisdem impertientes; illæ à jugularibus, hæ à carotidibus oriuntur.

Copio-

Copioſus adeps oculos oblinit; ne in perpetuis motibus æſtuarent & ſiccarentur, tum vt eos ab ambientis fr gore tutaretur; vnde fit vt nunquam rigeant oculi. *Adeps.*

Glandulæ demum in oculi angulis ſitæ eos irrigant, & vt exig ıæ ſpongiæ humorem à cerebro defluentem imbibunt. *Glandulæ.*

CAP. X.

Qua ratione viſio fiat; an emittendo vel recipiendo.

VIdeor mihi artificium oculi ſingularumque eius partium accuratè expreſſiſſe; contemplemur nunc quanam ratione actionem ſuam viſionem ſc. exerceat. Vnanimis eſt Philoſophorum conſenſus, tria ad viſus perfectionem requiri; organum quod eſt oculus, obiectum quod color; & medium illuminatum; quod eſt aër, ſiue aqua; aut quoduis aliud corpus diaphanum: verum vbi trium horum coniunctio, & actionis viſibilis, ſenſibilium omnium celerrimæ & maximè viuæ ratio perquiritur, in varias omninò diſtrahuntur ſententias, & multiplici inter ſe contentione digladiuntur; hinc qui exiſtiment, radios ab oculis exire ad rem aſpectabilem pertingentes, eorumque beneficio eam videri: alij obiectum ad oculos deferri ne quidquam ab his promanare contendunt: illi ſola emiſſione, hi receptione viſionem fieri opinantur. Plato primæ ſectæ caput & autor allegatur: Primarium cui innititur fundamentum eſt, quòd oculus lumine plenus ſit; & naturæ ignis. non eius quidem qui ſimul vrit & lucet, neque eius qui vrit & non lucet, ſed qui lucet & non vrit, verum illuminando ſuauiter diem inuehit mundo, vt eſt ætherens & cœleſtis. Fundamentum hoc veritatis adminiculis quibuſdam fulciri videtur. Oculus dum torquetur, ignis & fulgoris ſpeciem prodit, & in tenebris fricatus micat, ardet etiam ira flagrantibus:

Tria ad viſum neceſſaria.

Plato viſionem per emiſſionem fieri opinatur.

Fundamentum huius opinionis.

De Tiberio Cæſare narrat Plinius ſolo aſpectu viuo & ſcintillanti attonitos reddidiſſe milites. Scribit Ariſtoteles Antiphonti cuidam, propriam effigiem perpetuo aduerſari ſolitam, per reflectionem radiorum ex oculis promanantium. Galenus memorat accidiſſe cuidam militi per multas noctes ante cæcitatis infelicitatem vt copioſum lumen ab oculis exire viderit: nonne & luporum ac felium oculos noctu coruſcare aduertimus? Præterea igneos eſſe oculos hæc demonſtrant, quia agiles ſunt & mobiles valde, pellucidi, figuræ pyramidalis, neque vnquam rigeſcunt, licet diutiſſimè frigori exponantur. Demum, organo cum obiecto analogia quædam intercedat neceſſe eſt; obiectum viſus color eſt, quem flammam à ſingulis corporibus manantem veteres definierunt; decet itaque eiuſdem naturæ organum conſtitui. Quod ſi ita eſt (ſi ſc: oculus flammis radijsque coruſcantibus datus eſt) viſionem emiſſione fieri conſectaneum eſt. Quæ quidem ſententia veterum non leui authoritate firmatur Pythagoræ inprimis, Empedoclis, Hipparchi, Democriti; Leucippi, Epicuri, Chryſippi, Platonis omniumque fere Opticorum. Sed quibus ad hanc rationum munimentis permoti ſint recenſeamus.

Rationes quibus oculi natura ignea aſſeritur.

Baſiliſcus aſpectu hominem inficit: mulierum, quæ ſtato menſium tempore purgantur, ſpiritus & vapor ab oculis emiſſus ſpecula atque eboris nitorem obſcurat; fertur præueniens lupi aſpectus raucedinem inducere; Veteres cenſuerunt veneficos aſpectu faſcinare, hinc illud Poëtæ.

Rationes quibus viſionem per emiſſionem fieri aſſeritur. Prima.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Quòd ſi ophtalmicum, cui æger oculus nimio rubore ſuffuſus eſt, attentiùs intuearis, ſtatim mali contagione prehenderis, quod luculenter demonſtrat aliquid in aſpectu ex oculo defluere. Cur excellens albedo viſui officit niſi quod radios ab oculo promanantes diſſipat? *Secunda.* Cur diutius intuendo laſſatur oculus, niſi quod nimium luminis effunditur tandemque ſpiritus omnes euaneſcunt? Cur vt acutiùs aut longius videamus admota manu coanguſtamus *Tertia.* pupillam? an non vt radij & ſpiritus egredientes magis vniantur? Feles nonne nocturno *Quarta.* tempore venationi operam dant? itaque radios quoſdam emittant neceſſe eſt. Præterea ſi vi- *Quinta. Sexta.* ſio non fieret per emiſſionem, non oporteret oculum conuerti ad rem obiectam, & non intuentes videremus. Si fieret viſio ſola receptione, oculi maiores, quia facilius recipiunt acuti- *Septima.* ùs cernerent, pupillæ maiores minoribus præſtarent, quod abſonum eſt, & à veritate prorſus alienum: æqualiter intueremur grande & exile, propinquum & remotum obiectum, ſi vniuerſæ ſpecies per aërem diffuſæ ſunt. Intuere (aiunt Optici) acumen acus, in cœlum vergens *Octaua.* id ſanè primo aſpectu non deprehendes, niſi oculum hinc inde obuertas, vt radius aliquis, ex oculo prolapſus rem exiguam deprehendat: pari ratione minimum aliquod obiectum in terram depoſitum nequaquam primo ſtatim intuitu deprehenditur.

Denique ſi viſio per receptionem fieret, contrariæ ſpecies ſimul & ſemel in eodem ſuſcipe- *Nona.* rentur, quod legibus naturæ repugnat, neque adeo paruus exiſtens oculus ſimul quantitatem & figuram maiorum montium comprehenderet. itaque per emiſſionem aſpectum viſionem ue fieri neceſſe eſt. Hæc munimenta pro hac parte firmanda Optici adferunt: videamus

quibus

quibus machinis aduersa pars instructa in campum prodeat. Huius caput & antesignanus est *Contraria opinio eorum qui censent visionem per receptionem fieri.* Aristoteles quem omnis Peripateticorum sectatur exercitus, Alexander inprimis, Auerroes, Themistius potissima ducunt agmina; sequuntur hos innumeri alij. Volunt hi visionem sola receptione fieri, nihil scilicet visui deseruiens ex oculo promanare, sed obiectum siue eius speciem ad oculum deferri. Fundamentis innituntur aduersæ partis rationibus è diametro oppositis: Plato enim igneum statuit oculum, Aristoteles aqueum, demonstratione ductus eleganti, quam declarare aggredior. Debet visionis organum esse diaphanum vt sit inter *Demonstratio elegans oculum merè aqueum esse.* obiectum & organum, interagens & patiens quædam analogia. Axioma hoc est in naturali philosophia definitum. Pellucidorum corporum alia sunt rara, alia densa. oculus diaphanus & rarus esse non potest, quia species quidem susciperet facilè, sed non retineret: sic aër speciem est plenus, verum effluunt statim, nec in eo videntur ob raritatem; quinimo nec in vitro, nec in speculo imagines cernere licet, nisi plumbo, aut densiore aliquo corpore retineantur. Vt ergo visilium species in oculo seruentur, diaphano & denso corpore opus est. Tale autem est aqua, nam ignis & aër diaphana sunt & rara. Ergo visionis organum aqueum *Alia demonstratio.* est. Demonstrationem hanc confirmat alia cui contradici non potest: Princeps oculi pars est humor crystallinus totus glacialis idem vitreo humori immergitur, & anteriore parte humorem habet aqueum propugnaculi instar. Quod si lædatur aut vulneretur oculus, quicquid ab eo effluit aqueum est. Iacto hoc fundamento facilè est reliquam superaddere structuram, atque eo quod humidi proprium sit recipere, visionem receptione fieri, certâ ratione stabilite. Quibus hæc sententia momentis fulciatur accipe. Sensio omnis cum sit passio, sola *Visionem per receptionem fieri.* receptione fieri debet, non autem emissione quæ actio est: sic auditus soni, odoratus odorum, gustus saporum, tactus qualitatum tractabilium sola receptione fiunt: & cur hanc ocu- *Prima Ratio.* lo denegandam censebimus? Qui humidiores habent oculos, inquit Aristoteles, semper ob- *Secunda.* iecta maiora quam sint, conspiciunt, quia spectra ab humiditate crassiora redduntur, vnde in aquis maiora omnia comparent.

Tertia. Excellens visile destruit sensum, vt insignis albedo visum perstringit: violenter itaque suscipitur. Quæstionem proponit Aristot. in problematis huic instituto apprimè seruientem, *Quarta.* cur manus dextra perfectius operetur, oculi verò & aures æqualiter videant, audiantque: Respondet facultatem manus mouendi actione exerceri, videndi verò & audiendi, passione: at *Quinta.* vterque sensus, & vtrumque organum æquè patitur. Senes remota obiecta melius vident quam proxima; non ratione luminis, radiorum, & spirituum ab oculis exeuntium, exigui enim sunt, impuri, & tenebrosi; sed quia species à distantissimo obiecto manans tenuior redditur, magis- *Sexta.* que spiritalis & ad receptionem aptior. Stellæ minutissimæ in hyemali serenitate conspiciuntur, non æstiua; quia hyeme earum stellarum species in aëre crassiori receptæ terminantur & multiplicantur, æstate verò ob aëris raritatem, terminatiuè (vt vocabulis vtar scholasticis) *Septima.* recipi non queunt, nec multiplicari. Demum oculus se speculi instar habet, quod obiectas imagines omnes recipit, neque quidquam ad rem repræsentatam transmittit. Vnico hoc discrimine seiunguntur, quod speculum imagines suo iudici offerre nequeat, oculus verò mediante neruo optico easdem sensui communi transmittat. Ecce instructas vtrimque acies, quas cum Galeno componere desiderarem, si vlla veri similitudo se offertet: Sed veritas contraria sustinere nequit. Itaque ad fortiores signa transferam, & cum Aristotele asseuerabo visionem *Authoris sententia.* sola receptione fieri, nihilque ab oculo ad rem visilem emitti, quod visioni inseruiat. Pro primo pugnæ impetu educam rationem quam viribus haud sanè leuibus niti existimo. Si ex ocu- *Elegans contra Platonicos demonstratio.* lo quid ad perficiendam visionem promanat, aut corpus est subtile admodum spiritus animalis instar, aut radius solummodo: si corpus est, qui potest momento temporis ad cœlum usque transferri, cum omne corpus in tempore moueatur, visio verò in instanti perficiatur? Corpus id quomodo ventorum impetus sustineat, quo minus ab iis dissiperur antequam ad obiectum pertingat? Præterea dū ex oculo promanat, vel aërem penetrat, vel eidem exeunti aër cedit; penetrare non potest, cum natura penetrationem corporum non minus quàm vacuum horreat; neque verò aër etiam cedere, siquidem hac ratione nunquam fieret visio: non enim fieret radii illius continuatio cum oculo, sed inter radium & oculum sese interponeret aër. Quod si ad euitandos rationis huius solidos impetus opponas, id quod ex oculo defluit radium esse, *Quod ex oculo egreditur radius esse non potest.* aut lumen, quod momento temporis per omne medium diffunditur, haud secus atque lumen solis, quod vniuersum aërem uno instanti collustrat, arctius te constringam, & luculenter demonstrabo oculum nequaquam ea luminis copia præditum esse quæ ad cælum usque extendi possit. Videsne facem non nisi ad certam distantiam, quæque eius lumini proportione respondeat, radios diffundere? candela vniversam aliquam aulam collustrare nequit, & tum adeò exiguo organo adscribas quod vnico momento ad cœlum usque radios transmittat? Soli quidem terra maiori facile est radios suos momento temporis uniuerso mundo impertiri, non pariter tamen oculo. Nihil itaque ex oculo ad obiectum usque diffunditur. Ad hæc si radii ex oculo egredientes visionis causa sunt, necesse est ut vel oculum versus redeant, vel in via subsistant

sistant & obliterentur. Si non redeunt speciem eius quod attingunt referre nequeunt; si revertuntur, nullum aliud nisi politum corpus aspectabile erit, quoniam non nisi ab his luminis reflexio accidit, atque adeo mons aliquis ingens sub aspectum non cadet. Denique si radij eiusmodi visioni subserviunt, aut specierum multitudine onusti, aut vacui revertuntur. Si hoc, visio neutiquam fiet; si illud, idipsum quod intendimus ab aduersa parte asseueratur, fitque visio receptione. Ad fundamenta Platonicorum quod attinet, eorum vim infringere cuiuis procliue est, lucere oculos, & sæpe illis splendorem emicare fateor; verum non ratione ignis, sed ob pelluciditatem, planiciem, ac leuitatem crystallini, ac tunicarum: quæcunque enim læuia sunt & tersa, micant eadem in tenebris vt cornu. Neque subita oculi actio eiusdem ue agilitas igneum esse conuincunt. agunt enim in instanti, quia species recipiunt incorporeas & immateriales per totum aërem productas; neque difficile est sex musculis validissimis per exiguum membrum mouere. Non rigent oculi, quoniam (vt docet Aristoteles in Problematis) adipe copioso circumfusi sunt, qui vestium instar per accidens calorem adauget, aut quia continuis circumaguntur motibus. Quapropter nullum in oculo ignem sed aquam, crystallum, aut nitrum, deprehendes. Rationes quas allegant, leues sunt, facilique negocio refelluntur. Basiliscus & ophtalmicus non inficiunt radijs ex oculis promicantibus, sed subtili quodam & venenato vapore è toto corpore, sine oculo promanante. Quod de lupo obijcitur, risu excipiendum est. Fascinari naturaliter solo aspectu fieri non potest. Excellens albedo visum destruit quod spirituum copiam eliciat, quorum tamen est oculum intra officij sui limites continere. Fatigatur videndo oculus ex vi & conatu, quem adhibet facultas ad firmandum oculum. Pupillam angustamus si remotius quid intueri animus sit ne ab externo lumine interni spiritus dissipentur. Debet conuerti oculus ad obiectum visile, quia non fit visio nisi per rectam lineam. Oculi prægrandes & laxiores pupillæ acutum non vident, quod spiritus facilè euoluantur, qui ad receptionem sunt necessarij. Non percipitur acies acus, quia non est proportionatum obiectum. Recipiuntur in oculo simul & semel duo contraria, vt & montes magnitudine insignes, verùm non nisi per speciem immaterialem & incorpoream. Ex his cuilibet planum & apertum sit visionem non emissione, sed sola receptione fieri.

Fundamenta Platonicorũ. *Respondetur rationibus Platonicorum.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua & Nona.*

Huius autem receptionis natura obscurissima est, & multis difficultatum inuolucris implicita: Quæ vt omnibus innotescat, quatuor inquirenda sunt: primùm quid recipiatur: secundò vbi, id est, in qua oculi parte fiat receptio: tertiò quando: postremò quomodo. Quod ad primum spectat, diuersas authorum sententias reperio. Democritus & Leucippus atomos recipi credunt: Epicurus obiecti visiles radios: Alexander peripateticus imaginem rei non tanquam in subiecto, sed velut in speculo. Aristoteles nos speciem recipere asserit, quæ in medio & organo producitur & multiplicatur per simplicem emanationem vt è sole prodit lumen, ex corpore vmbra. Opinio hæc veritati maximè conformis est, sed inuolucris nonnullis tecta. neque enim cuiuis obuium est quid species obiecti sit, quæque eius productionis ratio sit. Species hæc non in intellectu solum existit, neque Ens rationis est, vt scholæ vocant, sed ens reale in aëre atque organo subsistens. Quod si ens reale est, necessariò aut in substantiæ aut accidentium classe computabitur. Substantijs adnumerari nequit, siquidem obiecto suo quod est color nobilior esset. Accidens itaque est. Sed quodnam? an quantitas? nequaquam? ita enim dimensionum penetratio daretur. Neque verò relationem nuncupare audemus, cùm hæc actiua non sit, speciei tamen beneficia videamus. multò minus ad actionis classem referemus. Erit ergo qualitas, incorporea, immaterialis, indiuidua, intentionalem dicunt Philosophi, quæ immediatè ab obiecto, vt à corpore vmbra dimanat? & per totum aërem multiplicatur: cùm enim subtilis & humidus sit aër formas omnes facilè recipit, susceptaque speciei parte integrum obiectum repræsentat. Species hæc non videtur, sed est id quod videmus, solum obiectum cernitur. Verum quæret hic fortasse quispiam, si species quæ recipitur immaterialis est, quomodo afficit visum disgregando an congregando spiritus? album siquidem dissipat visum, nigrum verò eundem vnit. Respondeo non à specie oculum affici, sed à colore, quatenus magis & minus est luminosus. Luminosa enim omnia visum dissipant, quia aerei & lucidissimi spiritus nostri in lucem sibi consocialem abeunt eique junguntur, qui tamen tenebras & obscura intuentes velut hoste conspecto refugiunt. Nihil itaque nisi species materialis recipitur, ideoque in instanti visio perficitur non in tempore, quod cæteris sensibus natura attribuit. Videamus nunc in qua oculi parte specierum fiat receptio. Sunt qui in cerebri substantia recipi velint species, quia sensus communis sedes est, omnisque à cerebro sensus proficiscitur. Auicenna in opticorum coitu species recipi vult, & ideo obiectum vnicum apparere scribit, quia in eo coitu vniuntur visilium species alij in tunica arachnoide omni speculo læuiore & tersiore.

Modus receptionis ostenditur. *Quid sit quod ab oculo recipitur.* *Non nisi speciem recipimus.* *Quid sit species obiecti.* *Quæstio.* *Responsio.* *In qua oculi parte species recipiatur.*

Nos cum Aristotele, Galeno, & ipsa veritate in crystallino recipi species existimamus, quia nobilissima est oculi pars, substantiam à cæteris particulis differentem obtinens, sita in medio organi velut in centro, vbi duo lumina gratissima societate copulantur, exterius per pupillam

veluti

veluti fenestram subiens, & interius nerui optici ministerio adductum. Si tamen eos omnes conciliare velis, dic, receptionem in crystallino fieri, refractionem in tunicis, perfectionem in coitu opticorum, perceptionem in cerebro. Prolixam hanc disputationem claudemus asserendo visionem fieri receptione solum non emissione, crystallinum humorem (Princeps visionis organum non nisi species recipere, quæ velut obiectorum visilium umbræ per aërem medium multiplicatæ momento temporis lineis rectis susceptantur.

Modus verus quo fit visio.

Processi in exiguo hoc de oculo discursu ultra limites propositæ mihi breuitatis quod singulari quorundam rogatu imperioque accidit.

CAP. XI.

Quot modis lædatur visio.

QVicquid hactenus de visus excellentia, eleganti oculi artificio, singulisque eius partibus in medium attulimus præterquam quod naturæ indagatoribus oblectationi sit, non parum commodi afferet ijs quibus oculorum morbos indagare, eorumque curam suscipere constitutum est. Siquidem indubitatum Medicinæ principium est ea quæ præter naturam particulæ accidunt cognosci non posse, ni prius, vt ipsa se secundum naturam habeat, cognitum perspectumque sit. Rectum (vt ait Arist. prima de anima) regula est sui & obliqui. Quare necesse est, vt naturam oculi, quæque ad eius actionem requiruntur exactè teneat Medicus, si læsæ visionis species indagare decreuit. Omnis actio (vt Galenus varijs in locis innuit) tribus modis læditur, aut enim aufertur, aut diminuitur, aut deprauatur. Tria hæc vitia visioni accidunt; diminutio senibus est familiaris, deprauatio fit dum obiectum aliter quam est, aspectui se offert priuatio cæcitatis nomen sortitur. Debilitatur visio aut facultatis vitio, aut mala organi dispositione. Facultas, siue illa animæ potentia qua videmus in cerebro sita est. Si itaque cerebrum à naturali temperie deflectit, excessumue frigoris aut caloris, humiditatis vel siccitatis patitur; Siue etiam conformatio à naturæ præscripto exorbitat in sensus omnes singularis actionis diminutio redundabit, maximè verò in visum, quod is cerebro vicinior sit & mirabili cum ipso sympathia conspiret. Vitiosa oculi compositio siue structura sæpe integra facultate visionem debilitat. Quod structuræ defectus, modò in toto oculi corpore reperitur, modò in ipsius particulis, vt tunicis, humoribus, musculis, spiritibus, neruis, venis, arterijs, quibus singulis sua sigillatim vitia capite sequenti adscribentur.

Quot modis actio aliqua lædi possit.

Quo pacto visus debilitetur.

Deprauatur visio, dum obiectum diuerso quam obtinet, colore, forma, aut situ offertur, veluti dum id quod album est rubrum vel citrinum apparet, quod eiusmodi colore organum infectum sit; sic omnia flaue scunt ictericis, aut dum id quod stabile fixumque est, moueri videtur, vt in vertigine ob vitiosum & exorbitantem spirituum motum; aut dum obiectum simplex duplici se offert specie.

Quomodo deprauetur.

Accidunt hæc aut organi vitio, aut sibi non conueniente obiecti, vel radiorum, si oculi in æquali non sunt situ, & alter elatior, depressior alter siue à paralysi, siue à conuulsione extitit, duplicia omnia conspiciuntur, Neruus opticus alteruter humiditate nimia imbutus, ideoque laxior duplicem similiter reddit aspectum, quod mero largiore madidis contingit. Quòd si oculum vnum, altero intacto, digito premas omnia obiecta duplicia se offerent. Situs itaque organi deprauationis eiusmodi princeps est causa. Secunda est situs obiecti. Si baculum in gyrum celeriter circumagas, circulum esse iudicabis, si extendas lineam continuam idque ob subitam situs obiecti mutationem, quodque posterior imago priori antequam hæc ipsa verè oblitteretur succedat, eius que locum occupet. Vltima causa ad diuersum radiorum situm refertur, vnde si contemplaris faciem in speculo diuiso, duplex illa comparebit.

Priuatio visus.

Priuatio visus cæcitas nuncupata adscribitur aut siccitati humorum, aut impedimento quod lumini vel interno, vel externo, quo minus coëant, & in crystallino vniantur, obiicitur. Internum lumen quod spiritus animalis est, impeditur obstructione nerui optici diciturque gutta serena, externum, suffusione, pupillam crystallini fenestram, obfirmante. Visus itaque tribus hisce modis offenditur.

CAP. XII.

Oculi morborum breuis enumeratio.

PRopositum quidem mihi non est sigillatim & exactè oculi morbos percensere, siquidem tractatus hic in centum capita excresceret, cùm tot penè sint oculi particulares affectus: sufficiet mihi methodum aliquam pro iunioribus Medicis & Chirurgis quibus hoc addixi capitulum, inuestigare. Itaque quæ in oculis nascuntur vitia vel ad totum oculum, vel ad eius duntaxat partes attinent: Quæ ad totum spectant oculum similaria sunt organi, a, vel communia.

Morborum oculi diuisio.

Simila

Similaria sunt intemperies humida, sicca, calida, frigida, eaq; simplex vel composita, cum, vel sine materia. Organica vel in vitiosa conformatione vt in magnitudine excedere vel deficiente, aut in situ consistunt. Vitiosum in magnitudine exorbitante bouis oculus siue oculi prominentia dicitur; lædit hic actiones oculi, quoniam visio non ita est perspicax ob nimiam spirituum dissipationem, neque ita expeditè mouetur; magnitudo hæc exuperans oritur vel ex errore primæ conformationis, aut ex accidenti, vt à tumore ædematoso, inflammatione, aut graui aliqua & cum impetu proruxente defluxione. Affectus huic contrarius est diminuta oculi magnitudo, vel naturæ errato obtingens, diciturque vulgo Gallico, oculus porcelli, vel ex accidenti ut natiui caloris dissipatione per extremos dolores, vigilias, acres destillationes, aut febrem continuam facta: adeo vt oculus, quacunque tandem ratione vires ei decedant, neque alimentum attrahat, neque etiam, si id redundet, conficere id & ad sui nutricatum insumere possit; nominatur hic morbus atrophia siue extenuatio oculi.

Morbi qui totum oculũ attingunt.
Magnitudo excessiua oculi.
Oculi paruitas.

Vitium in situ est dum oculus extra locum à natura præfixum exprimitur aut omnino decidit, diciturque ἐκπιεσμός siue expressio oculi. Auicenna obseruat duplici ex causa hoc proficisci, externa scilicet; vt ictu, casu, visu violento, vomitu, valida expiratione; aut interna, vt ex præcipiti fluxione, musculos atque omne oculi corpus relaxante; inflammatione insigni, vel alterius generis tumore.

Oculus prominens.

Morbus communis est vnitas soluta, quæ rupto oculo apparet, aut humoribus omnibus inuicem confusis.

Solutio continuitatis.

Atquæ hæc sunt totius oculi vitia, siquidem nyctalopia, myopiasis, & amblyopia non totius oculi, sed spirituum & humorum symptomata sunt.

Affectus oculi particulares pro partium diuersitate, varii. Cum ergo in oculo humores, tunicas neruos & musculos obseruauerimus, suus cuique parti morbus erit attribuendus. Ordiar ab humorum vitijs, quod ij dignitate cæteris oculi partibus præemineant; sicque Galeni in libro de causis symptomatum vestigijs insistam.

Morbi particulares oculi.

Humorem crystallinum morbi omne genus obsidet, sed maximè intemperies sicca, & dum è propria sede dimouetur. Intemperies sicca producit symptoma, Græcis γλαύκωμα dictum, in quo ex siccitate & concretione crystallini natiuum colorem in glaucum aut fuscum transmutat. Hippocrates tertio Aphorismi, non nisi senibus accidere annotat. Vitium quidem rarum, at certè immedicabile, quòd humorum substantiam immutet. Crystallinus è propria sede variè dimouetur, scilicet sursum, deorsum, ad alterutrum angulum, intus & foras: quacunque tamen ratione accidat, visui officit: si nimirum reconditus est; propinqua intueri nequit; si prominet, distantia; si ad dextram aut sinistram inflexus, omnia obliquè aspectui se offerunt; si sursum aut deorsum vergit, quæcunque cernuntur, gemina apparent.

Morbi crystallini.
Quid causet crystallini è proprio loco recessus.

Aqueus humor cum & ipse sit oculi pars, suos etiam morbos obtinet. Siquidem nimium resiccatus, vt in suffusione frequenter accidit, cernendi facultatem omnem abolet: quod si in quantitate deficiat, crystallinus arescit, vuea flauescit, cornea desidet, lumen externum non reflectitur. Vitreo humori particulares morbos non assignant authores, verum censeo eosdem perpeti posse quos in temperie substantia, & quantitate, aqueo humori adscripsimus.

Morbi humoris aquei.

Tunicæ oculum componentes sex sunt, verùm non nisi in tribus speciales morbi deprehenduntur, nimirum in coniunctiva, cornea, & vuea, in arachnoide reticulari & vitrea nullum defectum particularem veterum monumenta attribuerunt.

Morbi tunicarum.

Morbi coniunctiuæ particulares tres sunt, ophtalmia, vnguis siue πτερύγιον, & liuor siue sugillatio, Ophtalmia est inflammatio oculi album obsidens. Hęc interdũ adeo leuis est vt sponte sanescat; Græcis τάραξις dicitur. Oritur eiusmodi affectus à causis potissimũ externis, fumo, vento, sole, puluere aëre sereno, & vaporoso, cæparum odore, auctam hanc inflammationem ophtalmiam dicimus. quòd si hac ingrauescente album oculi rubescens vsque adeò tumeat, & increscat, vt nigro sublimius euadat, ipsumque ferè contegat, χήμωσις appellatur. Variat sæpenumero ophtalmia, vnde biliosa pituitosa, melancholica nuncupatur: Galenus siccam & humidam recenset: Hippocrates symptomaticam & criticam: Trallianus tabidam & non tabidam, malignam, quæ peste grassante deprehenditur, & non malignam, continuam & periodicam. Alter affectus πτερύγιον, nominatur, estque neruosa, dura & albicans membranula ex maiori angulo sese obtendens, & plerunque pupillam contegens, ideoque à forma, unguis oculi indigitatur. succedit frequenter ophtalmiæ malè curatæ & pruritu, exiguo rubore ac lacrymis dignoscitur. Differentias sortitur à calore, connexione, substantia & quantitate.

Morbi coniunctiuæ.
Ophtalmia.
Aspectus sereni.
Vnguis.

Ratione coloris dicimus pterygion album, rubrum, subflauum: ratione connexionis aliud tenaciter adhæret, aliud promptè facileque separatur: substantiæ respectu appellamus crassum vel tenue, molle vel durum, membranosum quod membranam refert, ad ipsum pinguedinem exprimens, varicosum quod instar retis numeroso venarum & arteriarum contextu absoluitur: Quantitas vltimam facit differentiam, vnde exiguæ reperiuntur quæ album oculi non tran-

ſcendunt, maiores ad pupillam vſque protenduntur, & viſioni plurimùm officiunt. Poſtremus
Latro ſiue peſtis oculi. coniunctiuæ affectus eſt ὑπόσφαγμα nigredo ſeu liuor oculi. Paulus & Aetius definiunt malum, in quo propter ictum quendam fractis aut contuſis vaſis intra tunicas oculorum adnatam & corneam ſanguis coaceruatur, efficiens ut rubor in ſingulis rebus obiectis eluceſcat: Cauſa eius vt plurimum eſt externa, ſc. ictus aut caſus, rarius interna nimirum vaſorum repletio, & ſanguinis tenuitas: Sunt & alia vitia vt puſtulæ, ſugillata, cicatrices, ſed quæ adnatam & corneam ſimul infeſtent.
Morbi corneæ.

Puſtula. Vitia corneæ membranæ ſunt, puſtulæ, ulcera communia, maligna & cancroſa, ſanies retenta, ὑπόπιον dicta, cicatrix, ruptum. Puſtulæ dicuntur φλύκταιναι Græcis, Arabibus Bother; ſuntque exiguæ veſicæ ab humore ſubtili & ſeroſo ortæ, qui ſe intra pelliculas corneæ inſinuat, easque extendit. Diſtinguntur colore, quod aliæ ſint nigræ, quæ intra primam & ſecundam
Diuerſitas puſtularum. pelliculam exiſtunt, aliæ magis ad albedinem vergentes intra tertiam & quartã membranã extuberantes. Differunt & ſitu; quod aliæ ſuperficiem occupent, aliæ altius conditæ deliteſcant: materiâ; quod vel ab humore bilioſo, vel ab aqua ſubtili & clara generentur. His ruptis & ſanie ſubſiſtente vlcus corneæ producitur. Medici Græci & Arabes ſeptem aſſignant huius
Vlcera communia corneæ. vlceris ſpecies, tres internas, quatuor externas. Prima ex internis nuncupatur βότρυον, Paulo & Avicennæ annulus, aliis foſſula, vlcus eſt cauum, anguſtum, & purum: ſecunda ſpecies κοίλωμα Pauli & Avicennæ lilimie latius eſt botryo vlcus, ſed minus altum; tertia ἐπίκαυμα Græcorum, alſibume Arabum, vlcus eſt ſordidum, impurum, & cruſtoſum. Vlcerum externorum
Tria interna.
Quatuor externa. quatuor ſunt ſpecies: prima caliginoſum aërem refert, & pupillam nigro colore imbuit diciturq; ἀχλὺς: ſecunda profundior eſt, coloreq; magis candicans, νεφέλιον vocant: tertia in iridis circulo naſcitur, Paulus ἄργεμον indigitat: vltima ſpecies plurima ſanie ſordeſcit, coloris cinericei, floccum lanæ exprimens, vnde Auicenna lanoſum nominat vlcus. Galenus has differentias primus animaduerrit in libello de oculis, licet ſingulas ſuis nominibus non inſigni-
Correctio textus cuiuſdam Galeni. uerit: in eo libello notabilis deprehenditur error, quod vbicunque internum poſuit externum ſit legendum, & è contra. Manardus in Auicennam, ob vlcerum horum denominationes inuectus eſt, ſed fruſtra & ſine rationis fundamento.

Vlcera maligna. Sunt præterea corneæ vlcera maligna, Νομαὶ Græcis dicta, quæ exedendo ad muſculos &
Vlcera cancroſa. palpebras progrediuntur. Sunt & cancroſa immenſum dolorem inferentia, ab humore acri & atrabilario exorta, vnde & virulentam cancri naturam æmulantur. Cicatrix vitium eſt
Cicatrix corneæ. corneæ, colorem eius & claritatem tollens, alboque inficiens, vnde λεύκωμα ſiue albugo
Hypocion. nuncupatur. Hypopion huic multum accedit, eſtque affectus vbi pus ſub cornea nunc altius, nunc in ſumma ſuperficie coaceruatur. Ruptâ tandem Cornea affectus vueæ particularis
Rupta corneæ. exiſtit, quem deinceps accuratè deſcribemus.

Morbi vueæ. In vuea membrana conſideramus corpus eiuſque foramen ſiue pupillam: corpus vueæ ſpecialis obſidet morbus, eſtque eius procidentia: pupillam tres notatu digni, dilatatio con-
Procidentia ſtrictio, ſuffuſio. Vueæ procidentiam Græci πρόπτωσιν vocant, quæ non accidit niſi rupta aut eroſa cornea quæ vueæ propugnaculi aut repaguli inſtar eſt. rumpitur à cauſis maximè exter-
Procidentiæ quatuor ſpecies. nis, eroditur ab internis. Procidentiæ quatuor aſſignantur ſpecies, quæ non niſi magnitudine differunt: nam ſi exigua adhuc fuerit vt muſcæ capitis formam præſeferat, μυοκέφαλον Græcis nuncupatur: Auicennæ Formicalis, vbi verò amplius & eò vſque ſuccreuerit, vt acinum vuæ repræſentet σταφύλωμα appellatur. Si autem ſic augetur vt extra palpebras emineat μῆλον vocatur: vbi tandem obducta cicatrice obduruerit, & occalluerit ἧλος ſiue clauus dicitur.

Pupillæ vitia tria ſunt, aut enim plus æquo dilatatur, aut nimium conſtringitur, aut peni-
Morbi pupillæ. tus obſeratur. Dilatatio Græcorum μυδρίασις, vitium eſt organicum, ſiquidem cauitas latior eſt quam natura præſcripſerit. Galenus duas recenſet dilatationis differentias altera natu-
Dilatatio. ralis eſt, altera ex accidenti obringens, vtraque viſui plurimum officit, ſiquidem interius lumen nimium diſſipatur; & vt inquit Auicenna ſpecies non in acie oculi recipiuntur: huius
Dilatationis cauſa. cauſa eſt vueæ extenſio, quam aut nimia humiditas, aut extrema ſiccitas efficit: humiditas ſola membranam relaxat, materiæ juncta, vt in tumore, abſceſſu, defluxione, eam dilatat amplius. ſiccitas retractis extremis vueæ diducit foramen, quod membranæ plus juſto reſicca-
Extenuatio pupillæ. tæ accidere videmus. Vitium huic contrarium φθίσις Græcis nominatur, extenuatio, aut conſtrictio pupillæ: quæ ſi naturalis eſt plurimum viſui commodat, ſin accidentalis eidem ſem-
Eius cauſa. per obeſt: cauſa ipſius eſt caſus vueæ: deſidet nimia humiditate ad foraminis latus prolapſa aut conſumptione humoris aquoſi, qui totam eam capacitatem implebat. Poſtremum pupil-
Cataracta. læ vitium nuncupatur Græcis ὑπόχυμα Arabibus gutta, aqua, vulgò cataracta, meliùs ſuffuſio. Nos definimus obſtructionem pupillæ productam ab humore lento, & glaciei modo
Eius cauſa. inter corneam & cryſtallinum concreto: cauſa ipſius proxima ſiue continens eſt humor præternaturam, quo diſtinguitur à glaucomate, quod accidit, concretis naturalibus oculi humoribus. Principiò cùm tenuis eſt humor fluctuat, tempore craſſeſcit: vnde Paulus libro

tertio

tertio definit suffusionem per effusionem; libro sexto per concretionem, hic confirmatam illicincipientem describens. Aumorem hunc Haliabas, Haly, Azarauius intra vneam & crystallinum concrescere volunt; Auicenna Mesue, Albucasis intra corneam & vueam. Meo iudicio, humor hic totum id spatium quod inter corneam humoremque crystallinum interiacet obsidere potest, & frequenter humori aqueo permiscetur. suffusio diuersimodè visum impedit; nam si pupillam fenestram oculi penitus obserat, visionem omnino præpedit; si partem fenestræ occupet dextram vel sinistram, superiorem vel inferiorem: obiecta quidem conspicientur, verum non nisi seiunctim atque vnum vna vice se visui obiiciet: si obstructio medium ipsum pupillæ obsideat quæcunque se aspectui obiicient diuisa apparebunt, neque medium cuiusuis rei cerni poterit: quòd si humor nec dum omnis collectus; sed hinc inde dispertitus fuerit muscæ ante oculos obuersari putabuntur. Differentiæ suffusionis à quantitate, substantia, connexione, situ, & generationis modo desumuntur: vnde magna & exigua, crassa & tenuis, alba, cineritia, gypsea, rubra, nigra & citrina exurgunt. Causæ internæ sunt humores & vapores concreti: humores aut ex cerebro per venas, arterias, & neruos defluunt, aut in parte per concoctricis vel expultricis imbecillitatem congeruntur. Suffusio incipiens varias rerum species quas imagines vocant, velut præcursores præmittit; nam muscæ, pili telæ aranearum in aëre se re præsentant & falsis rerum simulachris oculum illudunt quod ideo fit quia crassus & opacus vapor inter corneam & crystallinum interiacet. Vapor ille non per propriam cernitur speciem; nam alioquin & vuea, videretur, sed per alienas in aëre diffusas. Crystallinus quidem humor vaporem eiusmodi extra oculum subsistere judicat; sed id accidit, quia externorum conspectu assueuit; ideoq; quòd intus reconditum est, exterius obuersari censet. vapor eiusmodi vel ab infernis partibus sursum prorepit, vel à cerebri oculive humoribus efflatur.

Locus quem tenet humor cataractam causans.
Differentia cataractarũ.
Causæ interna.
Imaginationes variæ quæ cataractas præcedũt.

Musculos oculi tria infestant vitia; oculi distortio, instabilitas, & immobilitas. Distortio στραβισμὸς aut διαστροφὴ dicta, aut fit resolutione musculi alicuius tumq; pars ægra sanam versus trahitur, quod paralysi cuiusq; partis oppositos musculos obtinentis accidit: aut conuulsione, tumque pars sana ægram versus trahitur. Vtut sit; affectus hic excedentis siccitatis aut humiditatis soboles est. Iam verò oculus variè distorquetur; nimirum sursum aut deorsum; tumq; non nisi album oculi comparet, Hippocrati ἴλλωσις dicitur: aut ad latus alterutrum; redditque luscos. Instabilitas oculi ἵππος dicta, vitium est musculorum; qui vsque adeo debiles sunt, vt oculum continere nequeant: Veterum recepta opinio fuit instabilitatem hanc à septimo musculo opticum ambiente prouenire: sed hanc sententiam id redarguit quod in homine septimus eiusmodi musculus non reperiatur vt in oculi historia demonstrauimus: Itaq; censeo quemadmodum motus tonicus, quo firmatur immotusque persistit oculus tunc fit; dum sex musculi æqualiter fibras suas intendunt: ita & trepidationem hanc; eorundem æquali relaxatione accidere.

Morbi musculorum oculi.
Distortio oculi.
Instabilitas siue trepidatio oculi.
Error antiquorum.

Affectus huic contrarius dum immobiles persistunt oculi, Hippocrates πῆξιν & στάσιν appellat, contingit, vbi musculi omni potentia mouendi destituuntur vel obstructione nerui motum impertientis, vel eiusdem paralysi.

Immobilitas oculi.

Nerui optici affectus sunt obstructio, compressio, paralysis, casus, descriptio, scirrus, inflammatio. Obstructio fit subitò, ex humoris crassi & frigidi influxu; siquidem cauitas eius perexigua est: Compressio fit ictu, paralysis ab humore tenui & seroso neruum emolliente: casus siue σύμπτωσις, quando extrema membranosa vniuntur; vt medullæ spatium non sit reliquum: disruptionem, ictus producit, tunque primum procidit oculus, mox regressus macrescit. Ex his optici affectibus, commune exurgit symptoma quo Græci ἀμαύρωσιν appellant, Arabes guttam serenam, estque secundum Aëtium, perfectum videndi impedimentum, circa manifestam circa oculum affectionem, pura videlicet apparente pupilla.

Morbi nerui optici.
Nerui obstructio.
Compressio paralysis.
Casus.
Ruptio.
Gutta serena

Medici sub iliores partibus oculi spiritus annumerant, eorumque vitia assignant, quæ sunt μυωπία & νυκτάλωπίασις. in priore non nisi obscuro tempore videri potest, vt tempore matutino ac sub vesperam; meridie aut die claro lectioni visus non deseruit; in posteriore è contrario nihil cernitur nisi meridiano plenoque die. Causa horum affectuum spiritibus attribuitur. quibus enim ei valde subtiles sunt, in luce intensa cernere nequeunt, quo sc. spiritus dissipentur; quibus verò crassi, lumine maiori indigent, vt illustrentur,

Morbi spirituum.
Myopes.
Nyctalopes.
Eorum causa.

Atque hæc de primariis oculi vitiis dicta sint. Affectus palpebrarum, angulorum, aut vicinarum partium non attingo, cum nihilominus præter instituti limites prouectus sim. decreueram enim visus præstantiam duntaxat eiusq; conseruandi rationem demonstrare. Itaque telam exorsam pertexere aggredior.

CAP. XIII.

Ratio exquisita visus conseruandi accuratè explicans quæcunq́, oculis vel nocent vel commoda & opportuna sunt.

TEmpus est, vt vtile jucundo misceamus. Qui defectum aut imbecillitatem visus patiuntur aut verentur, in capitibus hisce duobus quicquid singulare è medicis hortis Græcorum, Arabum, aut Latinorum legi poterit, reperient. Diuerti antehac ad hortos illos, ac rariores flosculos sedulò decerpsi. Postquam ergo imbecillitatis visus princeps, quia & maximè communis causa est, aut humiditas superflua oculi, aut spirituum impuritas, harum considerationе methodum instituam, quæ cæteris oculorum affectibus curandis inprimis deseruiet. Ars illa quæ lapsam & afflictam valetudinem erigit, & in integrum restituit Therapentice dicta tribus vtitur instrumentis, diœta seu victus ratione, chirurgia & pharmacia.

Diœta primum in cura locum tenet. Diœta seu victus ratio principe semper loco collocanda est, & nobilissima à veteribus indicata, quod naturæ familiaris sit & amica eamque nec perturbet, nec variè, vt medicamenta vel manus opera, exagitet. Victus hæc ratio non sola potus cibique regula, vt vulgò creditur, sed sex rerum, non naturalium Medicis dictarum, administratione continetur: quæ sunt aër, in quo versamur, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, quæ excernuntur aut subsistunt & animi perturbationes.

Aëris vis. Ordiar ab aëre, quod sine hoc ne momento quidem temporis durare possit animal & incredibilem nos afficiendi facultatem obtineat: per nares defertur rectà ad cerebrum, per os ad cor, per cutis poros arteriarumque motum in omne corpus perflabile diffunditur, & materiam siue alimentum spiritibus suppeditat. Vnde diuinus Hippocrates omnem spirituum & humorum constitutionem à circumfusi aëris vi & qualitate dependere animaduertit. *Qualitates aëris.* In aëre obseruamus primas & secundas qualitates: primæ sunt calor frigus, humor siccitas: à secundis denominatur aër crassus, subtilis, purus, lucidus, obscurus; quæ instituto nostro accommodemus. *Aër visui commodus.* Pro visus conseruatione eligendus est aër qui temperiem in primis qualitatibus obtineat, nec caloris, frigoris, aut humoris excessu peccet. Non expedit feruenti se soli, aut radiis Lunæ serena nocte, exponere. *Venti visui contrarii.* Venti à meridie aut septentrione spirantes oculis inimici sunt: lege quæ Hippocr. sectione tertia Aphorismorum tradit. Auster, inquit, caliginem visui obducit, auditum hebetat, caput grauat, corpori tarditatem & languorem conciliat, qui crassis spiritibus gignendis materiam suppetit: Aquilo è contra acutior est ideoque (vt idem author subnectit) oculos mordet. Loca humilia, humida, vliginosa visui omninò contraria sunt: vtilius est in loco edito, aprico & perflato commorari. *Artificiosa aëris correctio.* Quòd si necessitate humidis in locis habitandum sit, corrigenda est intemperies aëris ignibus succensis è lignis lauri, juniperi, tamaricis, rorismarini: aut in locis quibus diutius immorandum erit sequens Arabum suffitus excitandus. *Suffitus.*

Recc. fol. eufrasiæ fœniculi
maioranæ an vnc. j.
Ligni aloës in pul. comminuti drach. j.
Thuris drach. iij. m. suffiatur frequenter cubiculum.

Qualem quoad secundas qualitates aërem esse oporteat. Ad secundas qualitates quod attinet, aer crassus, turbidus, nebulosus, plurimum visui incommodat: eligendus est purus & alienus ab omni vapore aqueo, terrestri, vitroso, sulphureo, aut ab alio quouis minerali, potissimùm verò ab argento viuo expirante. Puluis, ignis & fumus inimicissima sunt oculo. itaque quibus debilis est visus caueant sufflare ad chymicorum fornaculas, ne simul & crumenæ & visus jacturam faciant. expiratio è stagnis aut cadaueribus dimanans perniciosissima est. Neque verò lucidus nimium sit aër; siquidem splendoris excessus spiritus dissipat, ac visu sæpenumero priuat. *Lumen oculo noxium.* Legimus milites Xenophanis per niues iter facientes omnes quasi cœcos euasisse: sic Dionysius Tyrannus quos longo tetri obscurique carceris, squalori mancipauerat, eos repente ad claram lucem eductos visu priuabat.

Colores visui accõmodati. Ad lumen colores referemus: neque enim quiuis color visui gratus jucundusque existit. albus spiritus ad se attractos dissipat, niger eosdem incrassat, viridis, cœruleus, & violaceus eosdem recreant. Natura hoc ipsum in oculi conformatione declarat, siquidem vuea viridi cæruleoque tincta est colore ea parte qua crystallino obuertitur. Saphyri & Smaragdi color oculis est admodum jucundus & opportunus: quod si mixtos hos colores sæpius intueri desideras modum ibi paucis aperiam. Flores botraginis & folia pimpinellæ vitro priusquam bibas indito: duplex inde sortieris commodum; nam & color oculos reficiet, & herbæ proprietate sua, vini grauiores exhalationes repriment. Hæc de aëre.

Cibus & potus. Cibi potusque rationem quod attinet, accuratè dispiciendum est qui cibi visui conducant, qui eidem incommodent. Generatim fugiendi sunt cibi, crassi, viscosi, præsalsi, dulces, flatulen-

tulenti ne vaporibus redundantes, acres & excrementis pleni: ineunda est consuetudo parcius cœnandi quàm prandendi.

Panis è mundo fit frumento, benè fermentatus, mediocriter salsus, cui fœniculi vel anisi semina permixta sint; nunquam edatur calens, aut tridno vetustior. Panis absque fermento visui plurimum officit, potissimum si lolio conditus est, cuius vsus visum tollere traditur. Elegans & acutum scomma Plautinianum mihi occurrit, in quo servus commilitonem suum cœcum appellare non audens exprobrat ei quod lolio victitauerit. *Panis è mundo sit frumento bono.*

Carnes faciles concoctionis sint quæque humiditate excrementitia non redundant, ut pullorum, caponum, gallinarum, perdicum, phasianorum, turturum, alaudarum, palumborum, cæterarumque auicularum montanarum; quæ, priusquam assentur, configi possunt saluia aut hyssopo. Visum peculiariter confortant illustrantque carnes picarum, hirundinum, anserum, vipreæ bene præparatæ, lupinæ, hædinæ & auium rapacium. Arabes obseruant oculos animantium nescio qua similitudine & proprietate oculis confortandis deseruire. siccant etiam carnes picarum & hirundinum in fumo easque in puluerem comminutas cibis aspergunt. à porcinæ verò leporinæ ac ceruinæ carnis vsu, nos arcent tardius quod digerantur crassisque vaporibus gignendis materiam subministrent. *Carnes.*

Pisces, si Principi Arabum Auicennæ credendum est, oculis bellum indixerunt; verum existimo eum intelligendum de piscibus in stagno degenribus, viscida carne præditis, & sale conditis. Siquidem ij qui moderata carnis duritie & friabilitate commendantur, vt truttæ, percæ & similes, visui non nocent. Oua recentia & tremula cum modico saccari & cinamoni, plurimùm visui prosunt, at in butyro frixa admodum officiunt. *Pisces.*

Omnes cibi ex pastu, omniaque lacticinia visum offendunt.

Sales, intinctus, & aromata, non omnia ablegamus. Conficimus sales artificiales qui visui illustrando egregiè deseruiunt, hos ordinarie cibis adhibemus: Eximius est sal theriacalis cui adiungi poterit nux moschata, macis, caryophylli, & semen fœniculi: Paratur & sal eufrasiæ modo sequenti: *Sales artificiosi.*

Recipi. Salis comm. vnc. j.
Pul: eufrasiæ. drach. ij.
Cinamomi. Macis an scr. j. m. aspergatur cibis.

His salibus quidam picæ carnes in fumo resiccatas adiiciunt.

Aromata fortiora, vt zinziber, piper, sinapi oculis incommodant: sufficit nucem moschatam Cariophyllas, cinamomum cum croci momento adhibere. *Aromata.*

Legumina omnia visui nocent præterquam lupini qui proprietate quadam ijs conducunt.

Ex herbarum serie commendatur pro oculis fœniculum, saluia, maiorana, rosmarinus, betonica, menta, serpillum, asparagus, pimpinella, cicorium, petroselinum: reiicitur lactuca, nasturtium, anethum, basilicum, portulaca, porrum, caules, allium, cœpæ, radices omnes bulbosæ, tribuli & fungi. Arabes qui Græcis in ciborum apparatu palmam præripiunt rapum extollunt; sed quia flatibus abundat admiscenda sunt fœniculi vel anisi semina. *Herba.*

Crudi fructus horarij & humiditate abundantes visui obsunt: prima mensa, pruna cocta vsurpari possunt, secunda pyrum aut cydonium coctum ad obserandum stomachi orificium, & impediendos vapores sursum prorepentes. Neque verò præter rationem erit, à pastu anisum aut fœniculum saccaro incrustatum, dyacydonium, myrobolanos aut nucem moschatam conditam sumere. Ficuum & vuarum vsus non interdicitur, vt castanearum, nucum & oliuarum præmaturarum. Et hæc de cibis. *Fructus.*

In potu duo expendenda sunt; quantitas & qualitas. Ad quantitatem quod attinet insignis ille Medicus Archigenes asserebat in omnibus oculorum vitiis nimium potum nocentissimum esse Qualitatis ratione, Aristoteles in problematis docet aquæ potatores visu excellere. nihilominus Auicenna & Rases, aquæ potum reiiciunt, qua sententia bibulos quosdam non offendi censeo qui visum quam vinum perdere præeligerent. Ergo vt lis hæc dirimatur bibendum est vinum lymphatum, aut seligendum oligophorum, non acerbum, non fumis caput opplens, quale dulce est aut recens. vina crassa nimiam in ventriculo moram trahunt, & copiosis expirationibus cerebro nocent. Paramus vinum artificiale ex Eufrasia, conseruando visui accommodatissimum. Arnoldus Villanouanus celebris Medicus refert se vini huius vsu senem penè cœcum percurasse. Iniicimus vino fasciculum ex eufrasiæ ramulis confectum, quod de floribus borraginis ac pimpinellæ antea præceptum est. nam præterquam quod colore grato visum exhilarent, ascensum etiam vaporum arcent & spiritus puriores reddunt: Sunt hæ vulgares herbæ omnique anni tempore facilè reperiuntur. Qui vinum bibere respuunt vsurpent hydromel symplex aut modo insequenti compositum. *Potus. Quantitas. Qualitas. Vinum artificiale. Hydromel.*

Recip. Aq. Cisternæ aut fonta lib. xv.
Mellis opt. lib. j.

Sem. fœniculi. fol. eufrasiæ. macis linteolo illigator. an. scr. ij
Decoquantur despumando ad tertiæ partis consumptionem

Somnus & vigilia. In somno & vigilia mediocritas servanda est: somnus immoderatior spiritus effundit & obscurat, meridianus turgidam reddit faciem, conturbat visum, omnem sensuum mentisq; vires torpore & ignauia debilitat. Vigiliæ immoderatæ spiritus exhauriunt, cerebrum refrigerant, & visui plurimum detrimenti afferunt.

Conducit somnum tribus aut quatuor à cœna horis inchoare tempestiuè cubitu surgere, deambulare per cubiculum, tussire, expuere, mundare aures & ordinariis excrementis leuare corpus, hinc deorsum caput pectere, idq; ab omni sorditie mundare. neque oculi aut facies (quod præpostera consuetudine inualuit) gelidâ lau ndi sunt; frigidum enim cerebro & oculis inimicum est; satius erit vino albo & aqua fœniculi ac eufrasiæ tepidis faciem abluere.

Exercitium uniuersale. Exercitium moderatum totius corporis manè potissimùm conuenit, neque sine motu aut labore (vt ait Hippocrates) possibile est incul pârâ sanitate frui, quod tertiæ coctionis superuacaneorum expulsionem singulariter juvet.

Particularia oculorum exercitia. Particularia exercitia suis etiam commodis non carent, vnde frictio crurum vapores ad oculos euadentes divertit.

Oculis sua sunt propria exercitia: motus celer & circularis eos debilitat: fixos & immobiles in vnum aliquod obiectum defigere amplius molestat, quod in motu eiusmodi ronico singulæ fibræ sex musculorum æqualiter tenduntur, quod in auibus quæ in aëre velut immotæ hærent, apparet. Melius itaque est mouere oculos, vt successivè motui inservientes musculi sibi invicem solatio sint.

Lectio diuturnior maximè à pastu & minutioris characteris incommoda est, vt opus quodvis aliud tenue & exile, quod in obiectis eiusmodi exiguis comprehendendis, organo & facultati magna procreetur molestia. Non aspicienda sunt corpora quæ celeri incitantur motu aut in gyrum rotantur.

Animi passiones. Animi perturbationes omnes visui obsunt, inprimis verò tristitia indeque pronatæ lacrymæ.

Alvus laxa. Alvus lubrica sit in omnibus oculorum affectibus: quod Hippocrates exemplo ophtalmicorum & lipporum observavit. Remorantem alvum sollicitare convenit blandis & benignis medicamentis, vt jusculis prunis & passulis laxantibus, clysteribus lenitivis & similibus. Pruna damascena in syrupo cum senna, agarico & saccaro coquuntur: eduntur in principio pastus quatuor aut quinque.

CAP. XIV.

Remedia selecta pro visus conservatione, quoq; ordine applicanda sint.

CVm pleraq; visus imbecillitas vel ab intemperie cerebri, vel a mala dispositione oculi proficiscatur: Medicus rationalis & methodi studiosus vtriusq; partis huius rationem accuratam habeat necesse est; ideoq; cerebrum humidiori resiccando, & oculo debiliori roborando operam impendat. Plato in dialogis suis monet oculum nec siccandum nec confortandum esse nisi capite prius evacuato. Itaq; à Capitis purgatione exordiemur; verùm quia hoc difficile est nisi priùs corpus vniversum, è quo excrementorum illuviem recipit supervacuorū mole liberetur, eligendum est medicamentum quod cerebrum evacuans simul etiam corpus totum expurget, & proprietate quadam oculum respiciat. Accommodatissima est ad hunc finem, Pilularum forma. Arabes præscribunt elephangines, de agarico, huius maiores & minores. nos sequentem Pilularum formam commendamus,

Purgatio totius corporis & cerebri.

Descriptio Pilularum.

Rec. Aloes in aq. fœnic. & eufr. lotæ drach. iij.
Agarici opt. drach. j. ß.
Cort. myrobalan. citrinor. ol. amygd. dul. confricator. scr. iiij.
Sennæ Orient. in pul. redactæ. drach. j.
Masliches ZZ. Cinamomi an. scr. ß.
Troch. alhand. gr. v. aut vj. vt vis medicamenti acuatur.
Cum succo fœnic. & syr. de stœchade fiat massa de qua sumatur drachma vna bis in mense: aut:
Rec. Spec. hieræ drach. ij.
Agarici opt. scr. iiij.
Sennæ el. drach.
Sem. anisi. veniculi. seseleos an. scr. ß.
Macis. Cinnamomi. Myrrhæ an. gr. v.
Cum melle rosato, anthosato & aq. fœnic. form. massa, de qua hebdomadatim drachma vna vsurpetur.

Quibus pilularum vsus aduersus est syrupo sequenti humorum eluuiem emundabunt.

Recip. Rad. fœniculi. acori. elenii an. vnc. j.
Fol. Eufrasiæ. betonicæ. fumariæ. mercurialis. cichorii. chamædrios. verbenæ an. P. j.
Passulas maiores. Pruna damascena an N°. xij. sem anisi. fœniculi an. drach. ij.
Flor. saluiæ. stœchados. anthos. euphrasiæ an. P. ß
decoq. inf. q. aq. claræ, colaturæ adde infusum vnc. iij. fol. sennæ scl. paratum cum decocto supradicto tepido: expressum vnc. j.
Agarici & Cinamo. ac Caryoph. an drach. j.
decoq simul cum s. q. saccari, dum iustam syrupi consistentiam acquirat, afficetur aroma per Pul. nucis moscatæ.
Spec. diarhod. abb. an. dr. ß.

Quod si tandem expressim vnc. Rh. el. addere libuerit efficacius medicamentum existet. Sumantur decimo quinto quouis die vn. ij. aut minus, pro effectus qualitate, cum iusculo, vel decocto cephalico & ophtalmico.

Clysterum frequens vsus affectibus oculorum aurium, capitis mitè deseruit. *Clysteres.*

Quòd si cerebrum humoris excessu peccauerit, neque aliud corporis constitutio siue temperies, suaserit, non abs re erit decoctæ Chinæ aut salsæ pangliæ additis foliis eufrasiæ & semine fœniculi vsum inire: Siquidem absumpta corporis humiditate cerebrum & oculos roborabit. decoctum sassafras anisum redolentis forte huic instituto magis deseruiet.

Corpore vniuerso sic inanito tempestiuum erit priuatas cerebri euacuationes per nares & os præscribere, quod hosce ductus educendis eius excrementis natura destinarit. Masticatoria errhinis præferenda censeo, cum naribus & oculo per foramen maioris anguli magna intercedat communio, adeo vt succus aliquis per nares violentius attractus simul ad oculum, partem affectam adduci possit: cui etiam decretum magni Hippocratis adstipulatur sectione secunda septimi Epidem: diuertendæ sunt, inquit, defluxiones oculorum ad palatum & os. Conducet itaque ore continere, dentibusque premere vuas passas maiores spiritu seminis fœniculi irroratas. aut eodem spiritu palatum imbuere, ut vapore ad cerebrum & oculos elato, simul & confortentur, & pituita leniter è longinquis eliciatur. *Masticatoria*

Frictiones capitis deorsum per sacculos factæ, suffitus, & cucuphæ capitales, in capite de catarrho describendæ, per insensibilem transpirationem cerebrum à superfluis mirè leuabunt. *Frictiones capitis.*

Hippocrates in oculorum vitijs, collo, occipiti, spatulis & coxis cuccurbitulas admouet. *Cucurbitæ.*

Neque silentio prætereunda sunt cauteria, quæ instrumentis euacuando particularim capiti dicatis meritò adnumerantur. Verum inter Medicos de loco cauterijs aperiendo non conuenit. Sunt qui ea superiori capitis parte admouent, quem locum ideo suspectum habeo, quod eo aperto grauia symptomata superiorum viderim, quodque pericranium vel aduri vel lædi potest Caustico nimium penetrante. Malim ea retro inuri securioris, faciliorisque reuulsionis gratia, cum illic neruorum omnium prima radix & origo existat; quæ singularis & elegans est obseruatio à paucis animaduersa à me multoties in administrationibus anatomicis declarata. *Cauteria. Obseruatio elegans de neruorum origine.*

Non vulgaris quidam Italiæ Medicus huius obseruationis primum se iactat authorem, quum tamen dudum in Hippocratis libro de ossibus annotaui. Cauterium id non infigendum est occipiti, quod inde nil deflueret, sed intra primam & secundã vertebram vbi & setaceum more recepto immittitur. In morbis oculorum diuturnis deriuationis nomine cauteria post aures applicanda sunt nimirum in transitu ramorum carotidum & iugularium, à quibus venæ & arteriæ externæ oculi proficiscuntur. Atque hæc sunt accommodatissima inanitionum corporis, capitis, & oculorum; tum sensibus conspicua, tum eosdem latentia instrumenta: Phlebotomiæ non memini, tantum abfit vt debilitati visus conducat vt eandem vel maximè augeat, sanguinem naturæ thesaurum humorem que illi cum primis gratum & familiarem subtrahant. In magnis doloribus, inflammatione & fluxione præcipiti suis non carebit commodis. *Quo loco cauteria figenda. Phlebotomia.*

Post euacuationes cura omnis ad cerebrum oculosque roborandos transferenda; quod fiet opiatis, tabulis, pulueribus visui illustrando dicatis. Theriaca & mithridatium peculiariterijs deseruiunt, quibus in cerebro & oculis humor redundat. *Remedia ad roborandum & acuendum visum.*

Conseruæ item florum betonicæ, saluiæ, anthos, eufrasiæ, è quibus forma sequenti opiata parabitur.

Rec. Conser. flor. eufrasiæ, betonicæ, anthos an. vnc. j.
Theriacæ vet. drach. iij.
Conf. Rosarum vnc. ß.
Spec. diarhod. abb. drach. j. ß.
Pul. macis scr. ij.

k Cum

Cum syrup. conseruat. citri. fiat Opiata, sumatur frequenter tempore matutino, aut ante decubitum.

Electuarium. Electuarium solidioris formæ sic parabitur.

Rec. Conf. rosar. borrag. an. vnc. ij.
Spec. diamod, abb. drach. ij.
Pul. eufrasiæ. betonicæ. fœniculi an drach. ß.
Cum s. q. saccari s. a. sol. f. confectio manè in usum ducenda.

Pulueres vesperi sumendi. Vesperi horâ somni pulueres assumantur, vt eorum virtus cum cibi vaporibus facilius ad caput offeratur.

Rec. Fol. eufrasiæ drach. iij.
Sem. fœniculi drach. ij.
Anisi. seseleos drach. j.
Macis. Cinnamomi. Caryophyll. an. scr. ij.
Sem. rutæ Chamedrios an drach. ß.
Sem. pæoniæ drach. j.
Saccari rosati tabul. q. ß.
M. f. pul. subtiliß. sumatur cochleare ad lecti ingressum.

Pulueres digestiui. A pastu conducent pulueres digestivi nuncupati ex coriandro, fœniculo, rosis rubris, corallis, margaritis, eufrasia, maci & saccaro rosato; aut conditum quod sequitur.

Conditum. *Rec. Confect. fœniculi, anisi, Cor. citri condit. Myrobalanor. cond. an dra. ij.*
Eufrasiæ siccæ drach. j.
Macis drach. ß.
Saccari rosati q. ß.
F. conditum, sumatur à pastu cochlearis mensurâ.

Arabes singulariter extollunt sequentem pulverem à pastu vsurpandum:

Rec. Troch. de viperis drach. j.
Pul. eufrasiæ scr. iiij.
Sem. fœniculi dul. scr. ij.
Lapid. ex oculis lacii erutor. scr. j.
Saccari rosat. tab, vnc. iiij. m. f. pul.

Remedia externa. Atque hæc remedia sunt interna, roborando & illustrando visui dicata. Superest vt externa, nimirum aquas, collyria, vnguenta in medium afferamus. Infinitus quidem est horum numerus, verum trium aut quatuor formulas selectiores, & ab experientia magis approbatas describam. *Aqua stillatitia.* Matutino tempore aquis stillatitijs sequentibus abluantur oculi.

Rec. summit. fœniculi, rutæ, eufras. verbenæ, tormentil. betonicæ, Rosarum sylvestrium.
Anagallidis maris; Pimpinellæ; Chelidonii; Agrimoniæ, Periclymeni, Hysiopi,
Sileris montani an. P. ij.
Incidantur minutim, & infundantur primum in vino albo, deinde in vrina pueri, tertio in lacte muliebri, tandem in melle optimo. tum destillentur simul hæc & aqua extillans diligenter asseruetur. Infundatur indies oculo gutta vna.

Neque abs re erit omni manè oculos abluere vino dejectionis fœniculi, eufrasiæ, & momenti myrobalanorum chebulorum.

Aqua alia. Paratur & aqua è succis anagallidis maris, fœniculi, verbenæ, pimpinellæ, chamædrios, chelidonii, rutæ: adduntur caryophyllorum, macis, nucis moscatæ; cuiuscunque drachmæ duæ aut tres, omnibusq; in vino albo infusis, & addito melle optimo, elicitur liquor depurando visui maximè opportunus.

Remedium præstans oculo confortando. Experimento didici sequentem aquam robur oculis & claritatem visui conciliare.

Rec. Aq. eufrasiæ, rosar. an. vnc. iiij.
Tuttæ præp. drah. j. ß. Aloes opt. scr. j.
Illigentur hæc nodulis, qui aquis supradictis immergantur, iisque vespertino tempore oculi abluantur.

Aqua panis excellens. Eximia est Aqua de pane dicta: conficitur pasto è farina à furfure non omninò repurgata, addito puluere fœniculi, rutæ, chelidonii maioris; è pasta hac paratur parui justæ magnitudinis in furno coquitur, perfectè coctus scinditur medius, intra duas patinas argenteas aut stanneas occlusas asseruatur, ne vapor expiret, inde colligitur liquor pro oculis peculiari cura asseruandus. Extractum fœnugræci cum melle paratum magnâ commendatione extollitur.

Aqua quæ elicitur è floribus cyani visui conseruando est accommodatissima.

Præscinditur caulis fœniculi paulum supra radicem, impletur puluere saccari candi, liquor extillans oculis peculiari quadam ratione conducit.

Vsum aquæ subsequentis mirâ efficaciâ comprobatum deprehendi.

Rec. Vini

Rec. Vini albi Aq. rosar. an. lib. jß.

Tutiæ præpar. vnc. j. Macis vnc. ß.

Indita vitro accuratè occluso, exponantur radiis solaribus spacio viginti dierum, dum perfectè clara euadat aqua, agitando indes.

Singulare est vnguentum visui conseruando maximè idoneum. *Vnguentum singulare.*

Rec. Pingued. porcinæ recentis vnc. ij.

Infund. in aq. rosar. spacio sex horarum, inde lavetur duodecim diversis vicibus vino al. optimo spacio sex horarum, adde

Tutiæ prep. in subtiliss. pul. redactæ vnc. j.

Lap. hæmatitis eloti scr. j. Aloës lotæ gr. xij.

Margarit. prep. gr. iij.

M. redigantur cum aq. fœniculi modicò in formam vnguenti, cuius exigua portio in vtrumque oculi angulum immittatur.

Sunt & alia medicamenta externa; vt Collyria & pulueres, quos in oculos inflare solent: verum eorum vsus non ita vt aquarum commodus est.

Arabes visus conservandi gratia adhibent lotiones capitis; verum commotionem Cerebri in vitiis oculorum non approbo: interim lotio parabitur sic: *Lotio capitis.*

Rec. Lixiuii è cineribus sarmentorum vitis parati q. ß.

Fol. stœchados betonicæ eufrasiæ chelidonii chamomillæ an P. j.

Agarici Myrobalanor. chebulor. linteolo illigator. an. drach. ij.

Decoq. ad cons. quartæ partis, vtere pro lotione capitis.

Aut sicca eufrasia in cineres redigatur, per quos aqua eufrasiæ transfundatur fiatque lixiuium.

His itaque mediis visus conseruabitur, potissimum si eius à superflua cerebri oculorumque humiditate otiu duxit. Particularibus oculorum vitiis accommodata remedia prætereo, quod instituti mei sit, generalem methodum, quæ specialibus affectibus adaptari possit, exprimere. Iacobus Guillemius Chirurgus Regius, de singulis oculorum morbis tractatum lingua vulgari conscripsit doctissimum, vbi veterum & recentiorum remedia accuratè explicat, quo Lectorem remitto.

FINIS.



INDEX.

RERVM QVÆ IN HOC TRACTATV CONTINENTVR.

FINIS.

ANDREÆ

ANDREÆ LAVRENTII TRACTATVS

DE

MELANCHOLIA.

LIBER I.

IN QVO DE MORBIS MELANCHOLICIS AGITVR, QVAQVE ratione curandi ij sint.

CAPVT I.

Hominem diuinum & politicum esse animal, & potentias tres nobiles specialiter obtinere, Imaginationem, Rationem & Memoriam.



ABDALAS Sarracenus importuna quæstione sollicitatus, vt renunciaret, quid in rerum natura maximè putaret admirabile: non barbarè sed scientèr, & pro summi philosophi sapientia & granitate respondisse fertur, hominem vnum esse, qui admirationem omnem superet. Cum enim homo in anima insculptam expressamque DEI gerat imaginem, & corpus obtineat cœteris omnibus creatis ita antecellens, vt corporeorum μέτρον & regula dici possit, in omnia momento temporis, Protei instar, se transformat, aut vnico instanti, Chamæleontis more, mille colorum varietates suscipit. Fauorinus nihil in terris magnum, præter hominem agnouit: sapientes Ægyptiorum titulo Dei mortalis eum insignierunt: Mercurius termaximus appellat animal diuinitate plenum, Deorum nuncium, Dominum rerum inferiorum, & amicum familiaremque superiorum: Synesius horizontem corporeorum & incorporeorum: Zoroaster audacissimæ, & omnia confidenter molientis naturæ decus: Plato admirabilium admirabile: Aristoteles animal politicum, plenum ratione & consilio, quod omnia est; omnia scilicet non secundum materiam, vt volebat Empedocles, sed per specierum receptionem: Plinius mundi epitomen, & naturæ delicias: Theologi nuncuparunt omnem creaturam, quod cum omnibns creaturis naturæ communicatione conspiret, existat cum lapidibus, viuat cum plannis, sentiat cum bestijs, intelligat cum Angelis. *Laus hominis.*

Alij rectorem vniuersi, rerum omnium finem, cui sublunaria omnia seruiunt. Denique perfectissimum operis diuini exemplar, & animantium nobilissimum dici potest. Iam verò singularia hæc encomia non sortitur à corpore, licet figura, temperie, proportione cæteris omnibus præcellat, & corporeorum omnium mensura sit & exemplar, atque ad id, tanquam Polycleti regulam, omnia referant artifices; non, inquam, sortitur à corpore materiali & corruptioni obnoxio, sed ab altiori quodam, ab anima nimirum forma cœlesti & diuina, quæ non ex porentia materiæ, vt plantarum & bestiarum, educitur. Creatur enim, non generatur & cœlitùs immissa corpori gubernando præficitur, quamprimùm id suis organis sufficientèr instructum est. Eius nobilitatem euidenrèr demonstrant facultates, indeque pronatæ actiones, nam vltra vim vegetatricem, & sensitiuam tres obtinet potentias, quarum beneficio cœ- *Excellentia hominis.*

 teris

Tres nobiles animæ potentiæ.
Imaginatio.

teris præcellit animantibus, Imaginationem, Rationem, & Memoriam. Suprema eſt Ratio; reliquæ duæ, quod huius functionibus deſeruiant, vna internuncij, altera notarij titulo, priuilegijs nobilitatis gaudent, regiamque incolunt proximè ad Rationis domicilium locatæ, cum vna in ſalutatorio; altera in interiori conclaui diuerſetur. Imaginatio ea rerum ſimulacra, quæ à communi ſenſu percepit, intellectui offert, quæque à ſenſibus externis, velut exploratoribus, renunciata ſunt; explicat, ex his intellectus concluſiones deducit falſas quidem illas ſæpenumerò, vbi phantaſia concreditas ſibi notiones minùs fideliter repræſentat. Et quemadmodum exercitatiſſimi belli duces falſis exploratorum indicijs ſeducti imprudenter & temerariè in hoſtem feruntur; ita ratio phantaſiæ erronea denunciatione decepta abſurdos diſcurſus fabricatur.

Opinio Græcorum contra nobilitatem imaginationis.

Græci quidam Philoſophi hoc nobilitatis titulo imaginationem ſpoliare conati ſunt, eiusque operationem ab alijs ſenſitiuæ facultatis functionibus nulla ſingulari prærogatiua diſtingui, aſſeruerunt. Euoluendo veterum monumenta duplicem antehac deprehendi opinionem, prima eſt eorum, qui nullam imaginationis vim in nobis ſeorſim inſidere, hancque à ſenſu communi nihil differre contendunt, altera illorum, qui nullo diſcrimine imaginationem beſtijs & hominibus attribuunt, ideoque hanc ſingulari aliqua præcellentiæ commendatione non extollendam. Verùm quàm abſurda opinione philoſophiam contaminarint; omnibus planum apertumque reddam.

Error Græcorum Philoſophorum.

Differentia inter imaginationem & ſenſum communem.

Rectè philoſophantium recepta ſententia percrebuit, imaginationem aliud quid, longeque diuerſum eſſe à ſenſu communi, qui rerum omnium imagines ad ſe, velut lineas ab orbis ambitu ad centrum deuergentes, à miniſtris & nuntijs ſenſibus allatas ſuſcipit, diſcernit, & dijudicat, ſiquidem hic eodem momento quo ſenſus externi, & in præſentia reali obiecti (vt philoſophicis terminis rem clariùs exprimam) ſpecies recipit; at imaginatio externis rebus abiunctis ſimulacra admittit; eademque retinet, imaginatio jungit, componitque inuicem ſpecies, vt ex auro & monte aureum montem fingendo inducit, quod à ſenſu communi fieri nequit. Præterea princeps ſiue communis ſenſus non niſi ab externis ſenſibus hauſta comprehendit; imaginatio verò vlteriùs prouehitur, nam ouis viſo lupo horrendum quiddam & formidoloſum comminiſcens, inimicitiam elicit; inimicitia hæc non percipitur ſenſibus, cum ſenſibile obiectum non ſit: ſupereſt itaque vt imaginatio eam effingat agnoſcatque. Quamobrem à ſenſu communi plurimùm diſtat imaginatio, quæ beſtijs quidem obtigit, verùm non in eo perfectionis gradu, quo homini à ſupremo rerum conditore indita eſt. Diſcrimen palàm & apertum fiet ſequentibus. Brutorum imaginatio perſequendis motibus appetitus inſeruit, totaque praxi dicata eſt; dum id quod commodum eſt ſectatur; quod inutile, deuitat ac fugit; humana verò & praxi & ſpeculationi deſeruit. Illa nullam ſpeciem niſi præſente obiecto elicit effingitque; hæc quicquid lubet concipit; & remoto etiam obiecto rerum ſimulacra è theſauro ſuo, memoria videlicet, eruit.

Differentia inter imaginationem hominis & beſtiarum.
Prima,
Secunda.
Tertia.
Quarta.

Bruta imaginantur dum in opere ſunt, homo quando ac quomodocunque lubet. Illa vbi quid imaginatione conceperunt, quàm primùm id perſequuntur, à quo appetitus incitatur; homo nequaquam omni appetitus motione obſequitur, cum à ratione ſæpius retrahatur, erroriſque à ſuperiori hac potentia arguatur. Brutorum imaginatio nunquam in ea trahitur, quæ rerum natura & vniuerſi ordo non admiſerit, vt montes aureos, ſphynges, Chimæras, aſinos volantes; comprehendas. Denique imaginatio hominis cum in multa feratur ſenſu non percepta quodammodò vim imitatur rationalem. Nam viſo leone picto, nil formidandum indicat, eodemq; momento rationi ſe iungens ſecuritatem decernit. Ecce quanto interuallo humana à brutorum imaginatione ſeiungatur; qua ratione etiam motus potentijs animæ nobilioribus, eam accenſeo. Arabes vſque adeo eam extulerunt; vt ſibi perſuaſerint, animam phantaſiæ efficacia prodigia & oſtenta procurare, penetrare cœlos, cogere elementa, æquare montes, & colles imponere vallibus; denique animas hac facultate præditas illuſtres ac nobiles appellabant, quod abſolutum in formas materiales imperium exerceant. Itaque princeps eſt animæ facultas Imaginatio.

Quinta.
Sexta.
Imaginationis vis.

Secunda animæ potentia quæ eſt intellectus.

Sequitur Intellectus, qui phantaſiæ internuncio excitatus è ſingulis rebus, quæ ſenſibus obuerſantur, vniuerſales formas à materia diuellit & exuit, diſcurrit, argumentatione plurima comparat, ab effectibus ad cauſas, à principijs ad finem per media prouehitur. Hunc in duplicem potentiam agentem, & patientem partiti ſunt Philoſophi. Patiens ſimulacra omni materia libera & exuta ſuſcipit; quæ deinceps, velut proprium ſubiectum, continet atque ſeruat. Agens, luminis inſtar, patientem perficit, & illuſtrat, hinc rectè altera materiæ; formæ altera aſſimilatur, exurgitq; ea vtraque Ratio, omnium animæ partium princeps & regina, ſoli homini conceſſa, ſimplex, incorporea, impatibilis, immortalis, imitatione DEO proxima, & vt plurimùm nullius inſtrumenti corporei indiga, hocque potiſſimum à ſenſibus diſtans, quod nequaquam obiecti excellentia corrumpatur. Annon percipis lædi auditum ſono acuto & terribili; guſtum ſapore extremo, viſum ſplendore nimio (quo crudeli artificio captiuos ex-

Intellectus paſſibilis.
Agens.
Ratio.

cæcabat

(æcabat Siciliæ tyrannus) intellectum verò quò nobilius obiectum percipit, eò magis perfici, dumque res summas ac diuinas contemplatur, abripi, & jucundissimis satiari cognitionum epulis, atque in his, velut supremo bono, acquiescere? *Vt ratio à sensibus differat.* Sola hæc facultas declinante corporis vigore incrementa suscipit, deficienribus membris efflorescit, relaxata, & receptui canenre sensitiua parte fatigatur, & laborat, fertur per aërem; spatiatut per vniuersum orbem corpore immobili, somnoque ligatis sensibus diuinitatis suæ radios, futura prædicens, sæpè exhibet, atq; nisi vaporibus à cibi potusque sordida intemperanria subministraris detrahatur ac præpediatur, supra mundum omnem propriamque naturam eleuata Angelorum gloriam, & cœli mysteria comprehendit. Denique Ratio postquam vniversam mundi machinam quæque extra eam concipere potest, peragrauit, & mille distinctas elegantesque ideas, ne præproperè hæ elabantur, Memoriæ, expertæ inprimis fidei custodi seruandas tradit, eique nobilissimum animæ thesaurum, ceu depositum, committit. *Memoria.* Hæc opulenta illa est arcaria, continens vnico conclaui omnes scientias, omnemque rerum à mundi primordijs seriem, & historiam; quæ omnia citrà confusionem recipit, quæ tempus, circumstantias & ordinem obseruat, & vt Plato inquit, fluxum perpetuum intellectus sistit ac continet. Potentia hæc Reminiscentia nuncupatur, hominique propria est; nam belluæ speciem quidem aliquam memoriæ obtinent; verùm temporis, ordinis, & circumstantiarum; quod sine syllogismo fieri non potest; recordari nequeunt. Est itaque anima trinario nobilium potentiarum numero comitata; Imaginationis, Rationis, & Memoriæ, quæ in vno palatio, ac tutri illa rotunda, quæ Caput appellatur, stationes suas obtinuerunt. Verùm an per totum cerebri corpus diffusæ sint, an verò locis receptaculisque certis disiungantur, nondum planè perspicuum est. Non me latet plenam controversiæ litem inter Græcos ac Arabes Medicos hac de re existere; neque hactenus eos in concordiam adduci potuisse. *Diuersa opiniones de sede potentiarum.* Græci in toto cerebri corpore eas locant: Arabes peculiare cuique domicilium assignant.

Græci defendunt; vbi ratio est, ibi & imaginationem & memoriam indiuiduo adhærere consortio, omnesque três tam anteriore quàm posteriore parte collocari, denique totas in toto, ac totas in qualibet Cerebri parte existere. *Græci totum cerebrum pro sede assignant.* Nituntur verò hac potissimum ratione, quod actio simularis tota per totum subiectum diffusa sit; vt nutritio per totum os æqualiter extenditur, & quæcunque ossis pars assignetur, in ea quatuot potentiæ, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix reperiuntur. *Sententia Arabum contraria.* E diuerso Arabum schola singulis facultatibus singulas sedes assignat. Rationes, quibus nituntur, elegantes admodum sunt. *Prima ratio.* Nam primò extra controuersiam est, plures in cerebro mansiones reperiri; quas Anatomici ventriculos appellant, quæ sanè mansiones non frustra, sed ad domicilia distincta tribus his facultatibus deputata productæ sunt; atque inde imaginatio in anterioribus ventriculis; ratio in medio, memoria in posteriore ventriculo locanda est. Ratio in promptu est. Imaginatio sensilium spectra & imagines concipit apprehenditque: debuit ergò in anteriore sede collocari; cùm sensus ferè omnes in anteriore capitis parte resideant. Imaginatio obiecta rationi offert, quæ immaterialia & vniuersalia ipsa reddit; huic itaque proxima fictrici debetur sedes.

Intelligentia discretas rerum ideas memoriæ commendat; quas altiùs quasi in thesaurum condit, continet, asseruat, eius in postremo ventriculo omnium siccissimo est sedes. *Secunda.* Præterea imaginatio; cùm sit conceptio, & sola receptione fiat, molliorem requirit cerebri substantiam, cùm species molliori corpori faciliùs imprimantur: memoria duriorem; vt reconditas species diu custodiat, alioquin enim simul imprimerentur ac obliterarentur: ratio vtpote nobilior temperatam ac mediocrem cerebri sedem jure suo deposcit. Ar anterior cerebri pars mollior est, postrema durior, media medio se habet modo. Erit igitur imaginatio in anterioribus ventriculis, ratiocinatio in medio, memoria in posteriore. *Tertia.* Quibus physiognomiæ arcana scrutari placuit, eos qui amplum habent occiput; memoria valere dicunt: quibus sinciput & frons prominent, felicem imaginationem adscribunt: contra quibus deest vterque processus, hos fatuos & stolidos arguunt. *Quarta.* Dum accuratiùs quid concipere animus est (Aristotele in Problematis teste) frontem contrahimus, dum in memoriam quid reuocandum capite demisso occiput fricamus; quod imaginationem anteriori, memoriam posteriori cerebri parti insidere demonstrat. *Quinta.* Sæpè animaduersum est læsa posteriore cerebri parte memoriam in instanti penitus abolitam fuisse. *Sexta.* Adjungam pro astruendo Arabum placito, quod forma & capacitas ventriculorum cerebri distinctas harum potentiarum sedes ad amussim declaret. Quartus cerebri ventriculus acuminatus est, vt species magis vniantur, & reflexio ad tertium, vbi ratio sita est, promptior sit: anteriores duo plus spatij continent, quod prima obiecta nondum puriora reddita suscipiant: medius rationi aptissimus est, vt prioribus imagines recipiat, & obliuioni traditas è posteriori, velut è thesauro, accersat. *Septima.* Demum vt hanc de principum facultatum disiunctis sedibus opinionem mordicùs tuerentur Arabes, persuasit & hoc, quod læsa aut pereunte earum altera, incolumis altera remaneat. Sæpè enim contingit imaginationem lædi illæsa ratiocinatione, & contra, quot videmus phreniticos & melancholi-

cos,

cos, qui benè ratiocinantur persistente nihilominus stulta & absurda imaginatione: Galenus duas recenset phreneticorum historias, quorum alteri imaginatio læsa erat, ratione integra, alteri verò turbata ratio, imaginatione incolumi existente. Innumeros videmus qui deperdita penitus memoria optimè discurrunt. Narrat Thucydides eo tempore, quo vniuersam quasi Græciam sæua illa pestis depopulata est, infinitos ad tantam rerum omnium obliuionem deuenisse, vt ne proprij quidem nominis recordarentur, ratione nihilominus salua & illæsa. Messala Coruinus è difficili morbo reualescens proprij nominis oblitus est. Trapezuntius omni doctrinæ genere imbutus fuit iuuenis, vbi senectutem attigit, omnium oblitus est. Quare cum vnaquæque seorsim alijs illæsis vitiari possit, facultates has sedibus disclusas esse necessariò fatendum est. Si mearum esset partium litem hanc componere, dicerem Græcos veriorem, & Philosophiæ subtiliori magis conuenientem amplecti sententiam; cum tamen Arabum opinio, quod verisimilior appareat, vulgo magis arrideat. Neque verò est cur in hac disputatione vlterius progrediar. Sufficit mihi declarasse, quòd anima tribus eximijs potentijs sit dotata, quæ singulæ in cerebro resident, hominemque præ omnibus creaturis admirabilem præstant, totius mundi imperio aptum reddunt, ac demum titulo animalis politici & sociabilis insigniunt.

CAP. II.

Diuinum hoc animal interdum vsque adeo abiici, & per morbos infinitos deprauari, vt ad bestiarum quasi statum deueniat.

HActenus hominem ad supremum gloriæ fastigium extuli, vtpote perfectissimum animans, gerens insculptam animæ DEI imaginem, & corpori impressum totius vniversi exemplar. Iam verò exhibebo maximè caducum & miserabile animans totius mundi hominem omnibus priuatum doribus, iudicij, rationis, consilij expertem, inimicum hominum & solis, errantem & per loca solitaria vagabundum, atq; adeò à priori nobilitate descīscentium, vt hominis non nisi nomen retineat. Deprauatio hæc nonnunquam in sola anima deprehenditur corpore sano, integro, & illæso: velut cum maligna voluntate impulsus homo, de erroris & apostatæ instar diuinum obliterat characterem, & sordibus peccati sanctum DEI templum polluit, dum inordinato appetitu vsque adeo affectibus vt iræ, o dio, ingluviei, ac ventris volnptati obsequitur, vt furore leonem, inhumanitate tygridem, sordicie porcum antevertat. Hunc defectum Theologis curandum relinquo, legatur philosophia moralis, quæ temperandis passionibus oportuna remedia subministrat. Alteram aggredior deprauationem coactam illam, & quæ religiosissimo cuiuis accidere potest: dum corpus, velut animæ nauis, ita corrumpitur, vt nobilissimæ potentiæ deprauentur, appareantque sensus exorbitantes, motus incompositi, imaginatio deprauata, discursus stolidi & temerarij, memoria penitus instabilis. Prior defectus, vtpote voluntarius, & malitiæ soboles, pœna dignus est; posterior, qui violenter, & morbi sævientis impetu hominem prehendit, omnium commiserationem meretur. Morbi qui propiùs animam inuadunt, iamque duabus potentijs inferioribus captivam tradunt, tres sunt, phrenitis, Mania & Melancholia. Intuere actiones & mores phrenetici, aut maniaci, nihil humani in ijs deprehendes: mordet, vlulat, mugit ferina voce, rotat ardentes oculos, hinc inde se præcipitat, & nonnunquam violentâ manu mortem sibi consciscit. Viden' vt melancholicus non rarò se vsque adeò abjiciat, vt bestiis se coniungat, & non nisi solitariis locis delectetur. Sed viuis eum coloribus depingam, vt quisnam fit, æqua rationis libra expendere possis. Verus melancholicus (loquor de eo, cuius affectus in cerebro sedem fixit) excors est, meticulosus, ac tremens, omnia timet, ac semetipsum vt bestia, quæ sui speciem contemplatur, reformidat; fugam meditatur, nec progredi valet, suspirijs ac singultibus omnia complet cum tristitia inseparabili, quæ sæpenumerò in desperationem abit, perpetua corporis & animi inquietudine diuexatur, hinc vigilijs consumitur, illinc somno turbulento, & horrendis insomnijs fluctuante torquetur. Dum enim passionibus suis quietem aut induciassomno impetrare cogitat, quamprimùm palpebras obsirmare tentat, ecce tibi occursum mille phantasmatum, spectrorum horribilium, chimærarum & somniorum terribilium: quod si cuiuspiam opem implorare tenet vox faucibus hæret, balbutiendo auxilium flagitat, fugit omne consortium, & vt verbo dicam, animal est Syluestre, vmbratile, suspiciosum, solitarium, fugitans solem, cui nihil placet, nihil nausea ac tædium rerum omnium, mille falsas vanasque imaginationes procudens.

Expende nunc, vtrum quæ homini sæpius encomia tribui, diuinum ac politicum animal indigitans, melancholico competere possint. Neque verò subest (O Athee) vt hinc deducas animam in essentia sua quidquam perpeti, ideoque corruptibilem esse: nunquam alterationem subit ipsa, neque patitur quidquam, solum ipsius organum offensum maleque dispositum est. Percipies hoc, si lubet, exemplo Solis, quemadmodum enim sol nullam fulgoris ac luminis

Miseria hominis.

Solius animæ deprauatio.

Deprauatio vitio corporis obtingens.

Morbi animam inuadentes.

Elegans melancholici descriptio.

Contra atheos qui animā mortalem existimant.

luminis sui diminutionem patitur, licet obscurari aut deliqnium pati videatur, quod fit aut nubium crassitie, aut Lunæ interpositione; ita anima nostra pati nonnunquam videtur, cum tamen non nisi instrumentum & organum ipsius malè affectum sit. Hippocrates sub finem libri primi de diæta hoc exprimit verbis auro insculpendis.

Insigne testimonium immortalitatis.

Anima nostra, inquit, quoad essentiam, mutari non potest, aut alterari siue cibi, siue potus, siue cuiuscunque rei alterius excessu; referenda est enim alterationum omnium causa aut ad Spiritus, quibus se immiscet, aut ad vasa, siue organa è quibus emanat. Iam verò organum potentiarum eiusmodi nobilium est cerebrum, quod sub Medici contemplationem cadit, aut vt pars similaris, eiusque integritas consistit in justa & conuenienti temperie; aut vt organica, eiusque sanitas laudabili conformatione corporis aut meatuum continetur. Vtraque peræque necessaria est ad functiones triũ illarum facultatum; licet Galenus plus temperamento quàm conformationi tribuat, & libro integro validis rationum momentis astruit, quod mores animi sequantur temperamentum corporis, vt capite sequenti declarabitur. Neque verò tantum est aut temperamento, aut conformationi attribuendum, vt animam omninò cogere eique vim inferre valeant; siquidem innati mores habitu, vt vocant Philosophi, acquisito emendantur, quod euidentèr ex Socratis historia demonstratur. Zopyrus insignis Philosophus, qui profitebatur ex Physiognomiæ principiis solo intuitu de moribus cujusque judicium se ferre posse, cum vidisset Socratem profitentem, assistentium importuna flagitatione coactus renunciare, quid de Socratis moribus ex corporis ac faciei lineamentis coniectaret, respondit tandem, videri sibi sceleratissimum totius mundi hominem. Socrates de judiciò hoc per discipulum aliquem certior factus irrisit Zopyrum; sed nihilominus præ admiratione exclamauit: O eximium Philosophum qui integerrimè mores naturæque impetus meos agnouit; nam ex insitis naturæ primordijs ad omnia propendebam vitia, nisi Philosophia ad virtutis tramitem me deflexisset. Erat enim Socrates capite oblongo & malè conformato, facie deformi & naso distorto præditus. Itaque natiui isti mores qui à temperamento, aut conformatione corporis defluunt, dummodò vtriusque vitia extrema non sint, vt melancholicis accidit, cohiberi & corrigi possunt salubribus Philosophiæ institutis, eruditorum librorum lectione, & hominum virtute præcellentium consortio.

Ad actionum animæ integritatem requiritur temperies & conformatio.

Historia elegans de Zopyro & Socrate.

CAP. III.

Quinam sint ij quos Melancholicos vocamus, & vt Melancholici sani ab ægris distinguendi sint.

NOn omnes ij, quos Melancholicos appellamus, miserabili illo affectu, quem Melancholiam dicimus, molestantur: sunt quidam temperamento melancholici, degentes intra sanitatis terminos, qui (si antiquitati credimus) non exiguam latitudinem amplectuntur. Vt itaque subiectũ hoc exquisita tractemus methodo, expediendæ sunt melancholicorum differentiæ, ne splendori discursus nostri nominum obscuritas aut similitudo officiat. Res est in Medica arte perspicua & euidens quatuor humores in corpore nostro contineri, sanguinem, phlegma, bilem & melancholiam, qui omni tempore, ætate, anni statu in venis mixti & confusi, licèt inæqualitèr deprehenduntur; quemadmodum enim nullum datur corpus, in quo pari pondere elementa commixta sint, neque temperamentum, in quo contrariæ qualitates quatuor in omnibus, & per omnia æquales existant; verùm vt vna reliquas exuperet necesse est: ita nullum reperitur animal perfectum, in quo humores quatuor æqualiter permixti conueniant, sed ab unius dominatu, & vbertate temperamento nomen imponitur. Cui enim sanguinis, eiusque optimi, plurimum inest, is jure sanguineus dici debet, vt cui bilis flaua exuperat, biliosus, cui atra melancholicus, cui denique pituita, pituitosus. Humores hi quatuor si justa proportione ac quantitate sint commoderati, cum integra sanitate consistere possunt, nullam enim actionibus corporis sensibilem noxam inferunt, verùm quidem est temperamentum quoduis peculiares progignere effectus, qui functiones animæ promptiores tardioresve reddunt. Plegmatici plerunque stupidi sunt & hebetes, judicium tardum omnesque nobiles animæ potentias, velut sopore mersas, ligatasque obtinent; siquidem crassa nimis est eorum cerebri substantia, vt & spiritus quos progignit, hi neque ad maioris momenti negocia suscipienda apta, neque ad nobiliores scientias capessendas habiles, sed ad lectum & culinam ablegandi sunt. Sanguinei societati & amicitiæ nati, nil nisi amores meditantur, risu delectantur & facetiis, inculpatæ sanitati & diuturnæ vitæ accommodatissima hæc est complexio, quod duobus vitæ principijs calido & humido abundet, verùm ad munia grauiora, & consilia explicatu difficilia inhabiles sunt, quod impatientes sint, neque vni rei diutius vacare, animumue intendere possint, cùm facilè per sensus ac delicias, quibus naturæ impetu addicti distrahantur. Biliosi, vtpote calidi ac sicci, subtili ingenio, & judicio ad præclara inuenta prompto ac

quatuor humores in corpore nostro sunt.

Semper humorum unus prædominatur.

Effectus humoris phlegmatici.

Complexio sanguinea ad quæ proclivis.

Biliosorum inclinatio.

expedito præditi sunt; sed profundis sese contemplationibus vix dedunt: neque committenda sunt ijs negocia, quæ longitudinem temporis aut vires corporis exquirant, quod hisce vacare nequeant corporis ac spirituum obstaculo, spiritus siquidem tenaces ac facilè dissipabiles, vt & corpus infirmum, diuturnis vigilijs non sufficiunt, adijciam quod ab Aristotele in Ethicis ipsis adscribitur, quod varietate obiectorum delectentur, ideoque consilijs grauioris momenti adhibendi non sint. Melancholici negociis grauioribus aptissimi censentur. Aristoteles in problematis prodit melancholicos cæteris ingenij acumine præstare, quod sano modo intelligendum est, cum plurimum melancholiæ species inter se varient. Est enim alia terrestris & crassa, sicca omninò ac frigida: alia calida & adusta, atrabilis nuncupata, alia est sanguine contemperata, plus tamen sicci quàm humidi obtinens. Frigida & terrestris hebetes ac stupidos reddit homines, in omni functione siue corporis siue animi tardos, timidos, desides, absque judicio, diciturque melancholia Asinina; calida & adusta furiosos homines reddit, & ad omnia munia inhabiles. Itaque non nisi illa, quæ portione medio cri sanguinis temperata est, ingenio præstantes reddit homines, alijsque iudicij acumine præcellere facit, rationes manifestæ admodum sunt. Cerebrum eiusmodi melancholicorum nec in mollitie, nec in duritie excessum patitur; licèt siccitas prædominetur. Iam verò, Heracliti testimonio, lumen siccius animam sapientiorem reddit, paucis eorum cerebrum excrementis redundat, spiritus puriores clarioresque sunt, neque facilè dissipantur, aut à sensuum impetu in diuersum abripiuntur; imaginatio subtilis est & profunda, memoria stabilis ac firma, corpus perferendis laboribus aptum, dumque hic humor vapore sanguinis incalescit, excitat speciem sancti furoris, qui Enthusiasmus dicitur, philosophiæ, poëseos ac prophetiæ effectus singulares depromens, ita vt diuinum quid sortiri videatur. Atq; hi sunt quatuor complexionum intra sanitatis limites subsistentium, effectus. Quare non de ijs melancholicis hîc nobis sermo erit, qui salubritèr degunt; verum eos describemus, qui ægri sunt & molestissimo melancholiæ affectu plurimum torquentur.

Melancholici ingeniosi.
Tres Melancholiæ species.
Cur Melancholici ingeniosi.

CAP. IV.

De Melancholiæ definitione & differentiis.

MOrbi corpus humanum infestantes denominationem sumunt, aut à parte quam afficiunt, aut à molesto eosque concomitante symptomate, aut à causa; cui originem suam acceptam deferunt. Melancholia ex vltimo fonte appellationem sortitur, quod ei hoc nomen attributum sit, quia ab humore melancholico ortus sui primordia desumit. Nos definimus cum classicis authoribus, delirium sine febre, cum metu & mœstitia, sine euidenti causa. Delirium generis nomen obtinet, Græcis aptius παραφροσύνη dicitur. Delirium aliud cum febre, aliud sine febre existit; quod cum febre aut continuum est, aut interruptum certisque ex internallis ægrum molestat, continuum Phrenitis dicitur, cuius causa est inflammatio aut cerebri & membranarum ipsius, aut diaphragmatis, quod veteres Græci φρένες indigitabant: interruptum in ardentissimarum febrium, aut tertianæ intermittentis vigore suscitatur, diciturque παραφρενίτις. Altera delirij species sine febre existens aut cum furore & rabie est, Mania nuncupata, aut cum metu & mœstitia, Melancholiæ nomen obtinens. Melancholia itaque delirium sine febre est, cum metu & mœstitia. Delirium dicimus, vbi nobilis aliqua animæ potentia velut Ratio, aut Imaginatio depravatur. Melancholicis perturbata est Imaginatio, quia plurima à ratione & consilio abhorrentia, & obiecta quæ non sunt effingunt, quibus & Ratio nonnunquam vacillat. Itaque extra omnem controuersiam melancholia delirium est, sed sine febre; quod sicci humoris sit soboles, qui vtraque qualitate, frigida nimirum & sicca, putredini resistit; adeò vt hinc veluri ex cinetibus putridus vapor, qui corpetar, & febrim accendat, exhalare penitùs nequeat. Metus & mœstitia inseparabiles miserandæ huius passionis comites sunt, ob rationes, quas capite sequenti fusius prosequemur.

Vnde nomen desumat melancholia.
Delirii differentia.
Delirium quid sit.
Cur melancholia sine febre sit.

Atque hæc est descriptio Melancholicæ Symptomatis, sine accidentis, quod refertur ad actionem læsam, imaginationem scilicet, & rationem depravatam. Accidens hoc causæ cuiuspiam effectus est, & immediatè à morbo aliquo dependet, vt enim vmbra comitatur corpus, & ab ipso defluit, in symptoma necessariò à morbo deriuatur. Medici omnes Græci causam huius accidentis agnoscunt morbum similarem, intemperiem videlicet frigidam & siccam cerebri, quare cerebrum est pars offensa, non quidem in conformatione, cùm nullus præter naturam rumor adsit, ventriculi eius neque compressi, neque obstructi sint, vt in Apoplexia & Epilepsia accidit; verùm in propria substantia ac temperamento, quod nimia frigiditate ac siccitate alteratum est, & à mediocritate deflectit. Hippocrates in Epidemijs & Aphorismis accuratè hoc animaduertit. Epileptici, inquit, fiunt melancholici, & melancholici epileptici, prout humor melancholicus ventriculos, aut substantiam cerebri occupat, vbi enim humor hic corrumpit cerebri temperiem, quam animam appellant (quod nobiliores animæ

Melancholia est morbus similaris.
Cerebrum quoad temperamentum affectum.
Quomodo melancholici fiant epileptici.

nimæ actiones temperamento adscribantur) extra controuersiam melancholiam excitat: si verò ventriculos aut meatus cerebri occupat, epilepsiam producit, dum enim ventriculi comprimuntur, & spirituum commeatus in neruos impeditur, cerebrum contrahitur, quo fit, vt & appendicem, à qua nerui omnes deriuantur, versus principium abducat, & vniuersalis illa contractio succedat. Videtur Melancholiæ descriptio exiguo hoc discursu perspicuè declarata, procedamus ad ipsius differentias quas triplici discrimine assignant authores. Prima proprio cerebri vitio obtingit: secunda per consensum totius corporis, cuius vniuersa temperies, totusque habitus melancholicus est; vltima ex hypochondrijs suscitatur, id est, à visceribus in ipsis contentis, potissimùm ab hepate, liene, & mesenterio. Prima absolutè Melancholia vocatur, vltima cùm additione hypochondriaca, aut flatulenta nominatur.

Differentiæ melancholiæ.

Prima omnium molestissima est, continuis tormentis, nullaque interposita quiete subjectum suum exagitans: hypochondriaca non vsque adeo inclementer sæuit, sed periodis certis, & inducijs nonnunquam concessis ægrum exercet. Prima pluribus est distincta malitiæ gradibus: si nihil extraordinarij obtinet, nomen non immutat: si majore corporis impetu & mentis perturbatione laborantes impellit, vt quasi feræ & immanes belluæ in obuios dentibus, vnguibus & pugnis inusitatâ rabie petulanter inuadant, Lycanthropia nuncupatur: si à violenta ac furiosa Amoris passione deriuatur, Erotica dicitur. De tribus hisce ordine instituetur sermo; sumpto exordio ab ea quæ in cerebri substantia sedem posuit.

CAP. V.

De Melancholia quæ in cerebro sedem fixit, de accidentibus ipsius: vnde metus & mæstitia, vigiliæ, terribilia somnia, aliaq; symptomata proueniant.

MElancholia ab intemperie frigida & sicca cerebri exorta immania horrendaque symptomata excitat; vt quemuis ad compatiendum meritò commovere possit, non enim corpus solum affligit; verum & animam, plus ipso corpore; torquet & afficit. Atque vt in theatrum adducam melancholici tyrannos & carnifices: metus ipsi adhæret comes indiuiduus, tantusque sæpenumero stupor eum prehendit, vt semetipsum timeat; tristitia nunquam eum deserit, suspicio insequitur: suspiria; vigilias somnia terribilia, silentium, solitudinis amor, pudor, luminis solaris horror, miserandi huius affectus accidentia sunt velut inseparabilia. Aperitur hîc nobis insignis Philosophiæ campus, in quo jucundo excursu accidentium Melancholiæ causas omnes peruestigabimus, sumpto à timore exordio. Præstantissimi Medici magnâ contentione inter se dissident, de causa huius pauoris. Galenus causam omnem refert in humoris colorem atrum, censetque spiritibus de puritate ac nitore natiuo deiectis, & substantia cerebri velut tenebrosa reddita objecta omnia tanquam horrêda offerri; & animam in perpetuis tenebris oberrare. Quemadmodum enim videmus noctem non solum infantibus, sed etiam adultis & animosioribus horrorem incutere; pari ratione melancholici, cum in cerebro continuam noctem tenebrasque circumferant, in perpetua tristitia vitam agitant. Auerroes subtilior Philosophus quàm medicus, & juratus Galeni hostis rationem hanc risu excipit. Color, inquit, timorem hunc progignere nequit, quia non nisi oculum alterare potest, & solius visus obiectum est, dum anima sine oculo nihil intuetur. Verùm in cerebro nullus est oculus, quid igitur nigredine humoris melancholici turbabitur, quam videre non potest? Accedit pro illustranda Auerrois opinione, quod tantum absit vt niger color timorem hunc in melancholicis efficiat, ut hûc ipsum præ cœteris colorib⁹ ament, & amplectãtur, inimici enim sunt luminis, & radiorũ solarium, tenebras vndiquaq; loca tenebricosa sectantur, obscura exquirunt, nocte sæpenumerò, & maiori cũ confidentia, vagantur. Prętereà Maniæ causa humor est ęquè niger ac melancholia, hanc enim progignit atra bilis perfectè nigra, & picis instar splẽdens, ut atro colore spiritus & cerebrum inficere possit. Atqui Maniaci nullatenus timidi sunt, sed potius furiosi & audaces, nullo periculo mouentur, per flammas & gladios præcipiri insania feruntur. Huc demum persuadendi necessitas ex hoc accedit, quod si color ater timidos nos redderet, albus è contra animos audaciamque adderet; cum tamen ii, quibus pituitosus humor superfluit, plerunque timidi sint. Colori itaque timoris huius causa imputanda non est, sed potiùs, inquit, temperamento humoris melancholici frigido, quod contrarios calori effectus producit. Calor enim homines audaces, agiles, & in omnibus actionibus præcipites; at frigus timidos, tardos, stupidosque efficit. Qui temperamentum frigidum ab ortu nacti sunt, formidolosi existunt. Vnde & mulieres viris, pueri adultis, senes juvenibus timidiores sunt, moresque animi temperamentum corporis consectantur. Verum enimuerò dissidentes eximios hosce autores duos inter se reconciliari, omnemq; controuersiam dirimi posse existimo, si vtraq; causa conjungatur, temperies nimirum humoris, vt primaria, & color ater spirituum, vt secundaria & adjuvans. Humor melancholicus frigidus cum sit, qualitatem hanc

Accidentiâ quæ melancholicum affligunt.

Auerroes ridet Galenum.

Ratio prima. Color non est causa timoris.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Opinio Auerrois.

 non

non solum cerebro, sed & cordi, potentiæ irascibilis & audacis sedi, impersit, eiusque ardorem infringit, vnde timor exoritur: idē humor, niger cū sit, animales spiritus, quos subtiles, lucidos & puros esse conuenit, opacos, tenebricosos & obscuros reddit, vnde cum spiritus primū sint animæ instrumentum, si atri simul ac frigidi existunt, nobiliores eius potentias, ac potissimum imaginationem turbant, species nigras eidem & objecta horrenda offerunt, quæ licèt intus condita sint ab oculo tamen conspici possunt, subtilitas hæc est, quam forsan nemo adhuc

Quod aliqua intus condita intueri possimus.

percepit, quæque pro illustranda Galeni sententia plurimùm momenti obtinet: oculus non solum ea quæ extra sunt intuetur, sed & quæ intus latent, licet externa judicet. Quibus suffusionis principia molesta sunt, ijs corpora quædam volitantia muscæ, formicæ, pili longi videntur, vt & vomentibus. Hippocrates & Galenus inter signa criticæ hæmorrhagiæ recensent spectra hæc falsa, videntur enim corpora rubra in aëre circumferri, quæ illic omninò non sunt, quod omnibus conspicua forent; vapor est quidam internus, qui crystallino pro coloris sui varietate offertur; si è sanguine oritur, ruber apparet, si à bile, flavus, quid igitur obstat, quo minus vapor humoris melancholici, & spirituum, qui omninò nigri sunt, proprio suo colore imbutus primum oculo, dein & imaginationi offeratur. Melancholicus, id quod in cerebro suo conditum est aspicere potest; sed sub aliena specie, siquidem spiritus & vapores nigri per neruuos, venas, & arterias continuo à cerebro ad oculum defluunt, qui plurimas in aëre vmbras & phantasmata repræsentant, ab oculo dein species hæ ad phantasiam deferuntur, quas cum præsentes semper habeat, perpetua formidine ac metu percellitur. Vt autem colorem atrum frigido temperamento adjungam, hac potissimum adducor ratione, quod sæpenumerò frigidum deprehendatur cerebrum, vbi neque eiusmodi timor, neque horrenda illa spectra reperiuntur. Pituita melancholico humore frigidior est, nihilominus imaginationem non turbat, quæ albedine sua substantiæ cerebri conformis sit, & colore claritateque spiritibus; humor autem melancholicus penitus ei inimicus &

Humor melancholicus spiritibus nostris omnino contrarius est.

contrarius est. Spiritus nostri frigus & tenebras, vt hostes capitales auersantur, vbi frigus percipiunt, ad interiora retrocedunt, imminentibus tenebris ad arcem refugiunt, extrema corporis deserunt, & somnum inducunt. Humor melancholicus vtrumque obtinet, frigus & tenebras, quare mirum non est, si nobiles animæ potentias obturbat, quum inficiat & velut denigret princeps eius organum, spiritum, qui à cerebro ad oculum, & ab oculo ad cerebrum vicissim commeans spectra illa nigra efformat & animæ continuè representat. Atque hoc primum est melancholicorum accidens: in continuo versantur metu, timent omnia, etiam tutissima quæque, excordes sunt, inimicos honore afficiunt, amicos despiciunt, mortem formidant, eamque nihilominus (quod admiratione dignum est) frequenter desiderant, vt semet-

Sæpius maniaci quàm melancolici mortem sibi consciscunt.

ipsos præcipiti jactu dejiciant; sed tum in desperationem abit timor, hocque maniacis frequentiùs quàm melancholicis accidit. Rara sunt exempla verè melancholicorum, qui sibimetipsis violentas manus intulerint, sed furiosorum, quidem magni nominis virorum quamplurima. Empedocles Agrigentinus furore percitus in flammas Ætnæ montis se præcipitauit. Ajax Telamonius mente alienatus, quod in armorum Achillis petitione repulsam passus fuerit, & Græcorum judicio Vlyssi cesserint, furiosa cæde in bestias debachatus est. existimans se Vlyssem eiusque socios interimere. Cleomenes insanus propria claua sibi vitam ademit. Orestes postquam Clytemnestræ matri suæ violentas manus intulit & matricidio se polluit, mania vsque adeò horrenda exagitatus fuit, vt nisi sollicita Pyladis integerrimi amici custodia seruatus fuisset, centies præcipitio sibi mortem consciuisset. Quare frequentiùs accidit, vt maniaci quàm melancholici manus sibi afferant.

Cur melancholici tristes sint.

Secundum accidens quod plerunque melancholicos infestat, tristitia est, lacrymantur, lugent & dolent, causam ignorantes, videtur intemperies humoris tristitiæ huic originem præbere, quemadmodum enim lætitia ex calore & humore moderatis proficiscitur, ita tristitia contrarijs qualitatibus, quas humor hic obtinet, procreatur. Sanguinei vtplurimum læti hilaresque sunt, quod calidi & humidi commoderata mixtione potiantur, biliosi anxij & acerbi, quod calorem obtineant siccum & velut acrimonia quadam pungentem, melancholici timidi, morosi, & caperatæ frontis, quia frigidi & sicci sunt. Ita miser ille Bellerophon, hinc inde vagabundus, loca deserta planctu & lamentis complebat. Et Heraclitus Philosophus Ephesius in perpetuo viuebat fletu, quod, vt Theophrastus testatur, melancholicus esset, hoc & scripta eius confusa, & velut atra obscuritate obducta attestantur.

Quare melancholici suspiciosi.

Suspicio dicta duo accidentia velut è vestigio insectatur, melancholicus semper suspicatur, vbi duos aut tres sermonem conferentes cernit, de se putat omnia dici. Causa suspicionis est timor, & judicij siue discursus deprauatio, cum enim perpetuo sibi timeat, insidias sibi strui, aut mortem intentari veretur. Melancholici (teste Aristotele) errant plerunque in rebus, quæ ab electione dependent, quia frequenter propositiones vniuersales, in quibus honestum consistit, ex memoria deponunt, & stultæ imaginationis suæ impetus consectantur.

Cur inquieti.

In perpetua corporis & animi inquietudine versantur, interrogati respondere nequeunt,

& variata

& variata discursuum vice inconstantiam produnt. Inquietudinem profert diuersitas obiectorum, quæ sibi proponunt, dum enim species omnes recipiunt, easque sub forma inconnenientis & noxij sibi imprimunt, sæpe variare & nouas scrutari species coguntur, quæ nihilò prioribus acceptiores, inquietudinem hanc alunt & sustentant.

Melancholici frequentèr suspirant, quod anima phantasmatum varietate impedita respirationis obliuiscatur, vt dein in natura tantum aëris vno spiritu attrahere cogatur, quantum duabus aut tribus spirationibus adduxisset, diciturque hæc maior respiratio, suspirium, quod velut duplicatus est anhelitus. Idem omninò accidit amantibus, atque ijs quibus animus profunda aliqua contemplatione distinetur; maximè verò bardis ac stupidis, in elegantis alicuius picturæ aspectu defixis, qui insigni suspirio anhelitum reparare coguntur, voluntate scilicet (respirationis causa effectrice) distracta, & in sola imagine intuenda occupata. *Cur sæpius suspirent.*

Est & aliud molestissimum accidens melancholicorum vires corpusque atterens, continuæ nimirum vigiliæ. Vidi qui trimestri integro spatio insomnes perstiterunt. Harum vigiliarum causas facilè deprehendemus; si somni originem perscrutabimur. Causas eius numerant, materialem, finalem, formalem, & instrumentariam. Materialis suauis est vapor, qui à prima & secunda concoctione eleuatus madore suo neruos relaxat ac obstruit, & vacationem quandam, feriarum vice sensibus ac motui inducit. Finalis est spirituum reparatio, quibus per vigilias supra modum disperditis ac dissipatis, ne agitationis vigor prolabatur, quietem sufficì necesse est, quæ sanè obtineri nequit, nisi anima functionum omnium opifex tranquillitate aliqua potiatur: *Cur vigiles & somnum capere nequeant.* *Causa somni.*

Sic animi infelix turbatur Dido, nec vnquam
Soluitur in somnos, oculi siue aut pectore somnum
Accipit.

Forma somni consistit in reuocatione spirituum, & caloris natiui à partibus exterioribus ad internas, sine à circumferentia ad centrum. Instrumentaria est cerebrum, quod temperatum esse decet; si enim calidius sit, vt in phreneticis, aut siccius, vt in decrepitis, placidum obrepere somnum impossibile est. In melancholicis materia deficit, anima quiete non fruitur, cerebrum malè dispositum est, materia est humor melancholicus, cineris instar siccus, vnde suauis benignusque vapor eleuari nequit, cerebrum intemperatum est penitusque resiccatum, anima perpetuis turbis agitatur; siquidem timor horrendis spectris eos continuè affligens arrodensque à jucunda somni fruitione excludit. Quod si somno aliquo prehendi contingat, molestus vsque adeò & spectrorum somniorumque turbulenta concursione horrendus est, vt vigilias huic quieti præferant. Causa eiusmodi somniorum est humoris proprietas, vt enim phlegmatico plerumque in somno obuersatur aquarum eluuies, bilioso incendium; ita melancholico funera, sepulchra, funesta omnia, siquidem imaginationi offertur species humori similis, quà dein memoria suscitatur: aut spiritus obscuri, & atro colore penitùs imbuti per cerebrum volitantes, & vsque ad oculum elati, tenebricosa & opaca omnia phantasiæ repræsentant. *Causa vigiliarum in melancholicis.* *Causa terribilium somniorum.*

Præterea Melancholici solem oderunt, lucem fugiunt, quod spiritus & humores luci omninò contrarios obtineant. Sol lucidus est & calidus, melancholicus humor ater & frigidus. Dein hominum consuetudinem conspectumque magnoperè fugiunt, ne aliorum præsentia ab imaginatione, quam sibi fingunt & refingunt, distrahantur, peratttenti sunt, ob spiritus crassos & velut immobiles. *Cur tenebras ament.*

Oculos fixos ac velut immotos gerunt, ob frigus & siccitatem organi, tinnitu aurium vexantur, vertigine nonnunquam corripiuntur, &, vt notat Galenus, mirum in modum silentium amant, ac sæpè loqui nequeunt, non linguæ vitio, sed nescio qua pertinacia demum insolenti & absurda imaginarione detenti particulare aliquod obiectum effingunt, quod non nisi temporis successu oboletur. *Causa silentii.*

CAP. VI.

Vnde proueniat diuersitas particularium obiectorum, in quibus Melancholici à ratione aberrant.

MElancholicorum imaginatio, prò diuersitate subiectorum, adeò differentes producit effectus, vt vix quinque aut sex è decem millibus eodem delirij genere hallucinentur. Nam (quod veteres litteris prodiderunt) vt vinum potantium naturæ & motibus, ita sanè melancholia laborantium constitutioni se accommodat. Vinum alijs risum, lacrymas alijs mouet, alios plumbeos ac somnolentos, inquietos alios ac furiosos reddit, pari ratione melancholia diuersis modis imaginationem percellit & obturbat. Talem nimirum sese repræsentat melancholica deliratio, qualis est dispositio corporis, aut qualis maximè olim fuerit cuiusque intenta cogitatio, vitæ conditio. aut occulta quæuis alia causa. Dispositio corporis similia *Comparatio vini cum humore melancholico.* *Vnde spectrorum hæc diuersitas.* *Prima causa.*

similia repræsentat obiecta, aut parum sanè dissentanea, præsertim si occasio id est, causa externa, accedat. Temperamento extremè sicco prædìti, si contemplentur fictile aut vitrum (obiecta satis frequentia) fictiles se ac vitreos æstimabunt, si lumbrici intestina occupent serpentem, viperam, aliudve animal in ventre delitescere imaginabuntur, qui flatu ac vento distenduntur, volare sibi, & in aues transformari videbuntur, si congesta seminis copia irritat, furioso impetu fœminas consectabuntur, harumq́; solæ species perpetuò oculis obuersabitur. Cur autem & vnde accidit, vt tam multiplex & inaudita specierum copia melancholicis obuersetur? vnde nam tanta illorum varietas tanta habitur? hæc ipsa, meo judicio, non alio sanè potest referri, quàm eò quo & spectra dormientibus obuersantia, ad corporis nimirum humorumque affectionem variamque perturbationem. Nam quæ perturbatio corporis aut spiritibus, aut humoribus obrigerit, causa est omninò, vt spectra & effigies rerum vehementius agitatæ appareant, non quales veræ sunt, sed distortæ, præposteræ, & portentosæ. Hoc tamen discriminis inter melancholicorum deliramenta, & somnia intercedit; quod quæ rerum simulacra sanis dormientibus offeruntur, prætetlabuntur, & ob fluxam leuemq́; essentiam non subsistunt: verùm in melancholicis, quoniam cerebrum mala jam habitudine affectum est, & imagines in humore sicco & terrestri, ideoque solidiore, impressæ sunt, firmiter subsistunt, neque ita facilè euanescunt.

Secunda causa diuersitatis spectrorū. Snnt & aliæ melancholicorum imaginationes, quarum origo non est adscribenda dispositioni corporis; sed vitæ generi, ac studio cui se magis addixerunt. Magnam enim vitę hominum conditio, moresque varietatem subeunt, dum hic auaritia pallescit, ille ambitione inflatur, alius amore æstuat, alius ad deuotionem procliuis est. Quamobrem hic humor obiecta vitæ conditioni, & actionibus consuetis affinia phantasiæ imprimet, si ambitiosus melancholia laboret, Regem se, Imperatorem, ac Monarchum factum imaginabitur: si auarus omne delirium in auri argentique redundabit aceruos: si deuotus, nil nisi preces mussitabit, nec templa vnquam deseret: si amoribus deditus, non aliam quam amatæ ideam effinget, eiusq́; umbram stolidè consectabitur. Idem de iis esto judicium, qui lites litibus attexunt, & jurgijs forensibus pugnaque vmbratili delectantur, aut qui alteri cuipiam studio, dum incolumi fruerentur valetudine, acriùs addicti fuerunt.

Tertia causa. Denique in quibusdam melancholicis imaginationes vsque adeò distortæ ac monstrosæ deprehenduntur, vt neque dispositioni corporis, neque vitæ conditioni adscribi possint, vnde abstrusa est penitusque recondita, & velut mysterio obuoluta eorum causa, vt veteres θεῖόν τι, diuinum quid, in hoc humoris genere annotauerint. Rases & Trallianus litterarum monumentis prodiderunt, vidisse se complures melancholicos, qui ea, quæ post verè acciderunt, prædixerint. De Arabum familia Medicus quidam venatori perito melancholicum comparat. Quemadmodum, inquit, venator dexter antequam ictum laxet, & arcum remittat, bestiam sibi certò prostemendam pollicetur: ita melancholicus præcipiti imaginatione sæpè futura, ac si præsentia essent præuidet. Legimus Marcum quendam, aliumque Melanthium Syracusanum post melancholiam præclaros euasisse poëtas. Auicenna de melancholicis peculiare hoc annotat, quod res adeo insolentes ac stupendas præstent, vt à malo dæmone obsessi videantur. Quot sunt ætate nostra summi viri, qui difficulter adduci possunt, vt vetulas illas veneficas igni adindicent, quod non nisi ab humore melancholico deprauatas illas imaginationes, & vanas earum impressiones prouenire censeant? Verum in hisce diutiùs insistere esset hominis otio abutentis. Concludamus itaque diuersitatem obiectorum, quæ melancholicus sibi imprimit, prouenire aut à dispositione corporis, aut à studio vitæ, aut à causa aliqua supernaturali. Quibus verò difficile est omnes hasce rationes animo complecti, intelligent eas, meo judicio, si exiguum hunc discursum perlegere collibuerit, qui & subiectum hoc egregiè illustrabit, neque propositi nostri limites transgredietur.

Melancholicus perito Venatori comparatur.

Conclusio.

Melancholicis idem quod somniantibus accidit, & easdem vtrinque causas deprehendimus, cum melancholia ac somnia circa imaginationem versantur. Iam verò somniorum tres statuimus differentias: sunt enim naturalia, animalia, & supernaturalia. Naturalia humoris dominantis naturam sequuntur: biliosus non nisi ignem; prælia, incendia somniat: pituitosus perpetuò se aquis immersum judicat, somniorum hæc cognitio Medico cumprimis necessaria est, vt hac duce ad temperamenti ægrotantis notitiam perueniat. Hippocrates elegantem de insomnijs libellum conscripsit, quem insigni commentario illustrauit Iulius Cæsar Scaliger. Galenus alium posteritati reliquit, in quo docet per somnia naturalia euentum morborum prædicere. Quibus per sudores, inquit, crisis futura est, ij per somnia aquæ tepidæ, aut placido alicui flumini innatare sibi videntur. Fuit qui coxam in lapidis duritiem concreuisse somniauit, & à somno excitatus in eiusdem coxæ paralysin se incidisse deprehendit. Alterum genus eorum est, quæ animalia appellamus, quæ ex animæ affectionibus proueniunt, his ea quæ interdiu quis exercuerit, & sensu vel ratione comprehenderit, obijciuntur. Huius generis frequentissima sunt, quodque maiori affectu interdiu vidimus animo agitauimus, aut in discursum artulimus

Tres somniorum differentiæ.

Somnia naturalia.

Animalia.

rulimus, ea potissimum noctu obuersantur. Piscatori, ait Theocritus, pisces, lacus, retia in somnis offeruntur: militi classicum, tubarum tympanorumque sonitus, & vrbium expugnationes: amatori amores tota nocte animum pulsant, & exagitant. Vltimum somniorum genus est supra naturam, supra omnes sensus, & intellectum humanum, hæc aut diuina, aut diabolica sunt; diuina à DEO immittuntur, vt futura prænunciet, & abscondita mysteria reuelet, talia fuerunt in veteri testamento somnia Abrahami, Iacobi, Iosephi, Salomonis, Nabuchodonosoris, Pharaonis, Danielis, Mardochæi: & in nouo sancti Iosephi, trium Regum Orientalium & sancti Pauli. Diabolica sæpenumerò actu & fallacia mali genij immittuntur, qui circuit quærens quem siue vigilantem, siue dormientem in prædam abripiat. Frequenter insolita, & ipsi naturæ abstrusa reuelat, & infinitis vanitatibus imaginationi nostræ illudit. Quod de somnijs, idem de melancholicis asserere possumus. Imaginatio eorum triplici turbatur ratione, nimirum aut à natura, id est, à temperamento corporis, aut ab anima violenta nimirum passione aliqua, cui mordicus adhærent agitata, aut per immissionem malignorum spirituum, qui & futura prænunciare faciunt, & stupenda turbatione imaginationem deprauant. *Supernaturalia.* *Diuina.* *Diabolica.*

CAPVT. VII.

Historiæ de admirandis quorundam Melancholicorum imaginationibus.

HActenus accidentia Melancholicorum, quibusne è causis eorum varietas prodeat, fusa oratione complexi sumus: superest vt delectando lectori proponamus exempla eorum, qui stulta & ridicula admodum imaginatione delinij sui effecta prodiderunt; quæ singula è Græcorum, Arabum, & Latinorum, ac propria nostra obseruatione decerpemus. Galenus libro tertio de locis affectis tria aut quatuor recitat notatu admodum digna. *Historiæ admirabiles.*

Quidam melancholicus se figulinum vas factum putabat, atque idcirco sui præcauens *Prima.* collisionem, cedebat obuiantibus. Alter gallos cantare audiens, vt hi ala-um ante cantum, *Secunda.* sic ille brachiorum plausu latera quatiens, animantium sonum imitabatur. Timebat alius sui *Tertia.* aliorumque perniciem ex mundi ruina, quod Atlas iuxta Poëtarum figmenta ipsum sustinens, sub tanto onere languescens, ipsum à se excuteret suamque ceruicem deponeret. Ætius meminit cuiusdam qui se capite carere asserebat, quod ob tyrannidem sibi amputatum opinabatur, hunc subtilis & arguta Philotimi Medici inuentio pristinæ restituit sanitati, nam plumbeo pileo capiti repentè imposito & grauitatem sensit, caput se recepisse exclamauit, gauisusque plurimum vana imaginatione liberatus est. Quidam mulierem curauit, Tralliano referente, cum putaret illa serpentem se deuorasse, vomitum medicamento citando, atque in id quod reiectum fuit paruam bestiam, per omnia descriptæ vanæ imaginationi feræ similem, imponendo. Studiosus quidam dum litteris operam daret, præpostera imaginatione sibi persuasit, ea longitudine sibi nasum excreuisse, vt verens, ne vndiquaque impingeret, loco se mouere non auderet, quandoque magis alij opinionem hanc eximere nitebantur, tantò magis in stolida persuasione sua persistebat. Tandem Medicus prægrandi frusto carnis assumpto, ac penes se abscondito, subitam ei mali sublenationem pollicitus est, tollendumque præ-longum illum nasum asseruit, & compresso paulisper naso simulato ictu, & ostensa illa carne, velut naso amputato, illum refellit. Arthemidorus Grammaticus viso crocodilo tanto terrore perculsus fuit, vt omnium, quæcunque sciuerat obliuisceretur, adeoque firmiter sibi persuadebat brachio vno, ac crure priuatum se esse, vt hanc ei conceptam phantasiam nemo adimere potuerit. Quamplurimi reperti sunt melancholici, qui se mortuos existimabant, neque ad cibum capiendum cogi poterant: Medici vt ad cibum sumendum eos inducerent, hoc vteb-ntur artificio. Collocabant in lecto penes ægrotum seruum aliquem, qui se mortuum fingebat, nihilominus si quid ori ingerebatur, deuorabat, hocque astu melancholico persuadebant, mortuos non minus quàm viuos manducare, & appositis alimentis vti. Non ita pridem visus est, qui se omnium mortalium miserrimum asserebat, quod nihil esset. Quidam magnæ autoritatis vir vitreum se esse putabat, & in hoc solo imaginatio eius hallucinabatur: de cæteris rebus singulis magno cum judicio discurrebat, diffidebat plerumque, & amicorum visitatione ac consortio plurimùm gaudebat, verùm ne propius ad se accederent obnixè rogabat. Degit adhuc in viuis insignis vir, & Poëta Regni Franciæ eximius, qui paucis abhinc annis ridicula & inaudita deluditur imaginatione: Cum incendijs febris continuæ æstuaret, Medici præscripserunt vnguentum aliquod narcoticum, quod populneum dicunt, hoc vnguentum naribus, fronti, & temporibus affricabant. Ab eo tempore tanto odio prosequitur populneum, vt quicunque ad se accedit, vnguentum hoc olere censeat; neminem nisi à longè sibi loquentem admittit, si quis vestes attigerit, mox eas abijcit, neque vt ampliùs eas gestet, induci potest, nihilominus benè de omnibus discurrit, neque desistit Gallica poësi nominis sui famam commendare immortalitati. Tentatum hactenus modis omnibus tam *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.* *Decima.*

stultam

stultam ei persuasionem eximere, exhibita fuit vnguenti descriptio, ut ostenderetur nihil in eâ periculosi contineri, scit ira esse, assentitur hoc declarantibus; tamen vsque adeò pertinaciter obiectum hoc ipsi impressum est, vt nemo oblirerate quibuscunque rationibus possit.

Duodecima. Areteus libro primo de morbis longis refert, se vidisse melancholicum, qui se lateritium opinabatur, adeò vt potum omnem, ne liquore dissoluereтur, respueret.

Decima tertia. Alius pedes se vitreos habere imaginabatur, neque progredi audebat, ne pedes rumperentur metuens.

Decima quarta. Ferrariensis pistor se ex buryro compaginatum jurejurando affirmabat, nulloque pacto igni vel clibano appropinquare volebat, expauescens futuram corporis colliquationem.

Decima quinta. Maximè ridicula ex omnibus quas legi, de Senensi quodam nobili delirationis inauditæ historia, cui nullo modo persuaderi poterat, vt urinam redderet. Ajebat enim si minxisset, totam urbem diluuio perituram; quem ad lotium excernendum eleganti commento medici perduxerunt. Namque injecto in vicinam domum igne, & pulsantibus campani ad insanientem famulos ac domesticos dimiserunt, magno incendio vrbem conflagrare nnnciantes, enixeque rogantes, vt reddita vrina ciuitati semiconcrematæ opem ferret, flammis cuncta vastantibus (quod vnicum auxilii genus superesse asserebant) lotij sui copia extinctis. Commento hoc persuasus miser ille melancholicus, ne perderet ciuitatem omnē, reddidit ad restinguendum incendium quicquid vesica contentum seruârat, sicque integram corporis valetudinem recuperauit.

Comunia sunt eorum deliria qui se Reges, Imperatores, Monarchas, Pontifices, Cardinales factos asseuerant; rariora enim hîc solùm percensere instituti nostri est. Atque hæc de melancholia, quæ sedem suam in cerebro obrinuit, quamque produxit intemperies frigida & sicca, siue materiam comitem adsciscat, siue sola persistat. Sequitur interdum morbos cerebri calidos, vt phrennidem, febres ardentes, rumque rubicunda apparet facies. Notat Auicenna balbos, & qui oculos habent mobiles, labra spissa ac magna, hirsutos & nigros venis amplis præditos affectui huic magis esse obnoxios. Tristitia, pauor, profundæ meditationes, intensæ cogitationes & curæ, victus ratio crassa, & melancholico humori gignendo idonea, sæpenumero hunc morbum protulerunt.

CAP. VIII.

Victus ratio Melancholicis, quorum affectus in cerebro fixus est, accommodata.

Quantum in morbis longis diæta utilitatis præstet. Occurrit hîc mihi quod antehac in Aretco legi, in morbis inueteratis, quiq; habitudinem in corpore protraxerunt, plus commodi ab accurata diæta, quàm è preciosissimis officinarum pyxidibus erui. Princeps Arabum Auicenna monet, neglectam victus rationem optimam corporis constitutionem de sanitaris statu dejicere; è contra hanc sedulò obseruatam pessimam emendare, & in integrum restituere posse. Quare melancholiæ curationem ab hac ipsa exordiemur.

Aër. Eligendus est aër in activis qualitatibus temperatus, in passiuis humidus. Talis reddi potest arte, sparsis per cubiculum floribus rosarum, violarum, nymphææ, aut in eo vase constituto aqua tepida pleno, quod humore suo aërem imbuat. Fumus in cubiculo excitatur de floribus arantiorum, corticibus citri, & pauca styrace. Locus in quo decumbit æger clarus sit, & Orientem respiciens: aër crassus, obscurus, tenebricosus, foetidus, plurimùm est aduersus, licèt eum sedulò sectentur melancholici. Objicienda sunt aspectui rubra, flaua, viridia, alba.

Cibi. Cibi rationem quod attinet, ablegandi sunt crassi, viscidi, flatulenti, & atrum succum vel gignentes, vel genitum exacerbantes, quæque difficilis concoctionis sunt.

Panis. Panis sit ex frumento optimo, puro, & à furfure repurgato, sine sale, & si fieri potest cum aqua pluuia aut fontana præparatus.

Carnes. Carnes eligendæ iuniores vt vitulinæ, hœdinæ, veruecinæ, gallinarum, perdicum. Fugiendæ vetustiores & crassi succi, quales bubulæ, porcinæ, leporinæ, auium in aquis degentium, & ferinæ omnes, vt aprugnæ, ceruinæ ac similes. Galenus damnat carnes hirci, tauri, asini, canis, cameli, vulpis: sed frustra earum esu nobis interdicit, siquidem ad has cupedias nemo facilè animum adijciet. Arabes laudant pro melancholicis cerebrum animalium, ob nescio quam proprietatem. Verùm ipsis assentiri nequeo, quod stomacho negotium facessat, videnturque plurimas superstitiones scriptis suis inseruisse.

Pisces. Pisces è stagnis, marini carnis crassæ & melancholicæ, vt sunt rhunnus, delphinus, balæna, vitulus marinus, & squamosi omnes in hoc affectu vitandi omninò sunt. Commendantur pisces in limpidis ac profluentibus aquis degentes. Sale condiri penitùs inutiles sunt.

Conueniunt oua gallinarum recentia, tremula & sorbilia, cū succo acetosæ, aut ompbacio.

Necessarius

Necessarius est admodum jusculorum usus, quod siccus hic humor conuenienti humiditate ad temperiem sit reducendus. *Iusculæ.*

Iusculis incoquatur borrago, buglossum, pimpinella, endiuia, cichorium, lupulus & nonnihil melissæ. Cauendi sunt caules, beta, eruca, nasturtium, rapum, porrum, omnesque herbæ amariores & acriores. Hordeum mundatum, amygdalæ, & conuenienter apparatæ pulticulæ, dulces & benignos vapores ad cerebrum transmittendo, plurimum commodi afferunt.

Abstinendum à leguminibus, pisis, fabis & lentibus. *Legumina.*

E fructuum serie admittimus pruna, pyra, mala granata dulcia, amygdalas, vuas, nuces pineas, mala citria, melones & præ omnibus poma, quibus mira est insita proprietas frænando, ac moderando humori melancholico. Prohibemus è contra ficus siccas, mespila, sorba, castaneas, nuces, cinaras, carduos, & caseum veterem.

In Potu præscribendo in diuersas medici abeunt sententias: alij vinum concedunt, alij eius vsum, ceu, noxium, reijciunt. Mea fert opinio Maniacis, ijsque quibus hypochondria plurimo æstu feruent, aut cerebro calidiore præditi sunt, vinum omninò perniciosum esse; verùm melancholicis frigidis & siccis, de quibus hîc nobis sermo est, vinum tenue, album clarum, quod nec dulce, nec crassum, sed mediocriter temperatum sit, magno emolumento concedi posse censeo. Zeno existimabat mores hominum mitescere vino, vt lupinos, aqua, & Auerroes vinum animam & Spiritus exhilarare attestatur. *Potus*

Autumni tempore parari potest vinum artificiale ex borragine & buglosso, melancholiæ apprimè vtile, de quo primus haustus, siue in prandio, siue in cœna sumi potest. Cui sapor huiusce vini aduersus est, fasciculum ex floribus ac herba borraginis in vinum potui ordinario destinatum inijciat. *Vinum artificiale.*

Vigiliæ passioni huic penitus inimicæ sunt, quare somnus omni ingenio prouocandus est, quod capite sequenti planiùs ac pleniùs exequemur. *Vigiliæ.*

Exercitia moderata plurimùm seruiunt, sed in loco hilari ac delicato obenndà sunt, vt in hortis, pratis, viridarijs, fontibus acriùs irriguis, neque tamen ad lassitudinem exercitium producendum, sed crebra quiete interpellandum est. *Exercitia.*

Melancholici nunquàm soli dimittendi sunt, sed recreandus animus ex iucundarum personarum conuersatione, quæ non modò grato aspectu, sed & sermonis lepore patientem exhilatent: moderata quadam adulatione nonnihil eius quod volunt concedendum est, ne humor nam[?] sua pertinax & rebellis penitùs efferetur. Nam si concepta de re quapiam sollicitudo, tristitia, aut angor morbo causam dedit; tum si liberum sit res ad ægrotantis votum componere, aut saltem confingere, sæpè vel istud solum affectioni propulsandæ sat erit; plurimi namque cum vidissent andiuissentuè ea, quæ consequi desiderabant, sanitatem recuperarunt, nec mirum si sit profligando morbo potens animi pathema contrarium ei, quod eundem genuit. Interdum ob stolidam imaginationem obiurgandi sunt, exprobranda ignauia, afferenda eis quanta potest fiducia, laudandæ eorum actiones, & si quid aliàs commendatione dignum præstiterunt in memoriam reuocandum est, nihil proponendum, quod timorem incutiat, neque tristibus nuntijs molestandi sunt, & vt paucis dicam, omnis animi affectus, potissimum ira, timor, tristitia præscindi debet, nam vt Plato in Charmide testatur, maxima pars malorum corporis ab anima proficiscitur. Veteres ad omnem melancholiæ speciem; seu calori, seu frigori iuncta sit, præ alijs Musicam extollunt. Arcades inconditos & rudes hominum mores musica reformabant. Empedocles Agrigentinus furiosum adolescentem suauitate cantus sui persanauit. Clinias Musicus quàmprimum impetus melancholiæ persentiebat, apprehensa lyra primos humoris huius motus compescebat. Dauid vbi spiritus malignus arripiebat Saulem, percutiebat citharam, & suaui hoc sono refocillabatur Saul, leuiusque tecedente spiritu malo habebat. *Passiones animi.* *Musica melancholiæ temperandæ apta.*

Aluus lubrica sit in quouis affectu melancholico, ideoque omni artificio sollicitanda.

CAP. IX.

Curatio Melancholiæ in cerebro sedem obtinentis.

Experientia & rerum euentu indies docemur, morbos melancholicos rebelles, longos, & curatu difficiles esse. Ratio in promptu est, quia humor melancholicus terrestris est & crassus, luci inimicus, contrarius primis vitæ nostræ principijs, calori scilicet & humiditati refractarius, & ad remedia pertinax, qui consilium aut præcepta Medicinæ non audit, verum denique Medicorum flagellum, tormentum, & opprobrium. Aristoteles libro septimo Ethicorum refert, Melancholicos continuè à re aliqua morderi & pungi: vnde perpetuò ad Medicos currunt, opem implorant, nec sine remedio dimittendi sunt. Præsidia artis Medicæ magis exquisita, & veram methodum curandi Melancholiam hoc capite proponam. *Melancholia omnis contumax & curatu difficilis.*

Affectionis huius medela in tribus, meo iudicio, consistit, in euacuatione, alteratione, & confortatione. Remedia euacuantia sunt venæ sectio & purgatio. Venæ sectionem præscribit Galenus in ea melancholiæ specie, quæ sedem suam in venis obtinet, vniuersumque corporis habitum occupat, monetque vt si bonus à secta vena subtilisque prodeat, continuò supprimatur. Verùm in melancholia ex atro succo in solo cerebro redundante, & ab intemperie frigida & sicca exorta phleboromiam seuerè prohibet. Arabes pro curanda hac melancholiæ specie præ reliquis commendant particulares sanguinis euacuationes è vena frontis, narium, aurium, cucurbitulas cum scarificatione humeris applicant, hirudines capiti admouent, & in omni melancholia, siue proprio affectu, siue per consensum pronata hæmorrhoides referant, inducti Aphorismo vndecimo libri sexti, qui melancholicis ac maniacis per varices & hæmorrhoides salutem pollicetur. Verùm enimverò particulares hæ sanguinis euacuationes in morbi huius initio locum habere nequeunt. Alia enim vacuandi corporis ineunda est ratio in affectus huius primordijs, nimirum per purgationem, quæ institui potest per clysteres frequentes, potiones, syrupos, opiacas: formula clysteris ordinarij talis sit.

Tria remediorum genera pro melancholicis. Euacuatio. Venæ sectio vniuersalis. Particulares venæsectiones

Purgatio. Clyster.

Rec. Radic. bismaluæ vnc. ß.
Fol. maluæ mercurial. violar. lupulor. an. M. j.
Sem. anis. lini an. drach. ij.
Bruna damasc. N. xij.
Flor. Borrag. violar. Hordei. an. P. j.
bulliant in s. q. aq. collat. adde
Cassiæ vnc. j. Diacathol. vnc. ß.
Ol. violacei, Mellis rosat. an. vnc. ij.
M. fiat clyster.

Arabes vtuntur pilulis de aloë, de hiera, de lapide Lazuli: verùm hæc forma non ita, vt liquida, mihi arridet, quare melius est potiones in vsum ducere, cuiusmodi est quæ sequitur, quæ morbi initio minoratiui loco exhiberi potest.

Potio minoratiua.

Rec. Rad. liquirit. vnc. ß.
polypod. querc. drach. iij.
Fol. borrag. buglos. melis. lupulor. an. M. j.
Sem. anis. citri an. drach. j.
Sennæ Orient. drach. iij.
Flor. iij. cord. an. P. j.
bulliant. in s. q. aq. ad vnc. iij in his macera per noctem.
Rhabarb. el. drach. j. ß.
mane in expresso dissol. Syr. ros. sol. de pom. an. vnc. j.
m. f. potio, sumat mane, nec libero. aëri se exponat.

Sunt qui dimidiam vnciam sennæ in iusculo pulli decoctam exhauriant. alij cassiæ vnciam sumunt, aut infusum & expressum drachmarum decem Diacatholici.

Præmissa hac leui purgatione, reliquiæ humoris apparandæ sunt, nam primo veluti ictu velle humorem huncextirpare, quod Empiricis in more positum, est ægrum in præmaturam mortem præcipitare. Attenuandus itaque est, humectandus, ac emolliendus: ac decreto Hippocratis hic standum, qui docet corpora cum quis purgare volet, fluida prius facienda esse, cui præparationi Apozemata & Iulepi deseruient.

Apozema.

Rec. Rad. buglossi elenij Cort. rad. capparum tamarisci an. vnc. j.
Fol. borrag. lupulor. cichor. fumar.
Capillor. Ven. Summit. thymi Melissæ an. M. j.
Sem. anis. fœnic. citri an. drach. ij
Flor. trium cordial. arantior. Epithymi an. P. j.
bulliant in s. q. aq. ad lib. j. ß colat. adde
Syr. de lupulis de fumar. an. vnc. ij
fiat Apozema clarificatum. cui affletur aroma per Cinnamo. aut spec. El. de gemmis drach. j. sumatur mane diebus quatuor continuis.

Humor hac ratione præparatus euacuari potest descripta modò ratione, addito diacatholico, aut confectione hamech, melancholico humori expurgando peculiariter dicata; aut apozemate modò exposito olijs; Sennæ, & polypodio additis alternatim præparetur, educaturque peccans materia. Quod si rebellis admodum sit & contumax, ad validiora re pharmaca accedere coget humor euacuationi multum resistens. Rex Ptolemeus in melancholia curatu difficili exhibebat hieram logadij; sed hiera impensius siccat. Arabes laudant pilulas de lapide Lazuli, Indas, de fumaria, & de lapide armeno, sunt qui excellentem apparent puluerem, huic scopo destinatum, formula sequenti.

Medicamenta fortiora pro educendo hoc humore.

Pulvis purgans.

Rec. Lap. Lazuli aq. violar. accuratè loti vnc. j.

Sennæ Orient. unc. ij.
polypod. querc. unc. j. sem.
Sem. anis. citri an. drach. ß
4. sem. frig. maior. drach. ij
Flor. Sambuci drach. iij.
m. f. pul. Dosis scrupuli iiij.

Consensu unanimi Græci & Arabes Medici in pertinaci ac obstinato hoc malo helleborum præscribunt: verum id magna cautione faciendum est, scilicet in decocto aut infuso, sitq; helleborus niger accuratè selectus, siquidem pharmacopæi non rarò pro helleboro nigro obtrudunt speciem aconiti admodum perniciosam; albus omninò hic rejiciendus est, neq; quidquā helleboro admiscendum est, quod adstringendi facultate prædium sit, cuius generis myrobalani sunt, ne diutiùs adstrictoria eiusmodi vi in ventriculo detineatur. Proprietas hæc hellebori etiam poëtis innotuit, quod melancholicos aut insanos plerunquè Anticyras ablegent, insulam scilicet eximij hellebori feracissimam, & Homero Odissea secunda teste; Melampus insignis Medicus tres filias Preti helleboro restituit, quæ eleganti formâ Junoni se conferentes insania punitæ fuerunt. Præparatum antimonium aliquibus commendatur, mihi eius vsus minimè familiaris, imò suspectus, ob corrosiuas deleteriasque in ipso latentes particulas, ob quas ipsum sinistro quandoque euentu ab aliis exhiberi vidi. Prætulerim benigniora, sæpiusque repetita remedia, vt syrupum aliquem magistralem, aut Opiatam, Syrupus confici potest ex succo borraginis, buglossi, pomorum redolentium cum senna: aut ducatur in vsum Syrupus de pomis Regis Sabor. Opiata sic apparanda est. *Vsus hellebori* *Antimoniū.* *Syrupus magistralis.* *Opiatā.*

Rec. Cassiæ recent. in vapore decocti,
maluæ extractæ vnc. j. ß. aut, si fortiorem desideras, in vapore.
Hellebori nigri, vt eius vires nonnihil referat, extracta,
Pulpæ tamarind. vnc. j.
Diacathol. drach. vj.
Sennæ el. Epithy. an. vnc. ß.
Rhab. el. aq. endiuiæ, dum emollescat irror. drach. iij.
cum Syr. violac. aut de pomis fiat Opiata, de qua decimo quinto quouis die sumatur bolus quantitate vnius vncia, aut plus minusvè pro ratione effectus.

Atque hæc de purgantibus dicta sint.

Secundum remediorum genus est, eorum quæ alterant humorem melancholicum, id est, quæ eius intemperiem corrigunt. Humor hic peccat frigiditate & siccitate, plus tamen siccitate, hicque excessus rebellem, contumacem, ac refractarium ipsum reddit, quare eius alteratio in humectatione consistit. Galenus libro tertio de locis affectis, & Trallianus pluris faciunt medicamenta alterantia, quàm purgantia, & plures se pristinæ sanitati humectando, quàm vacuando restituisse asserunt: Humectatio perficietur remediis internis, & externis; interna sunt jusculа, apozemata, Syrupi. Meo consilio melancholicus diuturno vsu jusculi pulli, borragine, buglosso, cichorio, pimpinella & modico sassafras, ac santali alterati, sanitati restitutus est. Syrupi de pomis, de buglosso, de lupulis, violaceus insigniter humorem hunc diluunt & attemperant. *Remedia alterantia.* *Iuscula.* *Syrupi.*

Remedia externa vniuersalia sunt, aut particularia: in vniuersalibus censetur balneum. Galenus solo vsu balnei aquæ tepidæ plurimos se melancholicos persanasse gloriatur, aut si corpus siccum admodum sit, & cutis arida, parari potest artificiale balneum ex radice altheæ, folijs maluæ, violariæ, lactucæ, cichorij, seminib. melon. cucurb. hordeo, florib. violar. in hoc balneo diutiùs immorandum est, non prouocato tamen sudore. Dum balneo insidet fricetur vniuersa cutis, duobus sacculis amygdalis dulcibus & amaris excorticatis, ac seminibus melonum infarctis. Si maiori industria balneum apparare vis, effundenda vesperi in labrum est aqua feruens, vt tota nocte euaporans manè ad insessum sit aptior. Plurimi sunt practici qui ex lacte, non aliter ac pro hecticis & tabe vel marasmo torridis præscribi solet, insessum suadeant. In egressu balnei sunt qui totum corpus oleo amygdalarum dulcium, violaceo, aut butyro recenti inungant. Remedia particularia admouentur capiti, quæ pars magis affecta est. Humectari ergò debet lotionibus & embrocbis, aut ex aqua tepida, aut decocto herbarum emollientium, aut ex oleo seminum cucurbitæ, amygd. dulc. violaceo, & lacte paratis. *Remedia externa.* *Saluia.* *Vnctio vniuersalis.* *Topica capitalia.*

Tertium remediorum genus melancholiæ curandæ accommodatum est ex ijs concinnatum, quæ roborare & spiritus recreare valent, quod ij velut tenebrosi & opaci; Auicennæ testimonio, sint redditi. Quamobrem confortandum est cerebrum, & exhilarandum cor, quod internis & externis medicamentis præstabimus: interna sunt syrupi, opiatæ, tabulæ, pulueres: externa epithemata, sacculi, vnguenta, quorum formulas sigillatim hic subnectemus.

Syrupus maximè efficax ad exhilarandos, & humectandos melancholicos adscribitur Domino Castellano auunculo meo, Medico suæ ætatis eruditione artisque vsu celeberrimo, cuius operam Reges, ac Reginæ regni nostri plurimum expetebant.

Syrupus eximius.

Rec. succi borrag. & buglossi lib. j. ß.
succi pomor. dulc. lib. j.
succi melissæ vn. ß.
Granor. Kermes in prædictis succis.
diutiùs infusor. & expressor. drach. iij.
Croci drach. ß. saccari albiss. lib. ij.
fiat syrupus perfecte coctus, cui aromatis vice indantur spec. diamarg. frig. drach. j. ß. diambræ scrup. iiij.
sumantur manè & vesperi Cochlearia duo aut tria.

Opiata. Opiatarum variæ sunt formulæ, ego vnam instar omnium subiungam.

Rec. Conf. rad. buglos. flor. borrag. an. vnc. j.
Conf. myrobalanor.
Cort. citri. cond. an. vnc. ß.
Confect. alkerm. drach. iij.
spec. diamarg. frig. de gemm. frig. an. drach. I.
Cum syr. de pomis fiat opiata, de qua indies manè parum sumatur, Superbibendo nonnihil vini clari, à qua buglossi diluti.

Formulas tabularum & puluerum referemus capite de melancholia hypochondriaca.

Remedia externa exhilarantia. Remedia externa admonentur cerebro & cordi. Cerebro insperguntur pulueres, & imponuntur cucuphæ. Verùm quia hæc potissimùm ex aromatibus calidis & siccis conflantur, non nimis frequens eorum ineundus est vsus. Cordi tutius est adhibere epithemata, sacculos, vnguenta.

Epithema cordiale.

Rec. Aq. borrag. bugl. an. lib. ß.
melis. scabios. an. vnc. iiij.
Vini al. optimi vn. ij.
spec. diamarg. frig. drach. j. ß.
Conf. Alkerm. drach. iij.
semi melissæ, Gran. Kermes an. drach. j.
m. f. epithema, quo pannus coccineus imbuatur & cordis regioni applicetur.

Quod si epithemata liquida molestiam tibi patiunt, solida conficientur ex conseruis cordialibus, aut admonebis cordi sacculum, cuius descriptionem commodiùs ad caput de hypochondriaca reseruabimus, quod hypochondriaci permolesta cordis palpitatione continuò affligantur. Atque hæc tria sunt remediorum genera, quæ meo iudicio, curandæ melancholiæ primariæ, siue cerebrum occupanti, necessaria sunt, purgantia scilicet, alterantia, & roborantia.

Vigiliæ. Superest vt machinas admoueamus expugnando permolesto accidenti, vigiliis nimirum, quæ adeò crudeliter melancholicos subinde torquent & affligunt, vt ad desperationem adigant. Et quoniam somnus omni molimine conciliandus est, quod in melancholia curanda primatum habeat, humectando scil. & fluctuantem variis phantasmatibus animum pacando diutiùs in præsidiis ipsi prouocando destinatis immorabor.

Remedia interna somnifera. Inducitur sonus remediis internis, & externis. Interiorum varias scrutabimur formas, quod melancholici varietate plurimum delectentur. Apparabimus hordeatum soporiferum, conditum, opiatam, panem Martium, restaurans, potionem, bolum & pilulas. *Hordeatum.* Hordeatum conficitur ex farina hordei conuenientèr præparata, amygdalis aqua rosaria maceratis, cum quatuor seminibus frigidis maioribus semine papaueris, & saccaro rosato. *Conditum.* Conditum tale fit.

Rec. Conf. flor. borrag. buglos. an. drach. iij.
Carnis Cucurb. cond. Cort. citri cond. an. drach. ij.
Melon. an. drach. j. saccari ros. q. s.
f. conditum, sumantur vesperi duo aut tria cochlearia.

Opiata. Opiata sic fiat.

Rec. Carnis cucurb. cond. Caulium lactucæ cond. an. vnc. j.
Conf. rosar. nymph. an. vnc. ß.
Spec. diamarg. frig. drach. j.
sem. papau. al. scrup. ij. cum syr. viol. f. Opiata.
sumatur vespori quantitate castaneæ.

Panis Martius. Vt formæ remediorum varientur, poterit confici panis Martius:

Rec. Amygd. dul. excort. & aq. rosar. macerat. lib. j. ß.
sem. papau. al. recen. vnc. iij.

Saccari albiss. lib. ij.

fiat s. a. pasta quæ cum aq. rosar. in panem Martium formetur & coquatur: sumitur hora decubitus.

Parantur & Restaurantia forma liquida. *Restaurantia.*

Rec. Pulpam caponis vnius
Aq. rosar. nymph. an. vnc. iij.
bugloss. portulacæ. acetosæ an. vnc. iiij.
spec. diamarg. frig. drach. ij.
destill. s. a. in baln. Mariæ.

Potionis descriptio sit talis. *Potio.*

Rec. Syr. violar. de pomis de papau. an. vnc. ß.
spec. diamarg. frig. scrup. j.
cum decocto lactucæ & endiuiæ f. potio.

Si bolo magis delectaris, sic *bolus* apparetur. *Bolus.*

Rec. Conf. rosar. drach. iij.
Requiei Nicol. drach. j. saccari parum. f. bolus.
Aut: Rec. Conf. flor. papau. rub. Theriacæ recen. drach. j.
Saccari parum f. bolus.

Si pilularum forma magis arridet, parentur sic. *Pilulæ.*

Rec. M. P. de cynoglossa aut de styrace scrup. j.
malaxentur cum syr. de pomis.

Chymici Laudano suo vtuntur. Verùm magna discretione, & accurato admodum iudicio porrigenda sunt hæc Narcotica interna. ne, dum quietem ægro conciliare niteris, in æternam eum requiem deducas.

Externa remedia tantum periculi non habent; nos decem aut duodecim modos proponemus sc. forma pulueris capitalis, frontalis, sacculi, emplastri, vnguenti, epithematis, fasciculi, pomi odoriferi, & lotionis pedum. *Remedia externa somnifera.*

Rec. Flor. papau. nig. Rosarum rub. an. drach. iij. *Puluis.*
sem. lactucæ portulac. papau. al. an. drach. ij.
santali rubri sem. coriand. prep. an. drach. j. ß.
f. pul, inspergatur capiti, abrasis capillis.

Ex eodem puluere Frontale confici potest additis floribus nymphææ, & foliis maioranæ. *Frontale.*

Confici possunt sacculi grandiores, forma puluinaris, qui implebuntur floribus rosarum, foliis & semine hyoscyami albi *Sacculi.*

Capiti admouebitur sequens Epithema: *Epithema.*

Rec. Aq. lactucæ, acetosæ rosar. an. vnc. iij.
spec. diamarg. frig. drach. j.
Rosar. rubr. santali rubri an. scrup. ij. m. f. Epithema.

Forma vnguenti sit talis: *Vnguentum.*

Rec. Vng. populnei infrig. Gal. an. vnc. ß.
m. cum pauco aceto inungatur caput, frons & nares.

Emplastri quæ sequitur. *Emplastrum.*

Rec. Castorei drach. j. ß. Opij scrup. ß.
m. cum pauc. vino sublim. fiant duo Emplastra parua temporibus applicanda.

Fasciculi fient ex flor. violarum, rosarum, salicis, cum modico maioranæ, qui imbuentur aceto rosaceo, ac decocto lactucæ & papaueris, addito pauco opio; cum Camphora. Aut sumantur capita duo papau. albi, quæ conquassata in tres nodulos referantur, tum styracis drachmæ tres & momentum opij in sex vncijs aquæ rosar. diluantur, in hoc liquore noduli immersi sæpiùs admoueantur naribus. *Noduli.*

Pomum odoriferum sic præparabitur. *Pomum odoriferum.*

Rec. Sem. hyoscyami Cort. rad. mandragoræ.
Sem. cicutæ an. drach. j. Opij scrupul. j.
Ol. mandragoræ parum m. cum
succo fumariæ & semperviui f. pomum.

Hoc odoratum quam mox soporem conciliabit, addi potest pro correctione nonnihil moschi & ambræ. Sunt qui felici admodùm successu hirudines post aures applicant, ijsque è remotis vulneri inflicto granum vnum opij indunt. *Hirudines.*

Lotiones pedum somno conciliando cumprimis vtiles sunt: *Lotio pedum.*

Rec. Fol. arantior. maioranæ an M. j.
Capita papau. al. N. ij.
Flor. rosar. nymphæ.
chamom. an. P. j. m.

 coquan-

Coquantur in duabus partibus aquæ, & vna vini, lauentur calente decocto pedes & crura: crediderim hoc artificio melancholicum inquietissimum sopiri posse. Nihilominus ne frigidorum eiusmodi medicamentorum vsus exiguum, quod ijs superest, caloris extinguat, intermiscendi sunt Syrupi cordiales, aut electuaria roborantia calori natiuo conseruando dicata. Atquæ hæc sunt quæ pro curatione melancholiæ primariæ, & cerebrum obsidentis afferenda censui; quæ verò ex intemperie sicca totius corporis oboritur, ijsdem remedijs persanatur. Transeo nunc ad hypochondriacam; verùm quia superest adhuc species aliqua idiopathicæ melancholiæ, quam insanus amoris furor parit, quæque particularem exquirit curandi methodum, perbreui discursu eam exequemur.

CAP. X.

De alia Melancholiæ specie, quam Amoris insania parit.

Nomina melancholiæ amatoriæ.

FRequens admodum occurrit Melancholiæ species, quam Medici Græci Eroticam appellant, quod insania sit ex immoderatò amore profecta ac pendens, varijs subindè pathematibus animum exagitans. Arabes Ilíscum appellant, vulgus passionem diuinam, tanquam à paruulo Deo Cupidine, à Poëtis vsque adeò decantato, prouenientem. Cadmus Milesius (si Suidæ credimus) quatuordecim de hac materia conscripsit libros, quorum nihil ad nos eius posteritas transmisit, ego breuiter capitibus duobus rem omnem expediam, vno affectum describam altero remedia, supersedebo eruendæ Etymologiæ nominis. Eros, neque eius definitionem hîc enucleabo, quod maximi tentarunt viri, neque propositum assecuti sunt: neque conabor enumerare differentias ipsius, & genealogiam: legantur quæ Plato, Plotinus, Marsilius Ficinus, Ioannes Picus Comes Mirandulanus, Marius Equicola, Leo Hebræus de hac materia litteris consignarunt; sufficiet vnum eius effectum è centum millibus, quoniam feracissimus est, in medium afferre, vt natiua huius melancholiæ delineatione declarem, quantum violenta amoris passio & corpori & animæ nocumenti afferre possit.

Amor vt exoriatur.

Amor itaque corruptis oculis, velut animæ veris excubitoribus, & exploratoribus, sensim ac suauiter per canales delabitur, & velut insensibili modo per venas irrepens ad hepar, ardens desiderium rei, quæ amabilis videtur, imprimit, accenditque concupiscentiam, hocque vesano appetitu seditionem turbasque excitat. Verùm enimuerò dum viribus suis diffidens dubitat an rationem supremam animæ potentiam subuertere possit, omnes virium impetus ad cor conuertit, quo semel velut propugnaculo fortiori expugnato, tanta violentia rationem & nobiles ipsius potentias inuadit, vt eas sibi penitus subijciat, & in durissimam captiuitatem abducat. Tunc de homine actum est; accisæ sunt res omnes, sensus aberrant, turbatur ratio, imaginatio deprauatur, discursus stolidi sunt, miserum amoris mancipium nihil nisi dilectæ idolum animo versat: omnes corporis actiones peræquè deficiunt, redditur pallidus, gracilis, & aridus, & spiritu natiuoque calido defraudat naturalibus membris, cibi sequitur auersatio, ingestaque infelix concoctio, oculi redduntur caui, & (vt poëta ait)

Effectus amoris violenti.

—non oculis aut pectore noctem
Accipit.—

Signa Melancholiæ amatoriæ.

Videbis plorantem, singultientem, crebra suspiria imo pectore trahentem, inquietum, consortium omne fugientem; solitudinem sectantem, vt vesanis cogitationibus suis vacare possit, timor ex vna, ex altera parte desperatio premit: est (vt Plato inquit) vbi non est, modò flammas æstuat, modò gelu rigescit. Cor perpetuo tremore exagitatur, nulla pulsus proportio, paruus est, inæqualis, frequens, & subitò non modò viso, sed nominato etiam obiecto desiderio immutatur. Sic Eristratus, eximius ille Medicus, solerti industria adhibita, non solùm amorem, sed & amatam rem venatus est, quippe cùm Antiochus Seleuci Regis filius, vesano Stratonices nouercæ amore correptus, præ verecundia impium vulnus dissimularet, duo bianimo inclusi affectus, amor nempe, & verecundia miserum adolescentem diuexantes penè contabefecerant; donec Erasistratus ingrediente stratonice, aut ipsa obeunte, effatu dignam diuersitatem in Antiochi vultu, in respiratione, & in pului obseuiens, dissimulanter iterum atque iterum animaduertens, vrentem stratonices amorem, ægritudinis causam esse, penitùs explorauit, remque totam Selerico patri exposuit. Haud aliter Galenus Iustam Boëtij Romani Consulis vxorem Pyladis amore captam deprehendit, non viso, sed nominato solùm Pylade prædictam turbationem considerans, vt pleniùs apud ipsum libro de præcognit. ad Posthumum reperies.

Historia de Eristrato.

Atque hi sunt passionis huius effectus & accidentia quæ melancholiam hanc amatoriam comitantur. Non est itaque quod passionem hanc sacram, aut diuinam appellet quispiam, nisi magnitudinem eius hoc nomine exprimere velit. Nam & Poëtæ veteres magnos pisces sacros vocabant, & Medici hoc nomen ossi sacro indiderunt, quod vertebrarum totius corporis maxima sit; neque passionem dulcem quis nuncupet, cum maximè sit miseranda, &

cru-

crudelitate sua omnibus tyrannorum tormentis præcellat. Vnus Thianeus Philosophus cum à Rege Babiloniæ mandaretur, vt puniendo nobili, quem in nefario amoris facinore deprehendit, exquisitum tormenti genus indagaret; vitam ei donato (inquit) vt indies magis ab intestino torrore suo amore, crucietur. Non minus eleganter crudelitatem passionis huius Poëtæ expresserunt, qui finxerunt Titium ob immoderatum Deæ Latonæ amorem condemnatum, vt ie cur continuis duorum vulturum morsibus laceretur, cuius tamen fibræ, quàm mox renascantur. Et quid est cur passionem hanc non appellemus miserabilem; cum plurimos induxerit ad violentas sibi manus inferendas? Lucretius Poëta quò remedia amoris descripsit eò furoris deuenit, vt sibimet vitam ademerit. Iphis ob amorem Anaxaretis, eò desperationis deductus est, vt laqueo sibi vitam finiuerit. Atheniensis nobilis quidam adolescens accensus vesano amore erga marmoream statuam miro artificio elaboratam, cum eam quocunque haberi posset pretio à senatu licitaretur, post repulsam, & seuerum interdictum ne statuam, ob scandalum, quo populum offendebat, accederet, desperatione adactus, mortem sibi consciuit. Ex quo perspicuum est insanum hunc amorem, in furorem ferinaque deliramenta aliquando commigrare, dum enim & corpus & animam miris tormentis exercet, reddit humores adeò siccos, vt vniuersa temperies, potissimùm verò cerebri, labefactetur, penitusque corruat.

Crudelitas amoris.

Fabula de Titio.

Qui ex amoris violentia semetipsos interfecerint.

Alia est amatoriæ melancholiæ differentia, magis ridicula, cùm imaginatio ita deprauatur, vt rei dilectæ desideratæque formam perpetuò oculis obuersari censeat, atque ipsam præsentem fingens, nunc absentem, fugientem vè consectetur, nunc votis annuentem amplectatur & exosculetur; adeò vt subiectum maximè deforme insano phantasiæ errore omni elegantiæ decore, præditum asseueret. Hinc miser hic melancholicus nil aliud animo comprehendit quàm sexcentas venustatis rei amatæ species, & insignem illam, quæ omni formæ elegantia præeminet gratiam, ad solum hoc obiectum anhelat, vmbram suam insequitur, neque vlla quiete perfrui potest. Pau. is abhinc annis visus est mihi nobilis adolescens, qui specie hac melancholiæ delirans, solus vmbram suam alloquebatur, amplectebatur, exosculabatur, insectabatur, & à circumstantibus, num aliquando quid tantæ venustati simile vidissent, exquirebat, affectus vltra trimestre perdurabat, sed tandem pristinam integritatem recepit. Aristoteles meminit adolescentis, cui nomen Antiphon, cui propria imago perpetuò oculis obuersabatur.

Alia melancholia amatoriæ species.

Quidam reflexioni radiorum ab oculo promanantium imputare voluerunt; verùm læsæ potius imaginationi adscribendum censeo.

CAPVT. XI.

Ratio curandi melancholiam amatoriam, siue passionem Eroticam.

Dvo sunt modi insanum hunc amorem persanandi, vnus desideratæ rei visu ac frutione, alter in sagacis & industrij Medici artificio consistit. Quod ad primum attinet, si liceat amata re potiri, id sufficiens plerumque fuerit præsidium, tùm pro amouenda insania tùm pro omni corporis damno resarciendo, licèt hoc nonnulla affectus impressa reseruet vestigia. Sic Erasistratus detecto Antiochi erga Stratonicem nouercam vesano amore, vbi rem Seleuco patri aperuit, hic compassione erga filium motus charissima coniuge cedens, in filij medelam, ipsum ab imminenti morte vendicauit. Diogenes filio suo ex amore insano Apollinis oraculo monitus vt amori indulgeret concessit, & à morte deploratum eripuit. Memini non iniucundam ante hac me legisse historiam de adolescente quodam Ægyptio, qui extremo insanoque amore erga Theognidem meretricem deperibat, quæ affectus eius ardorem non curans ingentem pecuniam in precium corporis exigebat. Accidit vt miser amator somniaret se amasiam complecti, eamque diuturno suo desiderio condescendere. A somno experrectus, sensit flammam illam amoris residente ardens desiderium quo consumebatur, conquieuisse neque quam tanta vesania insectatus fuerat amasiam, curabat amplius, cuius rei certior facta, adolescentem coram iudice de salario conuenit, pro causa hoc potissimum allegans, quod eum percurarit. Bochor iudex quamprimum imperauit, vt adolescens plenos auro loculos afferret, eosque in patinam effunderet, & amasiæ ex sono & aspectu auri satis faceret; velut ipse sola imaginatione contentus fuisset. Sententia hæc iudicis ab omnibus fuit approbata, excepta celebri illa meretrice Lamia, quæ Demetrio amico demonstrabat Theognidi iniuriam esse illatam, eo quod aspectus auri ipsius appetitum tantum incitasset, & auxisset, somnium autem adolescentis desiderium penitus restinxisset. Historias hasce tres ideo in medium adduxi, vt declarem eroticam hanc rabiem amatæ rei fruitione compesci posse. Cùm verò hic curandi modus legi diuinæ & humanæ frequenter repugnet, ad alterum recurrendum est, qui in sagacis Medici molimine consistit. Quare si cui Medico ex amore insanus curandus offeratur, sedulò tentabit, vt ipsum blando sermone à defixa imaginatione distrahat, quin

Duo modi affectum hunc curandi.

Primus. Historia prima.

Secunda.

Tertia iucunda.

Secunda ratio curandi melancholiæ amatoriam.

& amorem dehortetur valido ornatoque rationum momento, damna exaggerans quibus amor sua castra sequentes multare consueuit, quibus plerumque corporis interitus ad animæ æternam perditionem viam strauit. Hoc necdum proficiente supeŕest alius auertendi modus, sagaci molimine tentandus, vt nempe conceptus de rei amatæ pulchritudine, gratia, ac dotibus amoueatur, deformem ipsam inuenustamque suadendo, corporis & animi turpitudines quaspiam enarrando, leuem esse, inconstantem, stolidam, mutabilem, quæ amantis affectum irrideat, merita eius virtutesque non agnoscat, quæ pro explendo brutali desiderio magis amet seruum aliquem, quàm honesti amoris conseruandi studiosa sit. Interim quantum in amasiæ vituperium dicetur, tantum è contra in amantis laudem ac commendationem afferendum, extollendum ipsius iudicium, & virtutis eius excellentia singulariter deprædicanda.

Verba.

Quodsi verborum lenocinio in seipsum non reuocetur, & solerter inculcato amatæ rei dedecore amore non cedat, vt plerunque refractarij isti melancholici parum verbo audientes sunt; ad alia curationis media confugiendum est. Inter quæ præsentissimum censeo Fugam, id est, aëris mutationem, semouendus est, quantum fieri potest, à rei amatæ præsentia. Huius enim aspectus desiderium magis magisque accendit, & sola nominis dilectæ pronunciatio instar fomitis est ardoribus nouis suscitandis. Conuenit habitatio juxta virentia prata, hortos elegantèr cultos, ac irriguos fontis, distinendus est in singulas horas jucundo aliquo lusu, variis obiectis distrahendus, ne minimum temporis spatium amoribus in memoriam reuocandis detur, deducendus est ad venatione, pugillari exercendus, modò graui aliquâ historiâ excitandus, modò jucundâ fabulâ demulcendus; adhibenda & suauis est musica, neque nimis lautè vel opipatè alendus est, ne sanguis præter modum calefactus carnis incendia commoueat, & sopitum ignem resuscitet. Tolle otia, tolle Bacchum & Cererem, dubio procul Venus omnis frigescet, juxta illud Ouidij:

Mutatio aëris.

Exercitia.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptaq; iacent, & sine luce faces.

Decantatum est Poëtis omnibus Venerem nulla calliditate tres deas Palladem, Dianam, & Vestam sub dominii sui jugum trahere potuisse. Pallas bellum repræsentat, Diana venationem, Vesta inediam & vitæ austeritatem. Quodsi his artibus intra rationis septa non redeat, neque infinitis aliis, quæ Xigidius, Samocrates, Ouidius litterarum monumentis prodiderunt, amoris remediis persanetur, & corporis temperamentum anima sequi cogatur; adeò vt amentis amantis solicitudo, sanguinè adurendo atrabilarium reddat, adhibenda sunt pro melancolicis descripta præsidia. Purgetur per interualla & blandis medicamentis humor peccans, qui cerebro velut siccam habitudinem jam impressit, humectetur, balneis vniversalibus, topicis particularibus, diæta humectante, coctu facili, & quæ probam corpori alimoniam suppeditet, nutriatur jusculis, lacte amygdalino, hordeo mundato, lacte caprino. Si vigiliæ infestent remediis paulò ante descriptis somnus concilietur. Roborandum & cor, & spiritus Opiata aliqua cordiali. Erotico huic amori extinguendo plurima adhuc remedia à veteribus præscripta reperio, sed, quæ diabolica sunt, & Christianorum legibus interdicta: inter alia sanguinem amantis aut amatæ hauriendum propinant, sicque ardorem omnem restingui asseuerant. Refert Julius Capitolinus Faustinam Marci Aurelii Imperatoris vxorem, cum gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam, cum longa ægritudine laboraret, viro de amore confessam. Quod cùm ad Chaldæos Marcus retulisset, illorum fuisse consilium, vt occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina subleuaret, atque ita cum viro concumberet. Quod cum esset factum, solutum quidem amorem, natum verò Commodum gladiatorem esse non principem, qui scilicet vsque adeò dissolutis moribus fuit, quibus nullus Scenicus, nullus harenarius, nullus postremò ex omnium dedecorum ac scelerum colluvione concretus. Quare hoc remedii genus magis ex Satanæ præstigiis ac impostura, quàm è medicinæ fontibus promanasse censeo vt & indies infinitis fallacijs veteratores, quorum vanitas ambagibus tantum solertissima esse solet, mundo imponunt.

Vt veri melancholici curandi.

Diabolica & prohibita remedia.

Historia de Faustina mirabilis.

CAP. XII.

De tertia Melancholiæ specie, hypochondriaca dicta, eiusq; differentiis.

Tertia Melancholiæ species cœteris leuior est, & minus periculosa: sed quæ in sui cognitione plus habet difficultatis, maior enim pars Medicorum dubitat de eius essentia, causis, parte affecta, dicitur communiter hypochondriaca, & ventosa: hypochondriaca, quòd sedem in hypochondrijs obtineat: ventosa quod flatibus ægros mirè torqueat. Diocles censuit esse inflammationem pylori, siue inferioris ventriculi orificii, quod æger ea parte grauiter se opprimi sentiat, dolorem & tensionem extremum in stomacho ardorem & velut incendium per totum ven-

Nomen hypochondriaca.

Dioclis opinio

tum ventrem percipiat, vt copiosi etiam flatus eleuentur, cum plurimo seroso humore, qui per os plerumque defluit, non aliter ac si è cerebro delaberetur.

Sententia Galeni.

Galenus lib. tertio de locis affectis videm rhuic assentiri sententię, qno nomine ab omnibus Medicis recentiorihus reprehenditur; quia si qua esset stomachi inflammatio, comitem haberet febrem continuam, & morbus esset acutus: cuius tamen contrarium videmus, cum melancholia hypochondriaca sit morbus chronicus & plerunque sine febre. *Theophili opinio.* Theophilus censet esse inflammationem hepatis & intestinorum: qnod si loquatur de sicca inflammatione, quæ φλόγωσις dicitur, non omninò à veritate aberrat; sin de vera phlegmone, quæ tumor est contra naturam, idem quod Galeno objicietur, quod omnis phlegmon hepatis & intestinorum morbis acutis sit accensenda. *Definitio melancholia hypochondriacæ.* Celebriores huius sæculi Medici definiunt hypochondriacam, intemperiem calidam & siccam venarum mesenterii, hepatis, & lienis factam ab obstructione crassornm humorum, qui calefacti plurimos vapores suscitant, à quibus varia illa hypochondriacorum accidentia, quæ capite sequenti enumerabimus, originem ducunt. Hæc definitio omnem hydochondriacæ essentiam complectitur, cum partem affectam, & causam affectus comprehendat. *Partes affectæ.* Partes, in quibus hypochondriaca progignitur, sunt mesenterinm, hepar & lien. Mesenterium latè se diffundit, Continet enim venas mille, infinitas glandulas, quæ venas comitantur, & carnem illam rubram amplitudine insignem, quam Pancreas indigitant; ex hoc mesenterio, velut inexhausto promptuario, infinita series morborum, maximè *Mesenterium* verò febrium intermittentium exurgit, Hic itaque detinetur & calefit humor hypochondriacæ fons & autor; non solum in venis, sed potissimum in pancreate, stomacho admodum vicino, dum nimirum primo intestino ac pyloro incumbit, ut hinc Dioclis & Galeni sententiæ excusatio, aut prætextus obtendi possit, quod pylori nomine pancreas innuerit, cum duæ hę partes se mutuò contingant. *Hepar.* Altera pars hypochondriacæ fomes, est hepar, dum nimio æstu incanduit, vt alimenta cruda ac semicocta à stomacho attrahit, aut dum humores diutiùs in venis continet, & adurit. *Lien frequentissima hypochondriacæ sedes.* Verùm potissima hypochondriacæ radix est lien, quod eum humori melancholico expnrgando natura destinarit; adeo vt si officio suo desit, aut in attrahendo vt decet, dicto humore, aut in eo pro alimonia sua attenuando & depurando, aut in supefluo expellendo, duhium non sit, quin crassus imprimisque humor per venas vicinas regurgitans, calefiat, & in tota œconomia naturali mirabiles turhas excitet. Quare partes affectæ in hypochondriaca sunt mesenterium, hepar, & lien. *Causa hypochondriacæ.* Causa affectus est obstructio; harum partinm venæ infarctæ & oppletæ sunt aliquo humore. Humor hic modò simplex, vt humor melancholicus naturalis; vel adustus atrabilarius, aut humor pituitosus & crudus: modò è duobus aut tribus mixtus & compositus, quod sæpius accidit; verùm vt hypochondriacam pro ducat, necesse est vt calefiat, si biliosus est aut adustus facili negocio accenditur, si natura sua frigidus est, vt melancholia, aut phlegma, diutina mora & prohibita transpiratione æstum concipiet, aut non nisi pauco fermento, portioni bilis adustæ commixto, ad ignem suscitandum indigebit Ardorem hunc φλόγωσιν appellarunt veteres, vt definiri possit hypochondriaca, inflammatio sicca venarum mesenterij, hepatis, & lienis, à suppresso humore aliquo crasso producta.

Differentiæ hypochondriacæ.

Ex hac definitione omnes hypochondriacæ differentias colligemus: quæ sumuntur aut à parte affecta, ant à materia, aut ab accidentibus. Si partes affectas consideremus, tres hypochondriacæ species exurgent, hepatica, lienaris & mesenterica. *Hepatica.* Hepatica hepatis vitio accidit, quod nimio suo calore insignem cruditatum copiam à stomacho attrahit, eademque intemperie humores plus justo calidos progignit, quos aut in venis, quarum numerus definiri vix potest, retinet, aut per omnes venæ portæ ramos diffundit. *Lienaris.* Lienaris lienis noxa obringit, dum humorem melancholicum attrahere, depurare & expellere nequit, quod euenit dum aut justo amplior aut minor existit. Vbi præter naturam intumuit, ineptus est continendis omnibus excrementis, quæ proinde regurgitant, & infecto omni humore corpus inficitur & tabescit. Quod benè animaduertit Hippocrates in Epidemiis, dum ait, quibus lien augetur, vniuersum corpus imminuitur. Vnde Imperator Traianus lienem fisco comparabat, quod veluti angmentum fisci ruina est, vt inopia populi, ita incrementum lienis totius est corporis tabes & extenuatio: Pari ratione quantitas diminuta lienis, quæ vitio conformationis accidit, morbo huic occasionem præbet, cum enim neque attrahere, neque continere possit tantum humoris melancholici, quantum natura exigit, necesse est vt regurgitet, & per omne mesenterium dimanet. Illustris quædam familia affectui huic plurimùm subjecta est, è qua tres aut quatuor trigesimo quinto ætatis anno immatura morte obiisse scio, neque vlli causæ præproperum fatum impntari potuit, quàm exiguitati lienis, qui vsque adeò exilis secto corpore deprehensus fuit, vt functioni à natura præscriptæ satisfacere nequiuerit.

Mesenterica.

Postrema hypochondriacæ species est mesenterica, quæ in pancreate, aut glandulis & venis mesenterii sedem suam fixit. Hippocrates, & alii complures Medici mentionem faciunt hypochondriacæ hystoriæ, quæ ab vtero prouenit, aut ob menses remoratas, aut aliam materi-

am præ-

am præter naturæ præscripta detentam, eadem quæ reliquię effecta producit, & nonnunquam aut majori furore debacchatur, ob mirabilem sympathiam, quâ vterus cum vniuerso corpore conspirat.

Secunda differentia. Altera hypochondriacæ differentia à materia desumitur. Alia enim à melancholico humore naturali, eoque frigido, in venis retento & mora oppressioneque calefacto existit. Alia ab humore adusto: alia à phlegmate crasso, crudo & viscido, pauca bile intermixta.

Tertia differentia. Vltima differentia accidentibus adscribitur, vnde leuis, aut violenta, incipiens aut confirmata exurgunt.

CAP. XIII.

De signis hypochondriacæ, & vnde accidentia quæ eam comitantur originem ducant.

Signa hypochondriacæ confirmatæ. Hypochondriaca confirmata infinitam molestissimorum accidentium seriem sibi comitem adsciscit, quæ tanta angustiâ ægrum sæpenumerò premunt, vt omni momento animam se acturos existiment. Nam præter communia melancholiæ accidentia, metum & mœstitiam sentiunt insignem in præcordijs æstum, rugitum & murmur per totum ventrem oberrare audiunt, flatibus vndiquaque impetuntur, pectus opprimitur, vt cum doloris sensu repetita speratione anhelitum ducant, tenuem & pellucidam aquam frequenter exspuunt, fluctuatione stomachi velut aquæ innatantis diuexantur, cor violento & extraordinario motu, palpitatione nuncupato, exagitatur, circa regionem lienis morsum & pulsationem percipiunt, sudore exiguo frigido, accedente nonnunquam leui deliquio, madent, facies sæpe rubescit ex flamma velut volante, aut leuiter pertransceunte, pulsus mutatur in paruum & frequentem, vniuersi corporis lassitudinem & imbecillitatem maximè verò crurum causantur, aluo nunquam sunt libera, aut expedita, tandem corpus vniuersum absumitur & contabescit. Omnia hæc accidentia dependent à causa generali quam descripsi, nihilominus particulares hic indagandæ sunt.

Causæ particulares horũ accidentium.

Ardor. Ardor quem in præcordijs circa lienem, hepar, os mesenterium percipiunt, suscitatur ab incendio crassi humoris phlegmatici, aut atrabilarij, qui velut ebulliens inflatur & ad vicinas particulas omnes vapores suos amandat.

Rugitus. Causa flatuum. Rugitus qui per totum ventrem obauditur, prodit à flatibus, qui omnia permeat, atque adeo indiuidui huius melancholiæ comites existunt, vt veteres flatulentam appellarint, duplicem horum flatuum causam, materialem & efficientem contemplabimur. Materia est

Materialis. humor crassus atrabilarius aut pituitosus. Duo hi humores plerumque in hoc affectu mixti deprehenduntur, quod hepar præcalidum (vt in hypochondriacis frequens id est) cibum semicoctum à stomacho proximo suo rapiat, atque inde immatura hepatis attractione in venis magna cruditatum congeries accumuletur, & eiusdem visceris intemperie calidorum & adustorum humorum copia congeratur, adeò vt in venis & crudæ, & excoctæ siue adustæ ma-

Efficiens. teriæ copia redundet; crudæ præmaturè attractæ, adustæ in viscere ipso progenitæ. Efficiens flatuum causa est calor debilis, qui materiam quidem mouet & exagitat, sed discutere ac dissipare non valet, & quamquam agens natura sua sit efficax & validum, quia tamen materiæ proportione non respondet, debile dici potest.

Oppressionis causa. Oppressio, quam circa pectus sentiunt, aut flatibus aut vapori crasso adscribenda est, qui diaphragma, princeps respirationis organum, premunt, aut intra musculos intercostales, vel tunicas externas internasve se insinuant.

Vnde graues illi dolores oboriuntur, qui ad humeros euecti brachia peruadunt, ob membrorum continuationem, & musculorum sympathiam.

Aquosæ sputationis. Sputatio illa aquæ assidua, si Diocli credimus, è signis est maximè proprijs hypochondriacæ, causa est ventriculi frigida intemperies tot cruditatum perennis fons. Intemperiem hanc efficit nimius hepatis calor, qui chylum semicoctum crudumque attrahit, qui omnem stomachi adipem absumit, qui rapit velut ingluuiosus omnem vicinarum parttũ calorem. Adde quod dum humorum ebullitio fit, crudior eorũ portio in ventriculum remeans ac redundans eum refrigerat, adeò vt hîc duplex frigus, positiuum, & priuatiuum (vt Philosophi vocant) reperiamus.

Palpitationis Ruboris faciei. Modus extraordinarius cordis & omnium arteriarum prouenit à vapore, è materia agitata eleuatur qui vehementi impetu cor inuadens, idq; velut prosternens cogit duplicare passum. Sed accidit sæpenumerò, vt post eiusmodi luctam perdat insignem illam harmoniam, & æqualitatem, quæ in pulsu requiritur.

Sudorum frigidorum. Rubor faciei, palpitatio vniuersalis, & pruritus formicarum repentium instar totum corpus infestans prodeunt, aut à flatibus subtilioribus, aut à vaporibus sursum eleuatis.

Lassitudinis. Sudores frigidi comparent dum vapores ex hypochondrijs velut è fornace emanantes ad cutem, partem frigidam, pertingunt & incrassantur. Lassitudo quam sentiunt progignit partim co-

tim copia vaporum, qui intra musculorum spatia feruntur, & substantiæ neruorum sese insinuantes eos relaxant, ac veluti stupidos reddunt, partim cruditatum & ieri abundantia, quæ in sanguine deprehenditur.

Tabes, totiusque corporis extenuatio accidit ob inculpati sanguinis defectum. Aluus adstricta est ob intensum hepatis calorem, excrementorum humiditatem absumentem. *Tabes.*

CAP. XIV.

Notatu digna historia de duobus hypochondriacis.

TAm admirandas interdum natura humana progignit morborum species, vt in ijs agnoscendis, discernendis, ac persanandis iudicium artis vsu etiam clarissimos deficiat Medicos. Oblatæ mihi sunt hypochondriacæ species duæ, quibus similes tota antiquitas, quantum è literarum monumentis eruere possum, non vidit, neque fortè posteritas tales deprehendet. Monspelij degebat honestus ciuis habitus melancholici, & temperamenti atrabilarij, qui spacio duorum aut trium annorum leui hypochondriaca detentus, ita malum proferpere, ac incrementa sumere passus est, vt tandem ad extrema, quæ modò percensebo, deductus fuerit. Bis aut ter in die leuem per totum ventrem percipiebat motum, maximè circa lienis regionem: hinc exurgebat rugitus adeo vehemens, vt non solum æger, sed assistentes omnes eum audirent. Tinnimentum hoc ad medium horæ quadrantem perdurabat, atque dein vapor seu ventus derepentè diapbragma & pectus occupans tantam spirandi proferebat angustiam, vt ab omnibus asthmaticus iudicaretur. Hoc symptomate nonnihil remittente, reliquum corpus ita conquassatum comparebat, vt nauiferocissimis procellis agitatæ non absimilis videretur: modo procedebat, mox gradum referebat, & vtrumque brachium adeo insolito agitabat motu, vt conuulsione distorqueri iudicares. Tandem ventus hic vbi totum corpus peruasisset, tanto impetu per os efferebatur, vt omnes assistentes obstupescerent, sicque accessio finiebatur, & æger nonnihilo melius habebat. Sed necdum satis, duobus aut tribus ante obitum mensibus indies bis aut ter leui molestabatur syncope, cor deficiebat cum extremo vrinam reddendi desiderio; hacque reddita se recolligebat, tanta fuit mali vehementia, vt animam è domicilio excedere adegerit. Vocatus ad corporis apertionem, quod operam meam ægrotanti impendissem, vnà cum Clariss. Domino Huchero vniuersitatis nostræ Cancellario, quem vt doctissimum & expertissimum sæculi nostri Medicum honoris gratia nomino, deprehendi pectus semiplenum aqua nigricante & fœtida, qua sinister ventriculus omninò redundabat, vt & in trunco magnæ arteriæ idem color comparebat. Tum reuocato in mentem insigni loco Galeni libro sexto de locis affectis, demonstraui assistentibus causam frequentis deliquij, & extremi ad vrinam reddendam impetus prouenisse ab humore illo maligno, qui vasa cordis pensitans per arterias ad renes permeabat, atque inde ad vesicam. Annotandum hoc obiter hîc duxi ad defendendum Galenum à neotericorum Medicorum calumnijs, qui existimant pus empyricorum aut pleuriticorum per cor aut arterias expurgari non posse, quam disputatione libro tertio nostro Anatomico fusius prosecutus sum. *Prima historia.* *Insignis observatio pro defensione Galeni.*

Altera historia æquè stupenda est, quam in Turonensi ciuitate elapsa hyeme annotaui, dum in consilium cum Domino Anselino, Falesio, Verturiano Medicis doctrina & experientia clarissimis euocatus essem. Vir nobilis iuuenili ætate, ab octo aut nouem annis ab hypochondriaca infestatur, inde circa nonam matutinam exiguū rugitum ad lienis regionem percipit: hinc notat eleuari vaporem, qui per totum pectus & faciem ruborem diffundens capitis summitatem conscendit, arteriæ temporum fortiter pulsant, venæ in vultu intumescunt, ad extremum frontis, vbi venæ terminantur, ad latitudinem solidi summo dolore conflictatur, rubor per totum brachium sinistrum vsque ad digitorum extremitates instar ignis volantis, aut erysipelatis excurrit, latere dextro ab omni affectu penitus immunis. Accessiones durantur tanta virium debilitate languet, vt ne verbum quidem proferre possit, frequentes ex oculis emanant lacrymæ, & ex ore incredibilis saliuæ copia profluit, externa vruntur, interna frigore torpescunt: crus sinistrum varicibus scatet, & quod plurimum admirationi mihi est, circa os capitis, parietales dictum, portio quædam ossis sine vlla causa euidente casu scilicet aut ictu ablata est, neque minimum attactum ea pars sustinere potest. Morbus adeo fuit hactenus rebellis, vt quicquid summo iudicio, & artis conatu hactenus molirentur Medici, frustra susciperetur. Conclusum tandem in consilio nostro, vt extraordinarijs remedijs nimirum alexipharmacis pertinax malum oppugnaretur, de successu nec dum certiores facti sumus. Ex his itaque planum fit & apertum, quantum stupendorum accidentium comitari possint humores crassi, adusti, & melancholici in venis hepatis, lienis, & mesenterij detenti, quidque turbarum, ac seditionis in naturali œconomia commoueant. *Secunda historia.*

CAP. XV.

Melancholiæ hypochondriacæ curatio.

Præseruatio hypochondriaca. *Euacuantia.* *Phlepotomia.* *Purgatio.*

AD curationem melancholiæ hypochondriacæ duplicis generis remedia deposcuntur; quædam extra accessionem in vsum ducunrut, præseruatiua nuncupata: quædam accessionis tempore adhibenrut. A primis nos exordiemur. Præseruatio tres remediorum continet differentias, euacuantium, alterantium, & roborantium. Euacuantia sunt venæ sectio & purgatio. Venæ sectio vniuersalis attemperando calori hepatis, & portioni sanguinis melancholici euacuandæ subseruiet. Fiet hæc ex basilica, quam Arabes nigram vocant. Particulares per hæmorrhoides sanguinis euacuatio præsentaneum habetur hypochondriacæ remedium; quod immediatè lienem & mesenterium à fœculenta saburra liberet. Sunt qui maximis laudibus sectionem venæ ad minimum digitum excurrentis, saluatellæ nominatæ, extollant. Altera euacuatio purgatione fit, in qua sedulò cauendum, ne violenta sit, sed blanda, & certis interuallis instituta. Alioquin enim hic humor rebellis sua natura & contumax magis efferaretur. Purgantia sint phlegmagoga & melanagoga, quod hi humores vt plurimùm in vitio sint. Senna & agaricus primas hoc loco obtinet. Recensui capite de primaria melancholia plures purgantium formulas, quæ & hîc commodæ erunt. Sed quoniam in hypochondriaca mixtus humor peccat, alia descriptione in vsum ducendæ sunt. Mihi probatur syruporum magistralium & Opiatarum vsus, quæ sic præscribentur.

Syrupus magistralis.

Rec. *Rad. buglos. asparagi*
Cort. rad. cappar. tamaricis an. vn. j.
Cichorij cum toto Fol. borrag. buglos.
lupulor. fumar. Cetrach. Capill. Ven. an. M j.
Absinth. Pont. Meliss. an. P j.
Liquirit. rasæ Passular. Corint. aq. tepida lotar. an. vnc. j.
sem. citri card. ben. endiu. an. drach. ij.
Trium flor. cord. Flor. cichor. summit. thymi. Epithymi an. P. j.
Coq. in s. q. aq. de colat. sume. lib. ij.
cui adde expressum vnciar. iiij.
sennæ Orient. el. cum drach. j.
Caryoph. in prædicta decoct. infus.
expressum vnciæ vnius & semis.
Agarici al. cum scrup. vno Zinzib.
in aq. menthæ infus. saccari q. 1.
Coq. ad formam syrupi completi; seruetur ad vsum.

Omni mense sumenda vncia vna aut duæ, cum iusculo pulli, cui incoxerint borrago, buglossum, lupulus, & herbæ capillares. Parari item potest syrupus cum succis herbarum modò præscriptarum, iisdemque purgantibus. Opiata suprà descripta hîc vsui foret, nihilominùs aliam, blandè aluum ducentem, hîc subnectam.

Opiata.

Rec. *succi mercurial. depur. q. 1.*
infunde horis 24. fol. sennæ el. vnc. ij.
deinde ebulliant, & fortiter exprimantur.
Colatura cum s. q. saccari coquatur
in formam Electuarij, cui adde
Cassiæ recen. extr. vnc. ij.
Epithymi vnc. ß.
Caryoph. conquass drach. ij.
m. fiat Opiata dosis. vnc. ß.

Extractum sennæ pro pilulis.

Qui medicamenta forma potionis aut opiatæ auersantur, sument pilulas de extracto sennæ, agarici, rhabarbari paratas. nam reliquæ pilulæ vix in hoc affectu conueniunt.

Rec. *Polypod. querc. vnc iiij.*
Cichorij cum toto Herb. buglos. fumar. lupulor. an. P. j. M. j.
Vuar. damascen. N. xij. Flor. trium cord. an. P. j.
Coq. in s. q. aq. ad lib. 1. in qua decoquantur
sennæ Orient. el. vnc. ij.
Epithymi drach. vj. Agarici opt. vnc. ß.
stent infusa per noctem: mane colaturæ expressæ adde
expreßionem vnciæ dimidiæ
Rhab. el. cum momento Cinnamo. in prædicta decoct. infus.
mixta ponantur ad cineres calidos

ut lenta evaporatione in consistentiam mellis coëant,
Cui adde Epithymi drach. tres, formeturq́ massa pilularis.
Clementer purgabit dosi scrupulorum iiij.

Benignis hisce medicamentis si frequenter adjungas Clysteres, plurimum alimenti sublevandis hypochondriacis afferes.

Verùm enimverò quoniam hic humor crassus est, & pertinax, ac in profundis venis delitescit; difficulter, nisi prævia præparatione, educetur, quare ad secundum remediorum genus Alterantium nimirum deueniendum est. Alteratio consistit in humoris huius attennatione & humectatione: quæ remedijs internis & externis procurabitur. Interna sunt Apozemata mediocriter aperitiua, ob junctas obstructiones, & sedulò cauendum ne calefacientia plus justo admisceamus. Plurimùm conducent herbæ hepaticæ; & spleneticæ, neque obliuioni dandum est absinthium, testantur enim primæ notæ practici, plurimos solo vsu decoctionis absinthij ab hypochondriaca præseruatos fuisse. Neque abs re erit pro attenuandis crassis hisce humoribus, & meatibus expediendis ad duodecim aut quindecim dies decoctum chinæ, cũ modico sassafras præscribere. *Alterantia interna.* *Apozemata.* *Vsus chinæ.*

Jusculâ alterantia & humectantia, victus ratio, lactis vsus humori huic sicco præparando apprimè deseruiunt. Ad remedia externa quod attinet, balnea vniuersalia primas tenent: cui accedet fotus lienis, inunctiones, linimenta. Fotus instituetur ex emollientibus mediocriter aperitiuis, attenuantibus, permixtis ijs, quæ flatus discutiunt, quorum formulæ cuiuis obuiæ sunt. Ex oleis selectiora sunt oleum de capparibus, amygdalarum amararum, de genista, sambucinum, lilior. alb. chamomelinum, de baccis ebuli. *Iuscula.* *Remedia externa.*

Postremum remediorum genus roborantia complectitur, reperiuntur enim in hypochondriacis plurimæ partes imbecillæ, quas humoris malignitas infestat; quales sunt cor, stomachus, & cerebrum. Cordis imbecillitas palpitationis, ac leuis deliquij occasio est: stomachus debilior cruditatum copiam coaceruat: cerebri infirmum imaginationis & rationis turbationem in hoc malo affert. Quare accurata est harum partium habenda ratio. Cordi robur conciliabitur medicamentis internis & externis: interna sunt opiatæ, condita, tabulæ. *Confortantia.* *Cordialia.*

Opiata.

Rec. Conf. rad. buglos. flor. borrag. an. vnc. j.
Myrobalanor. condit. Cort. citri cond. an. ß.
Conf. alkerm. drach. ij.
Pul. Margarit. prep. spec. lętitię Gal. an. drach. j
cum syr. de pomis fiat opiata.
Sumatur bis aut ter in septimana cum pauca aqua buglossi.

Tabulæ.

Rec. spec. elect. de gemmis. lętitię Gal. an. drach. j.
Confect. alkerm. drach. ß.
Margaritar. prap. smarag. prep. an. scrup. j.
saccari dissol. aq. buglos. aut. melis.
q. s. f. tabulę pondere drach. ij.
Sumantur mane & vesperi, bis aut ter in septimana.

Qui delicati sunt & cupedias sectantur, ijs trochisci, muscardini vulgò dicti; concinnari possunt.

Muscardini.

Rec. Nucis mosch. cond. tertiam partem.
Cort. citri cond. Myrobalan. cond. an. drach. iij.
Ambræ grisee. Moschi an. drach. ß.
saccari ad duplum pondus omnium
Cum mucilag. tragacan. extracta
cum aq. buglos. f. s. a. muscardini.

Quanquam calida ista medicamenta nõn nimis frequenter in vsum ducenda sint, ne humor magis irritetur, & exasperetur.

Remedia externa cordi confortando dicata sunt epithemata liquida, solida, olea, vnguenta sacculi. *Remedia externa.*

Epithema liquidum.

Rec. Aq. buglos. melis. rosar. an. vnc. iiij.
Vini albi vnc. j. ß.
Granor. Kermes. Flor. cordial. an. drach. j.
spec. diamarg. frig. diamb. an. drach. ß.
Croci scrup. ß. m. f. Epithema cordi admouendum.

Epithema solidum.

Rec. Conser. flor. borrag. rosar. melis. an. vnc. ij.
Confect. alkermes de hyacinto an. drach. ij.
spec. elect. de gemm. lętitię Gal. an. drach. ß.
cum aq. melissæ aut flor. arantior.

fiat epithema solidum forma cataplasmatis,
Quod inductum panno coccineo cordi applicetur.

Olea. Rec. *Olei jasmini costin. an. vnc. j. Ambrægris. gran. iij.*
m. inungatur regio cordis, aut fiat id balsamo naturali.

Vnguentum. Rec. *Flor. chamom. anthos arantior. an. drach. ij.*
Ligni aloes Santali moscati an. drach. j.
Olei jasmini balsami natural. an. vnc. j.
Ambræ. moschi an. gr. vj. Ceræ al. modicum. f. vng. pro inunctione cordis.

Sacculus. Rec. *Folior. melissæ Flor. borrag. buglos. an. M. ß.*
Cort. & sem. citri drach. ij. semen melissæ basilici cariophillati an. drach. j.
Pul. margarit. smarag. hyacinthi an. drach. ß.
Ossis de corde cerui drach. j.
santali rub. citrini an. drach. ß. Ambræ gr. v.
Conquass. insuantur serico in sacculum intersutum figura cordis,
gestetur continuè regioni cordis admotus.

Sic omnem video internorum & externorum remediorum materiam executus, quę roborando cordi, & imbecillitati amouendæ adhibentur.

Stomachica interna. Altera pars, cui robur conciliandum, stomachus est, cuius ratione præbendi pulueres digestiui, ad impediendum cruditatum prouentum, & inunctiones exterius faciendæ. *Puluis digestiuus.* Puluis digestiuus in calore medio ciitatem obtineat.

Rec. *Confect. sem. anis. sem. fœnic. an. drach. iij.*
Cort. citri cond. drach. j.
Margarit. præp. Corall. rub. præp. an. drach. ß.
Cinnamo. acerr. scrup. ij. saccari rosat. tab. vnc. iiij.
m. f. pul. sumatur cochlearis mensura à quouis pastu.

Stomachica externa. Exterius confirmabitur stomachus oleo nucis moschi, nardino, de absinthio: aut sacculo parato ex absinthio, melissa, caryophillis, maci, cinnamomo, rosis rubris & similibus. Sed magna cautione adhibenda hæc sunt, ne hepatis tegio contingatur, cum partis huius excedens calor hypochondriacæ plerumque fons sit & origo, qua ratione hepar inungatur vnguento rosato & santalino, aqua cichorij probè lotis: aut adhibeatur epithema ex aqua cichorij, endiuiæ, acetosæ, seminib. endiuiæ, florib. cordialib. & santalo rubro.

Cerebrum debilius ne tot vaporibus excipiendis pateat, roborabitur puluere capitali, & leui suffitu.

Hæc de Præseruatiuis extra accessionem præscribendis, quæ dubio procul violenti mali incursum præcauebunt, sublata enim mali causa effectum cessare omninò necessarium est.

Remedia in paroxismo hypochondriaca. Pro debilitate. Durante accessione, alia medendi ratio instituenda est, pro diuersitate accidentis, quo magis æger affligitur. Si debilitas magis vrget, omnis roborando cordi cura & cogitatio impendenda est, exhibenda quæ supra descripsimus, danda Confectio alkermes, panis vino imbutus, tabulæ, & opiatæ cordiales, cortices citri conditi. Admonenda cordi epithemata humida & sicca, olea, balsami, vnguenta, sacculi. Si oppressio, communissimum hypochondriacorum accidens, à vaporibus aut flatibus crassis diaphragma, & membranas impetentibus exorta plus molestat, *Pro flatibus opprimentibus.* instituendæ frictiones leues crurum & coxarum, inijciendus clyster flatus discutiens, cucurbitæ magnæ lieni, vmbilico & toti abdomini applicandæ.

Quod si dolor ab hisce flatibus suscitatus ingens sit, detur cochleare vini sublimati, aquæ cinnamomi, aquæ cœlestis, aut duæ vel tres guttæ essentiæ anisi ex jusculo sat calente, aut momentum theriacæ vel mithridatii.

Si contumaces flatus è pectore abitum renuunt, ejiciendi sunt sacculo præcalido ex florib. milio chamomillæ, meliloti, summitate anethi, & auena frixis.

Nec abs re erit pro dissipandis crassis istis vaporibus lieni forum adhibere. Atque hæc de tribus melancholiæ speciebus, quas veterum industria litteris consignauit, nimirum ea, quæ sedem in cerebro obtinet, quæ vitio totius corporis accidit, quæque in hypochondrijs fomitem habet hoc miserabili sæculo adeo frequenti, vt vix quispiam reperiatur, qui non subindè aliquas ipsius incursiones persentiscat.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE GE-



LIBER II.

DE GENERATIONE CATARRHI
ejusque cura.

CAPUT I.

Cerebrum esse sedem frigidi & humidi, ideòque destillationum radicem.



ON absque ratione magnum Græciæ oraculum Hippocrates pluribus in locis annorauit, cerebrum esse frigidi & humidi sedem, nam si contemplemur substantiã eius medullarem, temperamentum frigidum; formam rotundam, cauam, & oblongam cucurbitæ instar, situm altum, vt excipiat vapores omnes partium inferiorum, eo fine à natura hæc ita disposita esse deprehendemus, vt magnam, aquosi humoris copiam generet & cõplectatur. Substantia cerebri mollis & medullaris est, vt faciliùs impressas imagines recipiat, atque vt nerui ab eo pronati commodiùs flecti possint. Neque verò hæc medulla illi similis est, quæ ossium cauernis continetur, cum cranium non nutriat, ad ignem nõ liquetur, & absumi nequeat. Originem sortitur multò nobiliorem è purissima scilicet vtriusque seminis portione.

Cerebrum sedes frigidi & humidi.

Temperamentum ei frigidum meritò à natura tribntum est, vt temperaret spiritus animales, eorum dissipationem impediret, & caueret ne princeps hæc pars nobilissimis dicata & detenta functionibus nimio æstu succenderetur. Vnde discursus temerarii, motus irregulares & immoderati, quod phreneticis vsu venit, orirentur.

Temperamẽtum cerebri frigidum.

Sæpenumerò miratus sum, quomodo magnus ille Philosophus Aristoteles adeò à rationis semita exorbitârit, vt cerebrum solo refrigerando cordi creatum esse assereret, neque alium ejus vsum agnosceret. Si temporis & loci ratio permitteret, errorem ipsius vberiùs detegerem, & euidenter deducerem, plus calcaneo quàm cerebro refrigerandi cordis efficaciæ inesse. Sed ne longiùs ab instituto digrediar, lectorem ad ea, quæ Galenus libro octauo de vsu partium scripsit, temitto. Prosequendo itaque discursus mei filum, quoniam cerebri substantia mollis, eiusque temperies (aliarum partium respectu) frigida & humida est, magnum accumulat excrementorum prouentum. Cum enim sanguine frigido & crudo nutriatur, fieri non potest, quin magna superfluorum copia generetur; adeo vt ex se & natura sua congregando aquoso excremento sit opportunum. Quod & formæ ipsius, ac situs ratione accidit. Forma rotunda, caua, & instar cucurbitæ oblonga ab omni parte corporis exhalationes absorbet: situs altus facilè eas recipit, fitque vt vapores calidi ad frigidiorem partem elati densentur, & in aquam conuertantur, haud secus ac vapores ex hypochondriis æstuantibus eleuati, si ad cutem, partem multò frigidiorem, efferantur, in sudorem abeunt: aut exhalationes calore solis in secundam aëris regionem euectæ in pluuiam, grandinem, aut niuem concrescunt. Hinc apparet cerebrum & propriâ naturâ, & per accidens congerendis excrementis obuium esse, & in quouis animali primariam frigidi & humidi sedem appellari posse: potissimùm verò in homine: ut enim animus permultis facultatibus præditus est, ita homini quàm cæteris animantibus cerebrum amplius, & functionum domicilium capacius dari par erat, & per consequens pluribus redundare excrementis. Excrementa hæc (si Hippocrati & Galeno fides habenda est) aut

Error Aristotelis.

Cerebrum plurimũ excrementi procreat per se.

Per accidens.

Duo excrementorum genera.

crassa

crassa sunt, aut tenuia. Hæc insensibili transpiratione exhalant, illa pro sui expurgatione meatus & canales exposcunt, natura utrique a deo studiosè prouidit, ut jure merito industria ipsius miranda sit.

Meatus expurgando cerebro dicati. Siquidem tenuioribus educendis cranium perforauit, & suturas, quas videmus, produxit quæ in corpore camini, aut spiramenti cuiuspiam vices obeunt; Crassioribus duos canales ac velut aquæ ductus particulares extruxit, per quos omnibus aqua dimanet: alter ad nares, ad palatum alter terminatur. Qui ad palatum desinit, communior est, à tertio cerebri ventriculo pronatus superiore parte latior, inferiore angustior, à qua forma infundibulum Anatomicis dicitur. Infundibulo huic substernitur glans pituitaria, quæ cerebri superuacua carne sua porosa & bibula, spongiæ instar, excipit, tandemque per cunei foramina in palatum pedetentim instillat. Alter canalis ad nares delabitur, suntque processus duo seu tubercula, mammarum pupillis simillima. Per hæc quidem primario vsu & aër ad cerebrum fertur, & odorum species transuehuntur, vnde & odoratus organa vocantur; verùm vbi excrementa nimia vbertate exundant, natura hisce abutitur, & per hos processus seorsum deriuat humorem, qui dein per ossis humidis portionem cribri instar perforatam defertur. Sunt itaque duo hi meatus, nares scilicet & palatum, expurgando cerebro destinati.

Meatus ad palatum.

Meatus ad nares.

Ductus extraordinarij. Alios præterea notauit Hippocr. libro de glandulis, vt oculos, aures, spinæ medullam, venas & neruos: verùm hisce tum vtitur natura, dum facta confusione tota œconomia naturalis perturbatur.

CAPVT II.

Quid significetur nomine catarrhi, quis morbus sit, & in quo ipsius essentia consistat.

Cerebrum, si quam à natura obtinuit, temperiem & constitutionem integram saluamque conseruat, non nisi excrementa naturalia progignit, eademque indies per ductus à natura destinatos expurgat. Verùm vbi intemperiem contraxit, plura superuacua congerit, quæ aut grauitate sua (qualitate nimirum elementari) deorsum labuntur, aut in partem aliquam efficacia potentiæ expultricis cerebri, humorum peccantium quantitate aut qualitate maligna excitatæ propellunrur. Descensus hic humoris quocunque modo fiat, à Græcis Catarrhus, quasi defluxio, aut destillatio indigitatur. Scio equidem strictiorem adhuc esse huius nominis significatum, & Galeno libro tertio de sympt. caus. annotante sumi pro humore ad os & palatum defluente; verùm communiori & ampliori significatione hîc vtemur, & Catarrhum omnem humoris è cerebro destillationem nuncupabimus.

Quid nomine Catarrhi intelligatur.

Catarrhus symptoma est. Catarrhus, si Galeno credimus, symptoma est tertij generis, siue vitium excrementorum, quod alterum symptoma ordinariè consectatur, nimirum actionem læsam. Actio hîc læsa est concoctio, quia cerebrum dum alimentum non exactè digerit, plusquam deceat excrementorum accummulat. Concoctio læsa symptoma cum sit, à morbo aliquo, vt causa, dependet, quem intemperiem frigidam & humidam potissimùm esse censeo. Sicca per accidens concurrere subinde potest, vapores retinendo, & progressum atque exitum eorum prohibendo; calida similiter humores fundendo, & vaporum copiam attrahendo, quod tamen rariùs accidit. Quare cerebrum in Catarrhis pars affecta censeri debet. Morbus est intemperies immediatè coctionem lædens, à qua læsione vitium excrementorum nascitur. Vt autem naturam Catarrhi exactè percipiamus, tali ratione, è philosophiæ fundamentis eruta, discurrendum est.

Quis morbus symptomatis huius autor.

Catarrhi definitio. Catarrhus aut defluxio nihil aliud est nisi humoris ab vno loco ad alium Motus, quem Philosophi localem nominant.

Quinque in catarrho notanda sunt. In omni verò motu Aristoteles in Physicis quinq; requirit; mobile, id est id quod mouetur, mouens, id est id quod monet, & tres terminos, scilicet à quo motus incipit, per quem fit, & in quem desinit. In destillatione quod mouetur, humor est, cuiuscunque qualitatis sit, calidus, frigidus, dulcis, acidus, salsus, tenuis, crassus, simplex, mixtus.

1. Mobile.

2. Mouens. *Mouens internum.* Mouens est duplex, internum, & externum. Internum minus duplex est, forma humoris, & anima, id est, facultas expultrix. Humor si naturæ suæ & formæ elementaris impetum sequitur, semper descendit, quia grauis est. Atqui sæpius accidit, vt humor animæ legibus non obtemperans (facultate scil. expultrice penitus debilitata) à semetipso decidat, neque aliud motus sui principium, præter formam propriam & grauitatem, nanciscatur. Vnde videmus, maximam hominum partem vita priuari à suffocante catarrho, cerebro extremè debilitato, ac velut marcido & flaccescente. Alterum principium internum humores mouens est anima, siquidem natura cuique parti viuenti vim expultricem eorum quæ lædunt, aut nocent primo ab ortu indidit.

Quare cerebrum irritatum, aut copia humoris, qua grauatur aut qualitate, qua irritatur, conatur

conatur eum expellere, & quantum potest à se longissimè amouere.

Mouens externum est quicquid comprimere, relaxare, aut agitare cerebrum potest: aër frigidus comprimit cerebrum, & delapsum humorem incitat, aër calidus, & balnea relaxant, & fundunt humores: ictus, casus, & violentæ animi passiones agitant humores cerebro contentos, eosque destillare & foras prorumpere cogunt. Superest vt tres terminos inquiramus. Terminus, à quo humorum motus exordium sumit, est interius & exterius cerebri. Sæpe humor in ventriculis, & tota substantia cerebri delitescit, qui dein sensim destillat: sæpè foris inter os & membranam conditur, qui defluxiones externas progignit. Loca per quæ humor transit, qui est alter terminus, sunt meatus ordinarij, & extraordinarij cerebri: ordinarij sunt nares, & palatum: extraordinarij sunt oculi, aures, nerui, medulla, venæ & arteriæ spatium quod inter ossa & membrana interiacet, aut spatium inane musculorum. Terminus, in quo motus humoris desinit, potest esse omnis pars corporis, dummodò sit prona, capiti subiecta, & debilis; nunquam enim destillatio ab inferiore parte sursum prorepit. Hisce Catarrhi definitionem enodandam duximus, transcamus ad ipsius differentias.

Mouens externum. *3. Terminus à quo.* *4. Terminus ad quem.* *5. Terminus in quem motus desinit.*

CAP. III.

De differentijs Catarrhi.

Primariæ catarrhi differentiæ sumuntur à materia, quæ destillat à partibus quæ transmittunt, aut recipiunt, ab accidentibus quæ comitantur, & à generationis modo. Materia omnis catarrhi humor est: humoris hîc nomine comprehendo, quicquid actu liquidum est & fluit. In humore plurima considerari possunt, substantia, temperamentum, qualitas, sapor & mixtio, à quibus omnibus aliquas catarrhi differentias desumemus. Substantia aut consistentia humoris (quæ vocabula sunt trita apud Medicos,) aut tenuis est & subtilis, aut crassa & spissa, aut mediocris. Vnde existunt Catarrhi subtiles & penitus aquei, alij magis crassi. Temperamentum humoris calidum est, aut frigidum: sunt itaque Catarrhi frigidi, & calidi frequentiùs occurrunt, & ab intemperie frigida & humida cerebri pronascuntur, intemperies frigida facultatem concoctricem debilitat, & facit, vt excrementi plus, quàm par est, cerebrum congerat, neque reliquias alimenti frigidi digerere potest, intemperies humida facultatem retentricem eneruat, & humores, licèt superflui non sint, elabi sinit. Catarrhus hic frigidus plurimis se prodit indicijs, siquidem humor destillans acris non est, cerebrum stupidum est, oculi turbidi, auditus grauis, nares obstructæ, sensus omnes hebetes, facies pallida, corpus laxum, graue & tardum; cum brachiorum & crurum robur à vigore musculorum & neruorum dependeat. Hic verò nerui omnes remollescunt ac velut relaxantur, cum cerebrum commune ipsorum principium, aquæ velut innatet. Atque ne Medicus in causa inquirenda aberret, notabit temperamentum, ætatem, locum habitationis, tempus anni, & vitæ victusque statum, nam si corpus temperamenti est frigidi, ætate confectum, si habitat in loco frigido, aquoso & palustri, si tempus hybernum est, si frequenter vescitur fructibus maximè horarijs, cibis frigidis & humidis, si vitam ducit obtusam & sedentariam, quin catarrhus hinc frigidus exoriatur, nullatenus est dubitandum, sunt & catarrhi calidi, licèt plurimi magni nominis Medici hoc pertinaciter negent, sed authoritas Hippocratis, & experientia contrarium suadent, & persuadent.

Differentia sumpta à materia. *Prima differentia à substantia.* *Secunda à temperamento.* *Signa catarrhi frigidi.*

Hippocrates mentionem facit anginæ æstiuæ, quam defluxio subtilis, acris, & calida peperit, videmus subinde è naribus profluere humorem flauum & biliosum, omnia excoriantem, quemadmodum & in cerebro bilis prouentus est, quæ per aures expurgatur. Veterum obseruatione proditum est, tria excrementorum genera in cerebro prouenire, pituitosa, melancholica, & biliosa. Pituitosa per os & nares repurgantur, melancholica per oculos, biliosa per aures, quæ enim ex ijs repurgantur flaua sunt, & extremè amara. Quamobrem perspicuum est & euidens, dari defluxiones calidas, quæ tales sunt aut natura sua, quæ scilicet à bile existunt, aut corruptione, vt dum pituita putrescit, acrimoniam & salsedinem acquirit. Neque difficile est catarrhos hos calidos agnoscere, nam si humor per palatum & os dimanet, amarus & acris percipitur, vrit & excoriat quicquid permeat, facies rubet & ardet, frons impensè calet, & febris comitatur. His adiunge temperamentum calidum & biliosum, aëris constitutionem calidam, vitæ victûsque rationem, & cætera omnia quæ aut humores excalefacere, aut calidos producere apta nata sunt. Præter substantiam & temperamentum in humore obseruanda est qualitas, siue mores & ingenium: quidam enim perniciosi sunt, & occulta malignitate præditi, quidam benigni, alij cocti, crudi alij. Ex hoc fonte nouam hauriemus catarrhi differentiam. Alij enim rebelles sunt & maligni, vt qui luem veneream comitantur, aut ex eius reliquijs exurgunt; qui nequaquam receptis & consuetis medicamentis, sed alexipharmacis expugnandi sunt: alij benigni sunt, qui facilè & vnica purgatione extirpantur.

Signa catarrhi calidi. *Tertia differentia à qualitate humoris.*

Signa catarrhi cocti & crudi

Sunt & cruda & cocti: illi tenues, clari, inæquales, virides, flaui, amari, aut acres comparent; hi æquales, & sibi per omnia similes, ac mediocriter crassi.

Quarta differentia à sapore.

Sumuntur & à gustu ac sapore humorum defluxionum differentiæ, vnde existunt salsæ, dulces, acres, & insipidæ. Salsæ plus reliquis periculi habent; nam si ad pulmones delabantur, vlcus excitant, si ad intestina, dysenteriam. A mixtione humorum hoc discriminis sortiuntur destillationes, quod aliæ ab vno fiant humore, & simplices sint, aliæ à plurimum mixtione. Hisce primam differentiam, quæ à materia desumitur, enucleatè prosecuti videmur.

Differentia à partibus sumpta.

Altera differentia à partibus colligi potest, quarum duplex genus considerandum est; transmittentium, & recipientium. Transmittentes aut interiora cerebri sunt, aut exteriora, interiora ob temperiem frigidam, & substantiam medullarum plerumque excrementis redundant, exteriora, vt inter cranium & pericranium, aut inter cutem & pericranium, magna aquæ copia congeri potest, aut à vaporibus retentis & condensatis, aut quod è venis & arterijs erosi humores exsudent, ibique coaceruentur. Ducto itaque ab hisce partibus discrimine, aliæ sunt externæ, quæ ab externis partibus protuunt, & per continuitatem membranarum omnes partes peruadunt vsque ad iuncturas, quæ potissimæ tum omnis arthritidis, tum omnis ferè externi doloris causæ esse deprehenduntur. Aliæ internæ quæ è cerebri ventriculis in interiores corporis sedes prolabuntur, in hisque varios morbos excitant: in neruorum origines irruentes, apoplexiam, paralysin, stuporem tremorem: in sensuum organa, cæcitatem, surditatem, tinnitum, odoratus priuationem: in nares grauedinem: in fauces & in asperam arteriam, raucitatem: in pulmones tussim, asthma, phtisim: in ventriculum cruditatem: in intestina alui profluuium.

Differentia ab accidentibus.

Tertiam differentiam constituunt accidentiæ hinc alij suffocatiui, qui subitò hominem extingunt, quos Hippocrates συντόμως ἀποπνίγοντες nuncupat, alij sine periculo sunt, & pedentim labuntur. Alios comitatur febris, alii febris expertes sunt: alii cum dolore, sine dolore alii corpus exercent.

Vltima differentia.

Vltima differentia à modo generationis, & causa efficiente desumitur. Ex hoc fonte alij sunt ideopathici, qui particulari cerebri vitio, reliquo corpore inculpata sanitate prædito, oriuntur: alij sympathici, qui ex mala reliquarum partium dispositione existunt. Sic è iecore calidiore vaporibus in caput elatis plurima destillationis materia suscitatur, à stomacho frigidiore magnus cruditatum prouentus accumulatur.

Dantur & catarrhi epidemij, & sporadici: epidemij, aut populares ex aëris constitutione pronascuntur, qualis boc anno Galliam, & ante decennium totam Europam afflixit, Coqueluche Gallico idiomate dictus. Sporadici ex particulari corporis vitio, & victus ratione cuique propria ducuntur.

CAPVT. VI.
De Causis Catarrhi.

Causæ Catarrhi externæ sunt, aut internæ. Externæ à vitio aëris, aut victus ratione dependent, aër tribus modis corpora immutare potest, qualitate, substantia, & subita mutatione. Calidior, frigidior, aut humidior gignendis catarrhis aptissimus est. Calidum dissoluit & fundit humores cerebro contentos, & ad fluendum promptiores reddit. Frigidum comprimens & coarctans cerebrum, destillationes irritat ac veluti exprimit. Quemadmodum enim spongia aqua imbuta, si comprimatur, aqua vndiquaque extillat; sic cerebrum frigore compressum humores hac illac diffundit, idem frigus destillationem commouere potest, calorem coërcendo, & à partibus externis ad internas cogendo. Auster & Aquilo defluxiones frequenter commouent; hic comprimendo, ille replendo & aggrauando. Subita aëris, & tempestatum anni mutatio in censum causarum, quæ fluxiones mouent, referenda est. Pariter si tempestates anni temperamenta sua non seruant, ut Hippocr. tertio Aphorism. annotat, toto anno destillationes molestæ erunt: quod si huic alterationi accedat aliquod particulare vitium in substantia aëris, nimirum occulta & maligna corruptio, catarrhi epidemii & pestilentes procreabuntur. Victus ratio etiam causis externis catarrhum generantibus accenseri potest, nimiò cibo ac potu cerebrum oppletur; quare ij qui sordida intemperantia poculorum magnitudine certant, & se bibendo superant catarrhis suffocatiuis admodùm sunt obnoxij. Iam verò longior inedia, aut tenuior parciorque victus non id aptè resarcit & instaurat, quod tum natiui caloris, tum circumfusi aëris vi necessariò dissipatur è corpore: Proinde ex accidente destillationes accersit, quod in pabuli pennria, natiuus ventriculi calor vicinarum partium humiditates attrahat, & exorbeat. Vigiliæ diuturnæ, studium continnum, animi passiones violentæ, calorem naturalem dissipant, & cerebro frigidam itemperiem inducunt, vnde defluxionum prouentus, ocium similiter omnia excrementa detinet, & coaceruat. Euacuationes enormes, potissimùm sanguinis, corpus in immaturam senectutem præcipitant, & destillationibus ob-

bus obnoxium reddunt. Somnus immodicus reddit corpus turgidum, & humidum; potissimum, qui pomeridiano tempore initur. Atque hæ sunt causæ externæ catarrhum generantes aut commouentes: transeamus ad internas.

Internæ aut sunt remotæ, aut proximæ, remotæ, quas alij antecedentes nuncupare malunt, referuntur ad malam dispositionem cerebri, capitis, hepatis, stomachi, & quandoq; totius corporis. Intemperies frigida, humida, & calida sæpè destillationes proritant; frigida & humida per se, calida per accidens: frigida & humida calorē natiuum debilitat, alimentum non exactè concoquit, neque superflua sufficientèr discutit, vnde saburram excrementorum congeri necesse est: calida plus alimenti attrahit, quàm conficere possit, plus vaporum progignit, quàm discutere valeat. Sunt qui subtili admodum ratione densitatem substantiæ cerebri incusarunt, quod cohibendo vapores crassos, eorumque exhalationem fluxiones accumulet. Hisce etiam congerendis opportuna est mala conformatio capitis, quibus enim suturæ admodum angustæ, aut ijs omninò destitutæ sunt, quales non paucos vidimus, ijs ob vapores detentos, ac in aquam conuersos frequentèr destillationes molestæ sunt. Suturæ enim, vt cerebri spiraculi, aut camini vices obeant, conditæ sunt.

Intemperies cerebri catarrhos progignit.

Mala conformatio.

Quodsi principi Arabum Auicennæ credimus, partium inferiorum intemperies, maximè verò hepatis, & stomachi potissima defluxionum est causa. Ab hepate enim præcalido, velut à foco, multi vapores in caput efferuntur; qui dein cerebri frigore in aquam versi protinus relabuntur, perinde atque terrarum exaspirationes, quę in nubes concrescentes mox dissoluuntur in imbrem, aut sicut vaporarij halitus in sublime elatus densatur in aquam. Accedit quod qui jecore calidiore præditi sunt, venas calidas sortiti sunt; è quibus continua fit vaporum expiratio. Frigida stomachi intemperies, cruditates accumulans, in hanc quoq; causarum classem referenda est. Hinc enim totum corpus frigidum existit, cum primæ coctionis vitium secunda emendare nequeat. Quodsi causarum hæc series concurrat, scilicet cerebrum frigidum & humidum, hepar calidum, stomachus frigidus; dubium non est quin continua fiat excrementorum cerebri generatio. Atque hoc ipsum est, quod Arabes memoriæ prodiderunt, inæqualem viscerum intemperiem primariam defluxionum causam esse. Hæc de causis remotis.

Intemperies partium inferiorum.

Proximæ non modò catarrhi, verùm omnis omninò defluxionis tres sunt, pars transmittens, recipiens, & humoris naturæ. In parte transmittente notamus situm altiorem, & robur, quæ duo si obtineat, facilè in partes pronas & subiectas superuacua deponet. Hoc præclarè, vt reliqua, animaduertit Hippocr. libro de vulneribus capitis, dum inquit, ex omnibus capitis partibus nullam inflammationi magis subiectam esse fronte, quod sit contenta: Atqui omnis fluxio fit à parte continente ad contentam: frons contenta est & ratione situs, & productionis vasorum.

Proximæ causæ tres.

Pars transmittens.

Pars quæque humorem fluentem recipit, aut quia prona est alterique subiecta, aut quia imbecilla, aut quia ipsum attrahit. Prona fluxionique subiecta pars est, quæ inferiore est situ: quandoquidem materia grauis faciliùs deorsum fertur, & in procliue deuoluitur: quod si & imbecillia sit, tanto facilius excipiendis superuacuis patebit.

Pars recipiens.

Imbecilla est vel natura, aut ex accidenti. Pars quæcunq; laxa mollisque genita est, vt glandulæ, imbecilla est, & velut à natura exhauriendis partium nobilium superfluis destinata. Hippocrates libello de glandulis rem hanc adeò doctè ac copiosè persequitur, vt addi nil possit. Cutis à natura debilis est constituta, vt recipiat partium interiorum superuacua, vnde emunctorij vniuersalis nomen obtinuit. Ex accidenti partes imbecillæ sunt, vt, à casu, ictu, aut ab aliqua intemperie: quocunque autem modo debiles sint, aptæ sunt, vt à vicinis partibus fluxiones recipiant. Vltima causa est, dum pars humorem attrahit. Attractionis huiusce causas tres statuunt Arabes, calorem, dolorem, & vacui fugam. Calor ex se naturaque sua attrahit, nam dum partes vicinas rarefacit, humores attenuat, & vias dilatat, humores prolabi necesse est. Dolor impropriè attrahit, cum sensus sit passio; atqui sensus non agit, sed patitur, omnisque sensio receptione fit: verùm ad locum dolentem ob partium imbecillitatem humores proruunt, cumque calor natiuus dolore imminuatur, & humores concoquere nequeat hi tantò vberiùs congeruntur. Qui prætendunt humorem ad partem dolentem decurrere, quod natura velut solatij causa ad partem affectam spiritus & sanguinem transmittat, decipiuntur, & naturæ iniuriam faciunt. Si enim cognoscit partem spiritu & sanguine indigere, non latebit eam, quod sanguinem impertiendo ac transmittendo nihil proficiet, sed plurimùm potius incommodabit, dolor itaque non properè attrahit.

Pars debilis.

Vt pars fluxionem attrahat.

Vt dolor attrahat.

Vltima fluxionum causa ad humorem refertur; qui si tenuis sit substantiæ, calidi temperamenti, acris & mordacis qualitatis ad fluendum aptior erit.

CAP. V.

Generalis victus ratio defluxionibus accommodata.

QVem superius in victus ratione enarranda cursum tenui, eundem hîc prosequar. Vsus sex rerum non naturalium sic instituendus est, vt non solum impediat catarrhi generationẽ, sed etiam genitum discutere & dissipare possit. Quare eligendus est aër in actiuis qualitatibus temperatis, in passiuis siccis, temperatum in actiuis requiro, quod calidior fundendo, frigidior exprimendo humorum fluxiones proritet. Frigidior corrigatur igne excitato è lignis iuniperi, rorem arino, lauro, & quercu, calidior emendetur herbis, & floribus refrigerandi qualitate præditis. Fugiendi sunt venti meridionales, & septentrionales quod illi plus æquo repleant, hi verò exprimant. Declinandi radii solares, & aër nocturnus. Aëtis inæqualitas (Celso authore) plurimùm defluxiones commouet. Inæqualem appello qui modò calidus, modò frigidus est, in passiuis siccum vt sectemur, habitanda sunt loca edita, & ab aquis remota.

In cibo tria notanda. In cibo tria obseruanda sunt, quantitas, qualitas, & vtendi ratio, Quantitatis ratione, omnis repletio inimica est ijs, qui catarrhis obnoxii sunt; nunquam ad satietatem repleantur, sed reliquiis desiderii adhuc in anima prurientibus à mensa consurgant. Neque dubium est, quin si omni septimana semel à cœna abstinerent, plurimùm commodi perciperent. Qualitas contraria sit morbo, aut causæ. Causa catarrhi est humor superuacuus. Quare siccantes cibi ex vsu sunt. In genere vitandi omnes flatulenti, crassi, viscidi, concoctu difficiles, & excrementis redundantes. In vtendi ratione plurima obseruatione digna sunt: stomachus nouo cibo onerandus non est, nisi priore concocto, cibus simplex vario præferendus, quod varietas cruditates progignat, hæc venis insinuata materiam destillationis cerebro subministret. Ineunda est consuetudo parciùs cœnandi, quàm prandendi; quod somnus, qui cœnam, quam mox subsequitur, vaporum copiam ad cerebrum ablegetur, qui in aquam conuerti destillationum sobolem propagant.

Panis. Panis ex laudabili frumento benè coctus sit, à furfure non omnino repurgans, & cum salis modico apparatus: calidus non edendus, omnisque pastus pane biscocto, qui conditus sit momento anisi & fœniculi, claudendus.

Carnes. Carnes elixæ assis meliores sunt, & præ reliquis, quæ minus humiditate excedunt, approbamus vsum caponum, columbarum, perdicum, leporum iuniorum, hœdorum, ceruorum, phasianorum, coturnicum, turturum, omniumque auium montanarum, quæ saluia & hyssopo consigantur. Reijcimus carnem porcinam, agninam, ouillam, vitulinam iuniorem, & a- *Pisces.* uium in aquis degentium, vt & iuscula omnia, quibus & pisces omnes, lacticinia, ac leguminaadnumeranda sunt.

Herbæ. Ex herbis Arabes commendant saluiam, hyssopum, mentham, serpillum, maioranam, rorem marinum, pimpinellam, cerefolium, fœniculum, piperitidem. Aëtius caules & porrum admittit, sed expressè prohibet vsum allij & ceparum, quod vapores magna vbertate progignant, vt & herbas frigidas ac humidas, quales lactuca, portulaca, acetosa & similes.

Fructus. Fructus humidiores vitandi sunt, vt poma, pruna, melones, cucurbitæ, mora. Concedendi quibus siccandi qualitas inest, vt pineæ, auellanæ, pistacia, amygdalæ, pira, coronea, ficus, vuæ passæ, mespila, sorba, potissimùm à pastu, hæc paucis de cibo.

Potus. Ad potum quod attinet; aqua frigida, & potus actu frigidus in destillatione nocentissimus est, nisi ea extremè calida sit, acris, & cum febre: aqua hordei cum modico saccari, & cinnamomi conuenientissima est, aut ptisana, vel hydromel. si stomachus imbecillior aquæ coctæ vsum non ferat, eligendum est vinum maturum, & tenue, quod nec dulce, nec acerbum sit. Vinum apianum, aromatites, aliaque potentia cerebrum subitò petunt, & vaporibus opplent.

Bibere statim vbi mensæ quis accubuit, defluxiones mouet & auget: neque perniciosius quidquam ijs, qui destillationi opportuni sunt, quàm bibere paulò antequam quis cubitum concedat.

Somnus. Somnus diuturnior corpus aggrauat, & excrementa intus recondit, sufficit sex aut septem horas somno indulgere, idque capite ac pedibus opertis, nam quibus cerebrum frigidum & humidum est, ijs Aristotele authore, extremorum frigus plurimùm, incommodat. Dormiendum est capite eleuato, ac corpore in latus reclinato, nam decubitus supra dorsum venam cauam spinæ incubantem calefacit, & vaporum copiam ad cerebrum transmittit. Somno meridiano, aut mox à cibo nemo indulgeat, sed potius leui deambulationi, aut incundo alloquio vacet, neque statim à pastu lectioni, scriptioni aut profundæ meditationi incumbendum est.

Vigiliæ. Sic enim calor naturalis, qui soli concoctioni impendendus est, aliò distraheretur. Vigiliæ æqualem

æqualem somno longiori nocendi vim habent, dum calorem natiuum discutiunt & cerebrum refrigerant.

Conducit tempestiuè cubitu surgere, deambulare per cubiculum, tussire, emungere, & ab omni naturali excremento se repurgare. *Exercitia.*

Exercitia uniuersalia magnâ commendatione ab Hippocrate extolluntur; nec minus particularia, vt frictiones. Verùm si caput debile est & opplerum, à partibus inferioribus frictio instituenda est, procedendo à coxa ad spinam; hinc ad brachia & collum; vt caput tandem spongiis, aut sacculis fricetur. *Frictiones.*

Et quoniam caput omnium defluxionum fons est, eius potissima habenda est ratio. Non nimis onerandum, neque nudandum, sed mediocriter operiendum est, calor potius perferendus, quàm frigus, neque nimium comprimendum est, ne humores ab infernis partibus attrahat.

Expediet lenem seruare aluum: adstrictà enim affectionem non parum exacerbat. In hunc vsum præsidia paulò post exarabuntur.

CAP. VI.

Methodus generalis curandæ destillationis.

CVm in omni defluxione deprehendatur pars mandans & pars recipiens, vtriusq; accurata ratio Medico habenda est. Caput fons est & origo omnis catarrhi, hoc ergò vacuandum est, siccandum, & roborandum, vt nihil nouæ destillationis concitari possit. Nos methodum nostram accommodabimus curandæ defluxioni frigidæ, quam que frigida & humida cerebri intemperies progenuit, quod frequentior fit eiusq; cura cæteris facili negocio accommodari possit.

Prima indicatio est radicem enellere, expurgare, siccare, penitusq;, si licet, abolere, cui negotio euacuationes vniuersales, & particulares deseruient, sed his illæ præmittendæ sunt, si corpus sanguinis vbertate redundat, si defluxio calida est, si febris adest, & hepar nimio torretur æstu, phlebotomia summè expedit: alioquin non admittenda, atque hoc est quod ex Arabum placitis prodiit, catarrhum vt catarrhum nunquam venæsectionem exposcere, sed ob juncta accidentia. Progrediamur ad purgantia, è quorum censu primas tenet clyster totum corpus euacuans, & à cerebro attrahens. *Prima indicatio.* *Phlebotomia.* *Purgantia.*

℞. decocti comm. lib. j. cui adde Maioranæ Hyssopi Saluiæ an. M. j. *Clyster.*
Sem. anethi drach. iij.
Flor. chamom. stœchad. Rorismar. an. M. ß.
In colat. dissolue
Benedict. laxat. Diaphœn. an. vnc. j.
Mellis anthos. aut mercurial. vnc. j.
Olei aneth. vnc. ij. salis parum. m. f. clyster.

Postridie sumatur drachma pilularum cochiarum pro humore expurgando, aut potio sequens. *Pilulæ.*

Rec. Rhabarb. el. Agarici troch: an drach. j. *Potio.*
Cum modico Cinnamo. & Caryoph.
infund. per noctem. in aqua hyssopi aut menthæ
facta expressione dissol. Diaphœn. aut diacarth: drach. ij.
Syr. ros. sol. vnc. j. m. f. potio.

Si humores frigidi sunt, crassi, & viscidi non abs re erit, sequenti Apozemate eos præparare. *Præparatio humoris.*

Rec. rad. acori cypari, galangæ an. vnc. ß. *Apozema.*
Fol. beton. hyssopi maioranæ saluiæ melissæ agrimon. an. M. j.
Sem anis. fœnic. an. drach. iij.
Flor. anthos stœchad. beton. P. j.
Coq. in s. q. aq. ad lib. j. ß. in colat. dissolue Mellis anthos.
aut saccari albiss. vnc. iij.
m. f. Apozema clarific. & aromatiz.
drach. j. spec. arom. caryoph.
& pauco cinnamomo. sumatur quatuor matutinis continuis.

Hinc vacuabitur corpus iisdem pilulis, aut de agarico, sine quibus, fœtidis, aut potione modò descripta, aucta purgantium quantitate. Arabes insignem hoc loco de pilularum vsu obseruationem tradunt, formandas esse grandiores, vt minùs citò dissolutæ, diuturniori mora plus & expeditiùs à partibus remotis attrahant. Hæc de purgantibus.

Decoctionum sudorificarum vsum vniuersali vacuationi adnumero; siquidem serum omne

mne è venis educunt, & humores viscerum superuacuos siccant & exorbent. Parantur ex guaiaco, sarsapariglia, china, & sassafras, quarum formulæ omnibus obuiæ sunt.

Corpore hisce medijs exinanito ad particulares purgationes descendendum est, hæ sensibiles, aut insensibiles sunt: sensibiles perficientur errhinis, masticatorijs, gargarismis, vesicatorijs, sinapismis, cucurbitulis scarificatis & cauterijs: insensibiles pulueribus, sacculis cucurbitulis siccis suffumigijs. Errhina cerebrum per nares repurgant, quæ sicca aut liquida apparantur, sicca ex puluere piperis, seminis staphisagriæ, & ellebori albi, liquida ex succo maioranæ, mercurialis, anagallidis maris, betæ, caulium cum vino albo: sunt qui peculiaris efficaciam olei nigellæ naribus interius illiti deprædicent.

Errhina.

Masticatoria Masticatoria egregiè cerebrum repurgant; conficiuntur ex radice pyrethri, mastiche, nuce moschata, cubebis, vuis damascenis in aq: saluiæ maceratis, aut in essentia saluiæ & thymi. Gargarismi extra receptiorem vsum positi sunt.

Vesicatoria. Emplastra. Vesicatoria capiti admota sensibiliter vacuant, præparantur ex fermento acri, fimo columbino, puluere cantharidum, cum modico aquæ vitæ. Possunt & emplastra confici ad aqueos humores euocandos ex brionia, thapsia, semine sinap. & euphorbio. Panis è furno calens aquæ vitæ momento imbutus, capiti & ceruici adhibitus serum copiosum educit, his adnumera cucurbitulas scarificatas.

Cauteria. Demùm catarrhis inueteratis & rebellibus extirpandis plurimum seruient cauteria, quod fontem defluxionis exhauriant, & humorum cursum reuellant, imprimenda sunt capiti, ceruici, aut brachio.

Euacuatio. insensibilis. Insensibili euacuatione humor in vaporem conuersus transpiratione educitur, quod fit sacculis, pulueribus, suffumigijs.

Sacculi. *Rec. Milij auenæ an. M j. Furfuris salis an. vnc. j.*
frixa imponantur sacculo, qui calens
commissuræ coronali admoueatur, aut:

Rec. sem. anis. fænic. baccar. lauri an. vnc. ij.
milij, salis vulg. an. vnc. iij.
summit. anethi Flor. chamæmom. Rorismarini an. M. j.
frixa insuantur in sacculum, qui calfactus
capiti adhibeatur.

Suffitus serum euocantes & absumentes sic parantur,

Suffitus. *Rec. styracis calam. benzoini nigellæ Rom. an. drach. iij.*
Caryoph. troch. gall. mosch. an. drach. I.
m. f. pul. pro suffitu, quo suffiantur tegumenta capitis, aut

Rec. Thuris, laudani benzoi an. drach. iij.
Gummi hederæ baccar. juniperi Coriand. præp. an. drach. ij.
m. pro suffitu.

Hisce mediis prima intentio perficietur, quæ est expurgare cerebrum, & exhaurire fontem destillationis.

Indicatio secunda corroborandi cerebrum. Altera indicatio est cerebrum roborare, & corrigere intemperiem frigidam & humidam, quæ coagmentatione assidua excrementorum cumulum facit, atq; omnia in serosum humorem conuertit. Frustra enim exhauritur fons, si eius denuò replendi vena non præscinditur, cui scopo complendo interna & externa remedia proferemus. Interna sunt opiata, tabulæ, pulueres, theriaca & mithridatium ex roborantium genere primas tenent, quæ proximè consectantur conserua betonicæ, anthos. stœchados.

Opiata. *R. Conser. flor. anthos. stœchad. flor. beton. an. vnc. j.*
theriacæ vet. drach. ij.
spec. arom. ros. diagalang. an. drach. j.
cum syr. de stœchad. f. opiata,
sumatur ante ingressum lecti quantitate juglandis.

Tabulæ ejusdem efficaciæ sic parandæ.

Tabula. *Rec. spec. arom. caryoph. drach. j.*
diagalan. drach. ß. Nucis mosch. scrup. j.
saccari sol. aq. beton. & melis. q. s.
f. confect. in tabulis pond. drach. iij.
sumatur una mane horis ante prandium duabus,
& vesperi hora ante cœnam.

Puluis digestiuus post pastum sumendus, cerebro & stomacho robur conciliabit.

Puluis digestiuus. *Rec. Caryoph. Macis ligni aloes an. drach. ij.*
Nucis mosch. drach. j. Corall. rub. scrup. ij.
Margar. præp. Cornu cerui vsti præp. an. scrup. j.

sacca-

Saccari albiss. rosat. tab. an. unc. iiij.
m. f. pul. sumatur cochleare post quemuis pastum.

Ditioribus ambræ modicum addi potest. Aquæ cœlestes, theriacales, imperiales siccando & confirmando apprimè conducunt, maximè senio confectis, & temperamento frigido præditis.

Inter Remedia externa firmando cerebro dicata sunt pulueres capitales, vel capiti inspergendi, vel in cucuphas insuendi. *Remedia externa.* *Puluis capitalis.*

Rec. Caryoph. Macis Ligni aloes an. drach. ij.
Rosar. rubr. beton. an. drach. iij.
m. f. pul. capiti inspergendus, aut paretur cucupha forma tali.

Rec. Fol. beton. melissæ Maioran. Menthæ siccor. an. drach. iij. *Cucupha.*
Caryoph. macis Nucis mosch. an. drach. j.
Rosar. rubrar. Flor. anthos an. drach. j. ß.
Granor. Kermes Ligni aloes an. drach. j.
m. f. pul. qui gossypio mixtus cum
serico rubro insuatur in cucupham.

Parantur & Emplastra siccantia ac roborantia toti capiti applicanda.

Rec. laudani puri Mastich. an. unc. ß. *Emplastrum.*
Thuris sandarach. an. drach. iij.
Rad. cyperi, caryoph. Ireos Florent. an. drach. ß.
Glor. saluiæ, anthos. rosar. rubr. an. drach ß.
Cubebar. scrup. ij. Ol. Irin. & therebinth. q. s.
f. s. a. Emplastrum.

Aperuit Hispanorum in Indias nauigatio gummi præcellens admodum, Tacamahaca dictum: hoc emplastri forma capiti inductum cerebrum roborat, sistit fluxiones omnes, & tanta proprietate demulcendi doloris præditum est, vt omnibus doloribus leniendis Indiæ populus adhibeat, nisi manifesta sit iuncta inflammatio, vidi egomet præclaros peregrini huius medicamenti effectus.

Veteres practici in prima commendatione ponunt lotiones capitis cum herbis capitalibus apparatas, quales sunt Betonica, melissa, maiorana, lauendula, flores stœchados, rosmarinus. Sapo huic intentioni sequens inseruiet. *Lotio capitis.*

Rec. Sapon. Ven. unc. iij *Sapo.*
Agarici albi drach. ij
Ireos flor. drach. ij.
Caryoph. Macis ana. drach. j. m. f. sapo.

Laudantur & aquæ thermales, forma stillicidij, duciam vulgò appellant, dummodò sint actu calidæ & sulphureæ, quales sunt Balarucinæ, quatuor milliaribus Monspelio distitæ. *Therma.*

Sunt qui omni vespere aliquot guttas olei terebinthinæ auribus instillant, easque gossypio moschato obturant; quod cerebrum confortare & siccare asserunt. *Oleum auribus instillandum.*

Quæ hactenus explicata sunt catarrhis frigidis, iisque, quibus cerebrum frigidum ac humidum est, deseruient. Si destillatio calida est, vt & cerebri temperies calida, facilè discretus iudicabit Medicus, varianda esse remedia, & temperamento accommodanda. Hinc duæ exurgunt indicationes, à parte mandante desumptæ; quod priùs sit exhaurienda, dein, ne quid noui regeneret, firmanda.

Superest vt exponamus, quid de parte recipiente consilij capiendum sit. Omnis pars prona seu inferiore situ constituta, ac debilis recipiendis fluxionibus est opportuna; verùm pro ratione dignitatis, ac necessitatis ipsius partis, plus aut minus curæ ac operæ impendendum est. Si destillatio in oculos defluat, remedia libello de visu executus sum; si ad nares diuertenda est; si ad dentes, eorum conseruationi caput insequens dicabimus; si in stomachum, purgatione educenda. Periculosissima est, quæ per asperam arteriam delapsa subitò in pectus aut pulmones decumbit. Nam respirationem impedit, functionem summè necessariam, & animal præfocat. Quamobrem auxilia differenda non sunt. Ac adhibenda quæcunque exposuimus vacuare, diuertere, & deriuare motum humorum; quod si nimis præceps fuerit, ...gemur eum quàm mox fieri et intercipere remedijs ore continendis, & deglutiendis, à ...rioribus ducto exordio, vt à bolo armeno, terra sigillata, tragacantho, conserua rosarum veteri, saccaro rosato, è quibus trochisci concinnari possunt. *Quando intercipiendus catarrhus.*

Rec. Conser. rosar. vet. drach. pul. tragacanthi drach. I. *Trochisci.*
Terræ sig. boli Orient. an. scrup. ij.
cum infusione gummi tragacan. f. s. a. trochisci.

His non proficientibus ad fortiora transeundum, qualia sunt diacodium, theriaca recens, pilulæ de cynoglossa, aut quæ à veteribus descriptæ sunt, quæ ex styracis, galbani, opij, & myrrhæ pari

rhæ pari pondere conficiuntur. Sed hæc remedia extremæ necessitati reseruanda sunt, vbi scilicet repentinæ suffocationis periculum imminet.

Remedia externa fluxum intercipientia.

Potest & catarrhus intercipi remediis externis, vt suffitu, & emplastris.

Rec. Rosarum rubr. Coriand. prep. an. drach. j.
Mastichos sandarach. Gummi hederæ an. scrup. j.
sem. papau. scrup. ß. Granor. myrti drach. ß.
f. pul. pro suffiendo capite, aut
fumus ore ac naribus attrahatur.

Quam modo commendauimus Tacamahacam, suspendendo ac intercipiendo catarrho est accommodatissima.

Catarrho hoc modo detento, quod pectori incubuit expurgandum est remediis bechicis, & tussim mouentibus. Remedia particularia huc non affero, cum instituti nostri sit methodum generalem catarrhi curandi describere.

CAP. VII.

Modus conseruandi dentes.

QVoniam sæpenumero destillationes ad dentes prolabuntur, eosque destruunt, non ingratam operam nobilibus præstabo fœminis, si exiguo capite rationem dentes conseruandi tradidero.

In quo consistat elegantia dentium.

Ad elegantiam ergò dentium requiritur, vt albi sint, politi, duri, firmi, & vt gingiuarum caro sit integra, dura, compressa. Indagabo primùm, quid dentes denigrare, labefactare, & rubigine inficere possit; hinc ad exquisitissima remedia nitorem ipsis conciliando apta sermonem transferam.

Aër.

Aër frigidus, monente Hippocr. libro quinto Aphorismorum, inimicus est dentibus.

Cibi.

Omnes cibi crudi, dulces, viscidi, acerbi, crassi, duri, vaporibus gignendis apti, & qui actu frigidi sunt dentibus plurimum officiunt. Crudi vaporum copia effumante dentes denigrant: dulces, viscidi, & crassi multum sordium ingenerant: acerbi asperitate & inæqualitate sua dentes hebetant, & stuporem inducunt: duri eos exagitant & concutiunt.

Ducendæ in vsum carnes boni succi, & facilis digestionis: nam vt elegantiæ dentium seruias potissima stomachi ratio habenda est.

Vsus lactis casei, pastilium, leguminum eos destruit, & præ omnibus saccarum nigro colore inficit, nec cibos ex vno solum latere, sed vtroque masticare conuenit; quod otiosi ac quieti dentes corrumpantur.

Vinum.

Carnes agninæ, porcinæ, & frixa omnia extremè nocent, vt & freqnens horariorum fructuum esus. Veterum obseruatione traditur, porrum dentes & gingiuas corrumpere. Bibendum est vinum temperatum, quod neque dulce, nec nimis frigidum sit, iuscula, vt & omnia esculenta calida dentes destruunt. Seruandi sunt mundi à sumpto cibo, quo nomine dentiscalpia ex lentisco, myrto, roremarino; chamæcyparisso alijsque lignis astringendi facultate præditis. Commodissima sunt, quibus lignum aloes adiungi potest. Non sunt mundandi cultro, acu, auro aut argento, quod pluribus vsitatum, quod hæc ligamenta laxent. Neque diu scrutandi & expurgandi sunt, maximè ijs, qui defluxionibus expositi sunt, vbi sedulò mundati sunt, pauco vino diluto lauentur. Vsus continuus sublimati mirè dentes fœdat & denigrat: quod si impedire velis, ne noxam inferat, præparandum primùm, neque in vsum ducendum nisi bimestri aut trimestri spacio aqua maceratum fuerit, primo mense indies, alijs bis aut ter in septimana renouata aqua: quinetiam facies eo non imbuenda est, quin ore eluto, & dentibus purgaris, & aqua in ore contenta, hæc ergo dentibus inimica sunt.

Sublimatum nocet.

Transeamus ad ea, quæ dentibus sunt proficua: sunt qui dentes albos habent, sed non firmos, aut ob laxiora ligamenta, aut ob carnem gingiuarum diminutam: alijs firmi dentes sunt, sed nigri, quare duo remediorum genera requiruntur, alia quæ elegantes reddant, alia quæ firment & carnem muniant.

Remedia ad reddendos albos dentes. Puluis.

Quæ dealbant dentes infinita sunt, sed selectiora in medium afferam. Medici Græci omnes singulari laude extollunt pumicem vstum & in puluerem redactum, è quo formulam sequentem concinnant.

Rec. Pumicis vsti salis vsti an. drach. iij.
Iunci odorati drach. ij. Piperis drach. j.
m. f. pulu. quo fricentur dentes.

Nostra inuentio est pulueris sequentis, dealbandis dentibus apprimè accommodati.

Rec. Crystalli puri drach. j ß.
Corall. alb. rub. an. drach. j.

Pumi-

Pumicis ossis sepiæ an. scrup. ij.
Marmoris albi Ireos Florent. Cinnamo. Granor. Kerm. an. drach. ß.
salis comm. drach. j. Margarit. præp. scrup. j.
Alabastri Alum. roch. an. drach. ß.
Moschi opt. gr. x. m. f. pul. subtil. quo dentes manè indies fricentur, ac dein vino albo abluantur.

Ex iisdem pulueribus addito melle opiata confici potest.

Spiritus vitrioli pauxillo aquæ communis remixtus, mirabiliter dentes dealbat, & pro singulari remedio à multis commendatur, sunt qui magni æstiment aquam fortem aqua communi dilutam. Huic intentioni complendæ parari potest aqua destillata sequens.

Rec. Sulphur. viui alumin. salis gemmæ an. lib. j.
Aceti vnc. iiij. alij pro aceto spiritum vitrioli assummunt,
fiat destillatio in aqua, per vesicam,
igne lento, ne sulphur redoleat.

Hæc aqua mirè dentes dealbat, & gingiuas putridas repurgat. Si admodum nigri sint & limo obducti.

Rec. Farinæ hordei salis com. an. vnc. ij.
admixto melle fiat instar pastæ
quæ chartæ imposita in furno siccabitur.

Rec. Huius pulueris drach. iij.
Cancror. vstor. pumicis Testar. ouor. puluerizat. Alumin. an drach. ij.
Cort. citri siccor. drach. j. m. & fricentur dentes.

Radices altheæ præparatæ repurgant & dealbant egregiè dentes, modus præparandi hic est, sumuntur radices altheæ mundatæ, conciduntur in frusta oblonga, decoquuntur in aqua cum sale, alumine, & pauxillo iridis Florentinæ, hinc benè siccantur in furno aut sole, iisque dentes perfricantur.

Si dentes firmi non sint sed mobiles:

Rec. Rad. bistor. pentaphylli an. vnc. j.
Cyperi drach. ij.
Rosarum rubrarum Spongiæ bedeguar.
Lentisci an vnc. ß. sumach. drach. ij.
Caryoph. drach. j.
Coquantur in aqua chalybeata, & vino quo addito pauco alumine gingiuæ eluantur. aut

Rec. Corall. rub. Cornu Ceruí Aluminis an drach. j. ß.
sumach. spong. bedeguar. an drach. j.
f. pul. misceatur cum succo aut vino cydoniorum
imponatur gingiuis aut radicibus
dentium forma linimenti.

Si caro gingiuarum abscedit, reparanda est sequentibus remedijs. Conficiatur puluis ex alumine, corallio rubro, thure eiusque cortice, cum portione iridis & aristolochiæ, aut

Rec. Alum. plumosi balaust. sumach. an. drach. ij.
ligni aloes cyperi mirrhæ mastich. an. drach. j. m. f. puluis.

Opiatæ non minus regenerandæ carni seruiunt, & commodiùs adhærent.

Rec. Alum. rochæ vnc. ß. sang. dracon. drach. iij.
Myrrhæ drach. ij ß. Cinnamo. Mastich. an. drach. j.
m. f. pul. subtil. & cum s. q. mellis
f. opiata. de qua portionem gingiuis
illitam tota nocte relinques, mane
elues decocto aut vino astringente.

Sunt qui indies manè granum salis ore contentum liquant, inde dentes lingua sale fuso imbuta perfricant, hocque dealbandis & firmandis dentibus, ac corruptioni præcauendæ opportunissimum præsidium esse asseuerant.

Atque hæc de conseruatione dentium, quæ destillationis curationi annectenda censui.

FINIS.

INDEX.
RERVM QVÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTVR.

A

Me-

FINIS.





ANDREÆ LAVRENTII, CONSILIARII ET MEDICI GALLIARVM Regis primarij ac celeberrimi

TRACTATVS

De Senectute, & quibus rationibus illa quam optime sit ferenda.

CAPVT I.

Nihil natum æternum.



Omnia nata interire, nec quidquam quod compositum sit & materiale, æternùm consistere posse, summa Lex est, quam ipsa Natura Dictatrix Vniuersi, subscribente experientia tulit, & à qua nec datur prouocatio nec intercessio. Enimuero

Nascentes morimur finisq́ ab origine pendet.

Quicquid est sub cœlo isto, si solam eximas hominis animam, quæ immortalis, mutationibus & corruptionibus obnoxium est. Vultis sponsores dem, aut testes? quicquid vnquam fuit Philosophorum, quicquid Medicorum suo id comprobabit calculo. Hippocrates agmen ducat, qui *libro primo de Diæta* ita censet: in cuius pedibus it sententiam Aristoteles libello *De Longitudine & Breuitate vitæ humanæ*: Et Galenus *libro De Sanitate primo*. Hi cum cæteris eiusdem nationis scriptoribus, tam claris & euidentibus id comprobant rationibus, ut qui eis contradicere velit, bono iure ad Experientiam Stultorum Magistram sit remittendus. Quid enim? an non quotidie nostrorum efferimus funera? an non in singulos dies cum lacrymis & gemitu prosequimur tot præstantissimorum hominum iacturam? Ordiamur, si lubet ab ipsa omnium rerum creatione, quid inueniemus reliqui, quam historiam eorum quæ acciderunt, & satis quidem parcè ad memoriam posteritatis transmissam? Non constitutum mihi est singula persequi, aut afferre causas quæ possunt alterare aut corrumpere corpora naturalia: neque multus ero in recensenda Elementorum transmutatione, corruptione Metallorum, senectute ac morte plantarum & cæterorum vegetabilium: tantum fert animus dicere, quid ipsa corpora nostra mutet & senescere faciat. Hoc quidem ita facere conabor, ut ex solis Philosophiæ naturalis puris viuisque id ostendam & demonstrem fontibus.

Causæ Senectutis quæ.

Causæ igitur nostræ dissolutionis vel sunt internæ vel externæ. Internas dico quæ nobiscum nascuntur, ambulant nobiscum, comitantur nos usque ad tumulum. Externæ sunt, quæ extrinsecus accedunt, circumdant nos ab omnibus partibus, & quarum nonnullas quidem euitare quamvis possis, impossibile tamen est, cum infinitæ ea sint, ab omnibus sibi rectè cauere.

Causæ internæ nostræ mortis.

Rursum eæ quæ nobis congenerantur, duæ sunt: Elementorum ex quibus corpora nostra composita sunt, contrarietas: & Actio Caloris naturalis. Porro ipsa Elementa, quatuor contrarijs comitata qualitatibus (calore dico, frigore, humiditate, siccitate) ita quodammodo inter se conueniunt, ut unum quodque aliquid de summo suo iure cedat, unde talis quædam oritur mediocritas, quam vsitato vocabulo Temperamentum vocamus. Hoc ipsum tamen elementorum fœdus & compar societas non diu durat: ea enim qualitas, quæ prædominatur, & vnde totum Temperamentum nomen sortitur, seditionem ciuilem excitat, oppugnato eo quod contrarium est, eumque hoc debilius inuenit, quam ut hosti repugnare possit, non conquiescit, donec id omnino debellatum prostratumque viderit. Et hæc est vna ex ineuitabilibus mortis nostræ causis, quam nobiscum ex vtero materno efferimus. Neque enim dabis mihi ullum corpus tam perfectè mixtum, in quo non una aliqua ex quatuor illis qualitatibus

Prima causa, Elementorum contrarietas.

bus cæteris prædominetur. Illud enim, quod ex veteribus nonnulli descripserunt & appellauerunt Ad pondus, imaginarium est, nec quisquam mihi id ostenderit, non Hercle magis, quam Rempublicam Platonis, aut Perfectum Oratorem Ciceronis. Hæc igitur qualitatum in nostro corpore contrarietas, prima causa esto mortis nostræ, & antecedentis Senectutis. Animadvertit hoc scitè admodum Aristoteles, in eo quem supra nominauimus libro, ubi ait: fieri non posse, quin, vbicunque sit contrarietas, sequatur corruptio.

Altera causa dissolutionis nostræ est actio Caloris naturalis. Nititur vita nostra duabus velut columnis: Calido & Humido radicali. Calor est præcipuum animæ instrumentum, quod coquit & distribuit Alimentum, quod generat, extendit & perforat canales, format omnes partes, vivificatque (ut Trismegistus ait) omnes huius Vniuersi species, easque pro dignitate gubernat.

Is igitur calor, siquidem Naturalis est, alimento indiget, & servit ei Humidum Radicale pro nutrimento, haud secus ac oleum lucernarum flammam nutrit: quod Humidum, cum deficit, necesse est, ut ipse quoque calor pereat. Cum autem vis caloris singulis diebus hunc motem minuat & absumat, Humidum illud perpetim durare non potest. Quod si quis mihi objiciat, fieri ibi perpetuam reparationem, quodque calor ille & humiditas, cum à corde, velut vivo fonte proficiscantur, deducta utraque per arterias, velut tubulos & canales, tantum vicissim possint acquirere, quantû illis decedat: Huic ego respondebo, illud, quod postea reparatur, nequaquam tam putum esse, quam quod absumitur, sed nec in eadê quantitate. Et ut de Puritate prius dicam: facile indicatu est, humorem illum, qui in exhausti locum constituitur, impuriorê esse, cum non possit expectare illû perfectionis gradum. Nam partes nostræ solidæ, in quibus consistit totû vitæ nostræ fundamentum, factæ sunt ex Semine puro, egregie elaborato & subtiliato, in plexibus illis ac velut labyrinthis, quæ inveniuntur in vasis spermaticis: tunc autem nutriuntur solummodo ex sanguine, qui virtute partium solidarum albedinem acquirit, nec per tot transit canales. Sicut enim metum, quo plus in id infuderis aquæ, eo fit dilutius & aquosius, tenuiusque, donec tandem in vappam aut aquam degeneret: ita quoque Calidum & Humidum Radicale subinde debilitantur & infirmantur per appositionem novi alimenti, quæ semper aliquid dissimilitudinis invehit. Accedit Maxima Philosophorum dicentium, *Omne agens naturale pati in sua actione, & per consequens debilitari.* Cum igitur Calidum nostrum singulis prope diebus fiat debilius, nec possit in eodem gradu perfectionis reparari, quo ante fuit: necessarium est, ut sequatur Senectus & postremo mors.

Actio caloris secunda causa senectutis.

Humidum nostrum non reparatur in eadem qualitate.

Quod ad quantitatem attinet eius humidi quod effluxit, fieri non potest, ut in eadem repatetur proportione: cum dissipatio illius fiat continuo, instauratio verò paulatim, & post infinitas alterationes. Videmus hinc, quomodo nobiscum comparatum sit ut idem istud causa sit nostræ ruinæ, quod nostram vitam conseruare debeat, consumente indesinenter calido innato humidum radicale, donec ipse quoque affectu alimoniæ emoriatur. Et hæ duæ senectutis sive dissolutionis nostræ causæ nascuntur, crescunt, & nutriuntur nobiscum. Huic rei nullus in orbe Medicus, ne ipse quidem Aesculapius remedium afferre possit. Omnes illi preciosi liquores, aurum potabile, conseruæ è Pyropo & Smaragdo, deprædicatum illud Elixiæ vitæ, fabulosus ille Fons Iuventutis impedire non poterunt, ne calor nativus postremò fiat debilior.

Nec in eadem quantitate.

Non injuria ridet Galenus Sophistam Aegyptium, quisquis ille fuit, qui commentarium scripsit de immortalitate corporum. Quod si, inquit, fieri posset, vt animal, postquam ad perfectionem suam pervenit, in eundem pristinum statum renovari posset, & nova vivendi adipisci principia, non est dubium, quin corpus possit immortale reddi. Istud autem cum prorsus negetur, necesse est, ut agens naturale debilitetur & senectus consequatur.

Ægyptiorum, inprimis autem Alexandrinorum sententia fuit, naturalem Senectutis causam oriri ex diminutione cordis. Sic enim aiunt: crescere cor usque ad quinquagesimum ætatis annum, nnoquoque anno ad pondus duarum drachmarum; à quinquagesimo verò anno rursum decrescere, donec postremò prorsus euanescat. Quis autem non videt, vanitatem hanc esse & stultitiam? Nos ipsi ex Anatomes disciplina multorum senum fecimus cadauera, in quibus cor non minus magnum & ponderosum invenimus, quam in invenibus. Concludimus ergo, duas causas internas esse nostræ Senectutis: Contrarietatem principiorum, ex quibus sumus compositi: & Actionem Caloris naturalis, qui consumendo humiditatem suam paulatim exsiccat & refrigerat nostrum corpus. Externæ causæ nostræ dissolutionis æquè sunt inevitabiles, ac superiores. Cum enim corpora nostra composita sint ex tribus substantiis dissipari aptis, quarum prima subtilis est & aërea, secunda liquida, tertia solida: necesse omnino est, ut extrinsecus aliquid accedat ad earum reparationem: quod nisi fieret, ne ad septimum quidem diem posset produci vita nostra: hic est enim terminus, quem Hippocrates præfigit perfectis corporibus, quibus multum est caloris naturalis. Illud igitur quod nostram substantiam reparat, Alimentum vocatur estque triplex: aër, potus, cibus. Aer conser-

Opinio Aegyptiorum de Senectute explosa.

Causæ externæ inevitabiles.

Alimentum triplex.

vat substantiam spiritosam: potus liquidam: cibus solidam. Triplex illud alimenti, genus quamvis purum sit & defæcatum, semper tamen aliquid secum vehit naturæ nostræ dissimile, quod ei assimilari non potest: vnde oriuntur excrementa; quæ postquam intra corpus retinentur, alterant istud, causanturque infinita morborum genera. Pateat hoc saltem in cibis, qui quam validas in corporibus gignant mutationes, compertum est. Non dicam iam de cæteris causis externis, quæ multæ sunt: cuiusmodi sunt exercitia nimis violenta: vita otiosa & sedentaria, longæ & continuæ vigiliæ, passiones animi, quæ accersunt senectutem, in quo genere sunt timor & tristitia, hæc enim talia sunt, ut ea aliquo modo euitare possimus. Neque adducam causas fortuitas, quæ nobis contingenter obvenire possunt, cuiusmodi sunt læsiones & vulnera: sufficiat enim mihi ostendisse, necessarium esse, ut animal senescat, utpote intra se alat causas mortis naturales, ad quas accedant etiam externæ, quæ & ipsæ sint inevitabiles.

CAPVT II.

Elegans Senectutis descriptio.

Distinctio ætatum, & opinio Ægyptiorum de iisdem. *Opinio Pythagoricorũ.*

CVm certum sit & indubitatum, corpora nostra à primo die natiuitatis suæ variis subiici mutationibus & alterationibus: Medici obseruatis eminentioribus, & quæ præ cæteris in sensus nostros incurrunt, mutationibus, diuiserunt omnem hominis vitam in partes aliquot, quas & appellarunt Ætates. Et Ægyptij quidem tot constituerunt Ætates, quoties Septenarius numerus in centenario includitur: existimabant enim hominem vltra centum annos viuere non posse. Pythagorici, qui præ cæteris in obseruatione numerorum superstitiosi fuere, scripserunt, de Septimo in septimum annum sentiri notabiles mutationes, tam in temperamento corporis, quam moribus animi, quæ quidem res omnis accepta ferenda sit excellentiæ & perfectioni numeri septenarij. Mihi quidem hoc loco constitutum non est, decidere de numeris controuersiam, de qua re memini me fusius scribere in tertio meo libro de diebus Criticis: mihi suffecerit ostendere, vocatis in suffragium celeberrimis auctoribus, hominem secundum naturalem vitæ suæ cursum quinque pari notabiles in Temperamento suo mutationes, cum per quinque has ætates quasi transit: Infantiam, Adolescentiam, Iuuentutem, Virilitatem, Senectutem.

Quinq; ætates hominis.

Infantia. *Infantia* est calida & humida: Verum humiditas adeo superat caliditatem, eiq; dominatur, vt hæc non satis possit in effectu vires suas exercere & demonstrare: duratq; hæc vsque ad finem anni decimi tertij. Succedit *adolescentia*, quæ & ipsa calida est & humida: Verum hic calor incipit dominium acquirere, vt in diversis effectis suas exerat operationes, velut ignis scintillas suas atque radios. In maribus quidem vox fit asperior & grauior, omnes viæ se dilatant, incipitq; prima proserpere lanugo. In puellis mammæ in duritiem quandam coeunt, crescuntq; manifestè, toto corpore earum sanguis mouetur; donec sibi viam faciat, repertaq; porta exeat. Hæc ætas in vtroque sexu extenditur vsque ad Vigesimum quartum aut vigesimum quintum annum: quem nostris corporibus natura crescendi præfixit terminum. Sequitur hanc *Iuuentus*, quæ calida & sicca est, plena ardoris, vigoris & agilitatis: & huic limes constituitur annus quadragesimus. Quando igitur ad hunc modum corpus perfectionem suam & velut consistentiam adeptum est, vocatur, *Virilis* vel *Constans Aetas*, quæ temperamenti exquisitioris est præ cæteris omnibus, participans æqualiter è quatuor extremis, duratque ad hunc modum vsque ad finem anni quinquagesimi. Ibi incipit *Senectus*, quæ sibi vendicat, quicquid superest vitæ nostræ. Hæc autem ipsa Senectus rursum est in triplici differentia: dicitur enim *Senectus Prima, Secunda, Tertia*. Non iam loquor de Senectute quæ ex ægritudine venit, appellaturq; *Senium ex morbo*.

Adolescentia.

Iuuentus. *Virilis ætas.*

Senectus triplex.

Prima senectus vocatur viridis & Cruda, quam ferè comitatur prudentia, experientiâ ac vsu acquisita, vtilis & propria ad gubernationem reipublicæ. Secunda Senectus auspicatur ab anno sexagesimo secundo, cui adhærent non paucæ incommoditates, cum jam siccior fit frigidiorque. Et de frigore quidem ob manifesta signa nemo negabit aut dubitabit. Nam vel ad contactum frigent rigentq; Senes hi, color vitalis ac viuidus abest ab eorum facie, sensus eorum omnes sunt debiles, & conflictantur plerumq; cum morbis frigidis. Et de frigiditate quidem eorum constat: de siccitate fuerunt qui dubitarent. Aiunt enim, illam Senectutem humidam esse & non siccam, quod oculi eorum fere semper videantur stillare lacrymis, nares abundare muco, in ore multum colligi liquoris, vnde perpetua sputi excretio. Verum his apposite & doctè respondet Galenus in libro *De Temperamentis*: Senes esse humidos, sed humiditate quadam superflua: siccos autem esse defectu humidi radicalis. Et libro primo *De Conseruanda Sanitate* ait: habere senes omnes partes siccas, quas infantes habeant humidas, vbi de partibus solidis loquitur, à quibus vniuersale Temperamentum dependet: & hæc est sententia verior, quam & nos sequimur. Macies enim, & rugæ, & duritiei neruorum atq; cutis cum

rigore

rigore iuncturarum satis ostendunt temperamentum siccum: accedente impetigine & pruritu per vniuersum corpus. Scabies quæ capiti eorum fere molesta est, satis indicio est, cerebrum eorum salso humore abundare, non autem dulci phlegmate.

Senectus decrepita.

Tertia siue vltima senectus appellatur decrepita, in qua, vt Propheta Rex ait, nihil est quam dolor & languor: omnes actiones, tam corporis quam animi sunt debilitatæ, sensus obtusi & quasi quædam altera infantia. Hinc locus factus est prouerbio, τοὺς γέροντας δὶς παῖδας εἶναι. Extremam hanc Senectam elegantissimè describit in duodecimo capite Ecclesiastes, vsus tam eleganti allegoria, vt pulchrius nihil cogitari possit. Nec mirum est, cum descriptionis illius auctor sit Salomo Rex, Summus Philosophorum, peritissimus Physicorum, quotquot vnquam fuere, cui omnia nota fuere secreta & mysteria Naturæ, qui locutus est de omnibus plantis, orsus Cedro Libani, vsque ad hyssopum qui è pariete erepit: id est à maxime ad minimum.

Allegoria elegans ad descriptionem senectutis.

Meretur autem descriptio ista, cum ob elegantiam, tum ob abstrusam eruditionem, vt à nobis examinetur studiosius, cum vehementer seruiat nostro instituto. *Sic memor, inquit, Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam Sol, & stellæ, & luminaria obscurentur: & nubes redeant post pluviam: eam* cûstodes *domus trepidabunt, & curvabuntur viri fortes: cum morales desinent molere, & videntes obscuri fiant per fenestras, occlusis portis extrinsecus, eo quod vox molæ sit submißior:* Cum *se levabit vox aviculæ, & humiliabuntur omnes filiæ cantus, & timebunt sibi à rebus altis: cum cæperit florere amygdalus, & impinguabitur locusta, & marcescet* Capparis. *Antequam, ait, extendatur catena sive funiculus argenteus, & rumpatur aquarium aureum, & amoveatur amphora à fonte, & frangatur rota supra cisternam, & pulvis redeat in terram, unde ortus est, spiritus autem ad* DEVM *revertatur.* Hæc est igitur admirabilis illa extremæ senectæ descriptio, quæ bono & Anatomicæ artis perito eget artifice, ut ad vivum resecta intelligatur.

Explicatio Allegoriæ Senectutis apud Ecclesiasten.

In decrepita senectute, inquit, Sol & Stellæ obscurantur: hi sunt oculi, qui destituuntur claritate & visu suo. Nubes reuertuntur post pluviam: notat, Senibus, postquam diu plorauerunt, ante oculos oboriri crassos Vapores, ad instar densæ nubis. Tremunt custodes domus, id est brachia & manus, quibus homo instructus est, ut ijs defendat totum corpus. Plicantur & curuantur fortes vel robusti: hoc de femoribus cruribusque dicitur, quæ sunt velut fulcra atque fundamenta corporis. Molares cessant, id est dentes qui nobis seruiunt ad manducandum & comminuendum cibos. Videntes obscurantur per fenestras; oculi hi sunt, qui sæpe operiuntur cataracta, vnde pupilla obtegitur, quæ est & appellatur fenestra oculi. Portæ exterius firmantur, quod mola demittatur: quando mandibulæ in iuncturis moveri amplius non possunt, aut canalis recipiendo cibo fit angustior. Levant se ad vocem aviculæ: quia dormire non possunt, sed ad hirundinis matutinæ aut Gallinacej cantum excitantur. Humiliantur omnes filiæ cantus, cum ipsos vox deficit. Amygdalus floret, cum totum caput alba obtegitur canicie. Locusta impinguatur, cum coxendices inflantur & tument. Capparis marcescit: quia appetitus prosternitur, cui excitando capparis flos in vsu est. Funiculus argenteus extenditur: cum medulla quæ per medium dorsum porrigitur inter vertebras, relaxatur humore unde dorsum incurvatur. Aquarium aureum quod rumpitur, Cor est, quod instar vasculi continet sanguinem arterialē & spiritus vitales, qui jure vocantur aurei: corde igitur destituto suo motu, quia non potest eos amplius continere, perinde est, ac si illud ruptum sit. Vrna quassata in fonte: est magna illa vena cava, quæ non potest amplius haurire sanguinem ab epare, quod est instar communis promptuarij & fontis, unde totum corpus humectatur: unde non maiorem præstat utilitatem, quam amphora soluta & pertusa. Rota frangitur super cisternam; his verbis cum renibus vesica pingitur, qua vtraque vasa relaxantur, ut vrinam continere amplius non possint. Hæc omnia postquam ita evenere, pulvis, id est corpus materiale, redit in terram, & spiritus, qui aliunde accessit, revertitur ad DEVM qui dedit eum. Habes, lector, quinque ætates hominis, descriptas & limitatas per suos annos.

Numerus annorum nō facit senes.

Quod cum dico, non istud volo, ut quis se tam strictè ad annorum alligit numerum, ut ab hac velut dimensione dependeat tam iuventus quam senecta: cum magis ad temperamentum attendendum sit. Ego enim omnem hominem, qui sit frigidus & siccus, jure Senem appellaverim. sic invenies, qui nati quadraginta annos, jam senes sint: & contra sexagenarios, qui juvenes dici queant: alij enim alijs citius aut tardius senescunt. Sanguineos fere tarde senes fieri videmus, quod multum habeant caloris, nec minus humiditatis. Melancholici, qui fere sunt frigidi & sicci citius senescunt. In sexus discrimine, fœmina citius quam mares senium contrahunt. Notavit hæc omnia Hippocrates eleganter in libro suo de septimestri partu.

Fœmina cur maribus citius senescant.

Puellæ (inquit) dum formantur in vtero matris, tardius perficiuntur & crescunt quam masculi: vbi vero in lucem prodierunt velocius capiunt incrementum, celerius sapere incipiunt & senescere, ob imbecillitatem corporis & vivendi rationem. Debilitas illa facit eos celerius crescere & senescere. Sicut enim arbores, quæ sunt vitæ brevioris, cito in altum excrescunt: ita corpora illa, quæ tam diu durare non debent, velociter ad suam tendunt perfectionem.

Ratio viuendi etiam celerem iis conciliat senectutem, quod minus laborent, & potissimam ætatis partem in ocio consumant. Nihil autem est, quod citius senescere faciat quam ocium & fuga laborum.

CAP. III.

Diæta & ratio viuendi ad conseruandas vires & bene ferendam ætatem.

CVm tres sint causæ naturales & ineuitabiles nostræ Senectutis: Principiorum contrarietas: caloris & humidi radicalis dissipatio: excrementa, quæ generantur per nutritionem: necesse est, si velimus corpus nostrum in bono conseruare statu, & à senii molestiis quam diutissime esse immunes, tres istas res ad eum disponere modum, ut harmonia illa Elementorum, quam appellamus Temperaturam, conseruetur: Calidum & humidum, quod subinde & dissipatur, reparetur: postremò excrementa conuenienter expellantur. Quod quidem me iudice facile obtinebimus, legitima ratione viuendi & obseruatione Diætæ, ne necesse habeamus è vestigio ad Medicos aut Pharmaca confugere.

Res non Naturales. In illa autem legitima viuenditatione, quam vulgo REGIMEN vocant, cum multæ res comprehendantur, nos tamen eas omnes ad SEX revocabimus. Has medici appellant *Non Naturales*, ideo, quod hæ probè obseruatæ, accedente recto ac legitimo eorum usu, sanitatem conseruant, & dici possunt Naturales. Quod si quis ijs abutatur, siue id fiat in excessu siue defectu, etiamsi non multum peccetur, gignere solent graues morbos, & appellari possunt Naturæ Contrariæ. Sunt autem hæ: Aër, Potus & Cibus, Somnus & vigilia, Motus & Quies, Inanitio & Repletio, postremò Passiones animæ. De his ordine differere nobis est animus.

CAPVT. IV.

Quis sit eligendus Aër ad vitæ longitudinem: & qualis conueniat senibus.

Necessitas Aëris. INter omnes causas, quæ corporibus nostris alterationem afferre possunt, nulla nobis est tam necessaria, & quæ nos propius tangat quam AER. Qui quam ad vitam sit necessarius, satis ostendunt ex ægritudines, quæ nos priuant respirandi facultate. Si enim vnum aliquod ex ijs instrumentis, quæ vel aditui, vel receptioni, vel deniq; præparationi aëris dedicata sunt, læditur aut offendatur, suffocatur animal & moritur è vestigio, videntur q; duo illa, vita animalis & respiratio, perpetuo & indissolubili cohærere nexu. Conseruatur, si Hippocrati credimus, calor naturalis per frigidum moderatum, quin & ipse ignis, si ei adimas circumstantem aëtem, quo vtitur velut perspitaculo, extinguetur confestim. Spiritus nostri, qui sunt præcipua animæ organa, generantur & nutriuntur ab aëre: nec alium purificandi sese atq; conseruandi nouerunt modum, quam reciprocatione m aëris. Hinc sagax natura totum corpus nostrum perforauit & quasi per spitabile fecit: vnde arteriarum perpetuus in systole & diastole pulsus, & artificiosæ illæ tam admirabilis magistræ in venis fabrefactæ parastomeses & velut ostia vasorum: vt ausim propemodum dicere, aërem ad conseruandam hominis vitam non minus esse necessarium, quam ipsam eius animam. Celeritas aëris singulis momentis per varios effectus deprehenditur. Nictu enim oculi attractus adscendit per nares ad cerebrum, peragratoq; innumeris plexibus reti admirabili, vsque ad peniores cellulas penetrat: Unde eadem leuitate & velocitate, descendit per os ad pulmones, binc ad ipsum cor, transit incredibili subtilitate poros cutis nostræ, intratque per transpirationem arteriarum, usque ad ima penetralia atque secreta corporis nostri. Hoc corpus aëris adeo commune est ac propinquum nobis omnibus, ut nos semper cingat ambiatque, nec vel ad unum solum nos deserat momentum. Hanc aëris potentiam cum rectè cognouisset Hippocrates, ausus est scribere in suis Epidemijs, ut & libro II. de Diæta, omnem nostrorum spirituum constitutionem, ipsosque corporis humores dependere totaliter ab aëre.

Velocitas Aëris.

In quo consistat bonitas aëris. Quæ cum ita sint, prima in instituendo vitæ Regimine cõsideratio esse debet, ut elegans & salubris eligatur habitatio. Solent autem Medici in bonitate aëris considerare, tam substantiam, quam eius qualitates. Substantiam; ut sit admodum purus, nec ulla vehat corruptionis semina, neu sit infectus malignis vaporibus, qui oriantur è morticinijs aut cadaveribus, vel cloacis aut purgamentis oppidorum, vel denique aquis corruptis putribusque. Sunt certa quædam plantarum genera, quæ minimè est consultum, ut plantentur aut nutriantur iuxta nostras habitationes, cum imbutæ sint qualitate contraria spiritibus animalibus, in quo genere sunt nuces, & ficus, arbores, nec non omne caulium brassicæque genus, & Ebuli, cum Eruca sylvestri, innumerisque alijs. Quin & vapor è ferri fabricis ustrinisque & ætifodinis

nis exhalans cordi inimicus est, facitque fere tabidos homines qui in ijs laborant, ut Aristoteles observavit.

Si aër aliqua ratione corruptus nec tu eum tam cito mutare aut evitare possis, purgandus erit ignibus artificialibus de roremarino, juniperis, cupresso, lauru, faciendus etiam suffitus de ligno Aloës, baccis juniperi, aut confectionibus odoratis aromaticis. Vapor aceti mirificè corrigit aëris malitiam. *Aër impurus quomodo corrigendus.*

In Qualitate aëris id considerant, ne nimia frigiditate aut caliditate, humore aut siccitate sit noxius. Eligendus igitur, quantum fieri potest, aër temperatissimus, cuius præstantia inde cognoscitur, si orto Sole cito percalescat, & si celeriter post occasum eiusdem astri refrigescat. Quod si tam temperatus haberi nequeat: satius est, ut paulo ultra mediocritatem siccus sit, quam iusto humidior. Sicut enim Hippocrates ait libri III. Aphorismo XV. siccitas in genere magis est salubris quam humiditas.

Senibus magis conducere arbitramur aërem calidum, erimus eis auctores, ut eorum cubicula nunquam igne careant: & hoc ideo, quod compertum sit, sepe reos melius habere æstate, quod videantur semper hyemem post se trahere. Habitatio eorum sit aliquanto editiore loco, fenestris in orientem versis, ut matutini solis radij eorum possint ingredi cubicula; altrinsecus vero in septentrionem, ut purior reddi possit aër, & expelli omnes maligni vapores. Sub hunc censum aëris voco etiam colores, qui mirum in modum recreant cor ipsum cum spiritibus. Conveniens igitur semper aliquid odorati secum ferre, studere mundiciei, & sæpe mutare linteamina. Quod si igitur aër omnibus his præditus sit qualitaribus, multum faciet ad reparandam primam nostram substantiam, quam Medici vocant Spiritosam, quæ generatur, nutritur & conservatur per aërem. *Qualis aër senibus conducat.*

CAPVT. V.

Regulæ quædam generales, quas qui in capiendo cibo potuque observauerit, longius vitam procudere poterit.

Secundo loco considerandus venit victus, qui in potu & cibo consistit: ille enim sarcitjacturam liquidi, hic verò conservat solidum. Non est mihi animus describere omnia ciborum genera, quæ vel nocere vel prodesse possint, quæve boni aut mali succi sint: cum de his accurate perscripserit Galenus De Facultate alimentorum: itemque in libris de conservanda sanitate, qui legatur. Tribuam ego hoc caput solis regulis, quas è Medicorum, inprimis Hippocratis collegi monumentis, quæ usui futuræ sunt omni ætati, ne nimium cito senescamus. Eas autem hoc ordine persequemur.

Prima erit. Ne quis comedito, nisi qui aliquantulum esuriat. Ventriculus enim non fungitur officio suo circa cibos, nisi eos appetat, sitque nonnunquam, ut melius digerat cibos malignos, si eos appetat, quam delicatissimos, quorum non capitur desiderio. Auctor huius regulæ est Hippocrates Aphorismo XXXVIII libri II. I.

Secunda est. Cibus dentibus probe terito atque comminuito, antequam deglutiatur: si enim non masticatus probè contritusque in ventrem descendat, duo inde orientur incommoda: primum, quod ea ratione fiet, ut plus comedas quam expedit, oneresque nimium ventriculum. Alterum, quod multum stomacho exhibebis negocij, in concoquendis cibis crassis nec comminutis. Serviunt enim dentes & os ad præparationem primæ digestionis, ut in culina cibi per coquum incidantur ferro. Et hæc videtur una esse ex rationibus, ob quas ij qui bonis multisque præditi sunt dentibus, longo tempore vivunt, quod videlicet cibum dentibus probe conterant. Fons huius regulæ est sexta sectione libri secundi Epidem. Hippocrat. II.

Cavento omnes sedulo, ne nimium saburrent ventriculum, cùm non frustra dicatur, eum qui diu vivere velit, debere eum aliqua fame à mensa surgere: cuius quidem rei ratio satis est euidens. Si enim nimium oneraveris ventriculum, labefactabis eius calorem nativum, qui est præcipuum instrumentum animæ, eumque postremo omnino reddes languidum, quod omne agens naturaliter, agendo repatiatur. Notavit hoc non sine causa Hippocrates sexto Epidem. cum ait: Studium sanitatis est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. III.

Ne vltra unum aut alterum cibi genus sumito: varietas enim ferculorum supra modum nocet, & stomachum corrumpit, cum cibi non sint eiusdem qualitatis, & per consequens, unius idemque caloris gradus sufficere omnibus non potest. Quidam enim celerius quidam tardius concoquuntur, & sic tota culina perturbatur. Accedit, quod qui varia ciborum genera ingerunt, sæpius bibere coguntur: frequens autem potus impedit digestionem: habes exemplum in olla ad ignem posita, in quam si sæpius infundas aquam, impeditur coctio rei illius quæ coqui deber. Reverenter igitur habendus, est ventriculus, nec eo abutendum, etiamsi robustus videatur & validus, locusque relinquendus proverbio, quod monet, male IV.

pranſurum eum qui offendat coquum. Leges hanc ſententiam ſectione III. libri V. Epidem. Hippocratis. Zanguor, inquit, & inertia ventriculi, cauſa eſt vniverſalis confuſionis & impuritatis vaſorum. Sicut enim impletio nimia noxia eſt, & cruditates generat: ſic nimia abſtinentia ſanitati multis modis eſt in commoda, cum ſtomachus inanis & vacuus, repleatur malis humoribus. Idem quoque Galenus obſervavit, cum ait: Ventriculum famelicum, niſi amico aliquo liquore placetur, primum è cerebro magnam vim aquæ arttahere: & ſi porrò nutrimento deſtituatur, neceſſitate coactum, craſſa allicere excrementa ex inteſtino ileo.

In comedendo obſervatur ordo, qui talis eſto. Cibi qui facilius corrumpuntur, primi
V. ſunto, quod, ſi ſumantur poſtremo, reliquos honosque corrumpere poſſint. Igitur cibos, qui minore labore coquuntur & digeruntur, primo ſumere iuvabit, ut primi in ſtomachum ingrediantur: craſſi vero, duri & ponderoſi poſterius, ut ita ordo quem coqui noſtri obſervant, invertatur. Quæ ex ednliorum genere ventrem relaxant cuiuſmodi ſunt juſculenta, pruna, poma, primum comedi debent.

Vltima regula, ita habet: Adſuefacito ſe, ut in cæna plus cibi ſumat quam in prandio: quod
VI. intelligi volo, ſi corpus ſanum ſit nec obnoxium catarrhis. Huius Maximæ rationes ſunt evidentes: plus enim multo intercedit temporis à cæna ad prandium, quam à prandio ad cænam, plus igitur ibi quam hic etiam temporis ad coquendum & diſtribuendum alimentum. Neque ſane negari poteſt, dormientibus nobis calorem eſſe fortiorem, quam is ſe totum circa centrum ſuum contrahat. His addam, quod ad honam digeſtionem opus habeamus quiete, ceſſantibus pernoctùrnam quietem omnibus functionibus animalibus, ut calor naturalis alio non avocetur, unde citra dubium melius concoquet. Huius ſententiæ ſunt magni illi Medicorum anteſignani, Hippocrates, Galenus, Auicenna, quibus aliiſque idem placet: & veteres in vſu quoque idem obſervaverunt. De Athletis refert Galenus lib. V. De Conſerv. Sanitate: non ſolitos illos carnes comedere niſi in cæna.

Pythagoricos ſcribit Ariſtoxenus, in prandio nihil ſumere ſolitos, præter buccellam panis cum melle. Quin, ſi Philemoni credimus, durante Obſidione Trojæ milites Græci quater per diem reficiebant corpora cibo: ſed primo ſecundò & tertiò nihil capiebant præter panem & vinum, vltimò autem, nempe in cæna, carnibus veſcebantur porcinis. Et hæ ſunt regulæ generales, quas in capiendo cibo obſervari juvabit: quibus loco coronidis addam, optimam ſumendi cibi horam eſſe diei, quæ omnium temperatiſſima, in hyeme calidior, æſtate frigidior, poſtquam corpus mediocriter exercitatum fuerit

CAPVT VI.

Quæ ſit optima ſenes nutriendi ratio, & qui cibi iis optimè conueniant

Omnes cibi, quibus ſenes nutriri debent, ita ordinandi ſunt, ut gradus eorum ſenectutis exigit. Prima ſenectus, quam viridem crudamque diximus, contenta eſſe poterit iis regulis, quas ſuperiore capite expoſuimus: Sed duæ poſteriores ſenectutis ſpecies, neceſſe eſt, ut alia ratione nutriantur: calefaciendi enim ſunt & humectandi, quod temperamentum eorum frigidum ſit & ſiccum. Igitur habitatio eorum ſit loco editiore, aëre bene calido, quo fine opera danda, ne unquam cubicula eorum deſtituantur igne.

In ratione ciborum conſideranda eſt quantitas horum, qualitas, & modus utendi iis. In quantitate videndum, ne multum varient ut cibi, quoniam, ut monet Hippocrat. Aphoriſmo XIV. lib. I. parum illud naturalis caloris, quod ipſis ſupereſt, ea ratione extingui poſſet. Addit exemplum eius, qui nimium lignorum imponat exiguo igni, & hanc ciborum varietatem, ut idem ait, vix bene ferant iuniores.

Ciborum qui ſenibus exhibendi, quantitas.

Ad qualitatem quod attinet: oportet ut cibi eorum ſint boni ſucci, digeſtionis facilis, & materiæ raræ, quod ſubſtantia ſeniorum facile diſſipetur. Interdicendum illis eſt uſu omnium ciborum viſcidorum, craſſorum, flatulentorum, phlegmaticorum, melancholicorum, & quicquid facultate oppilandi præditum eſt.

Qualitas.

Modus exhibendi cibos in eo conſiſtit, ut parum nutriantur, inprimis qui ſunt in decrepita ætate: qui adhuc ſunt vegetiuſculi, contenti ſunto, ſi ter in diem aliquid cibi ſumant. Ad hunc modum nutriri ſunt duo illi ſenes, quorum Galenus mentionem facit lib. V. de conſerv. ſanitat. Antiochus nempe Medicus & Telephus Grammaticus. Panis eorum eſto ex optimo tritico, bene coctus, legitimè fermentatus inſperſo panculo ſalis: ſed hic non eſt manducandus calidus aut nimis recens, quod ita ſumtus difficulter digeratur, alterer humores, gignat obſtructiones, poſtremò multos mittat vapores ad cerebrum: unius diei erit optimus aut duorum; qui tertium diem ſuperaverit, iam nimis exſiccat, & diu relinquitur in ventriculo. Placentæ omnes factæ è caſeo, lacte, butyro, & aliis citra fermentum, omnibus modis noxiæ ſunt.

Panis qualis.

Inter

Inter optima alimenta numeratur caro, cum multum nutriat, & facile convertatur in sanguinem. Eæ tamen carnes, quæ naturam habent viscosam, & ob id difficilis sunt digestionis, huic ætati inimicæ sunt: carnes avium facilius concoquuntur quam quadrupedum: & quæ pascuntur in locis editis siccisque salubriores sunt, quam quæ in humidis ac paludosis. Eligenda autem est pro senibus caro mediocris ætatis: admodum iuvenis enim nimis est humida, grandior ætate est siccior iusto. Optimum alimentum præbebant galli castrati, pulli gallinacei, perdices, Phasiani, Gallinæ fœtæ, attagenes, pulli columbini, carnes insuper agninæ & vitulinæ. Arabes vehementer laudant carnes turturum, quod optimum generent succum, sensusque subtiles faciant. Non desunt, qui & porcinam laudent, quod proximè accedat ad temperamentum carnis humanæ: me tamen si audiant senes, abstinebunt ab illa, quod humidior sit & multas gignat superfluitates. Cerebrum cuiusque animalis ventriculo est inimicum: iecur spissum gignit sanguinem: externa, cuiusmodi sunt caput, cauda, pedes, difficilis sunt digestionis, parumque nutriunt. Agnina, bubula, aprugna, avium aquaticarum, nihil faciunt ad stomachum seniorum. Conducunt minutalia exhibita delicatiora, & em bammata, bona incisa, glaciatæ sive mucilagines, & huiusmodi. *Carnes.*

Ova mollia & sorbilia sunt valde salubria, multum enim & celeriter nutriunt: dura aut frixa non multum valent, cum gignant succos crassos, nimisque diu in ventriculo hæreant. Ea insuper ova, quæ in aqua calida coquuntur, meliora sunt quam quæ sub cineribus torrentur. Vtcunque autem ova parentur, si comedantur, semper aliquid salis addatur, ut celerius descendant. Albumen ovi parum præbet nutrimenti, & laborem exhibet ventriculo. *Ova.*

Piscium usus senibus est contrarius. Vescentur tamen minore noxa Rubellionibus aut Mullis barbatis, Soleis & Truttis, sic tamen ut probe parentur sale, salvia, fæniculo & vino. *Pisces.*

Cibi gustus acrioris, qui pungere noverunt, ut & salsuræ ipsis non adeo male conveniunt, quod cieant appetitum, excitent calorem naturalem, incidantque ac consumant crassa phlegmata, quæ subsidunt in ventriculo. Expedit ergo senum cibaria condire pipere, gingibere, cinnamomo, & sæpe adhibere sinapi. Cæpas atque allia non improbaverim dummodo iis adsueverint & uti possint. *Aromata.*

Caseus in vniversum iis non prodest: butyri usus melior, quod humectet, calefaciat & emolliat pectus. Oleum olivæ dulce est inter saluberrima. Lac aliis quidem prodest, aliis autem obest: ab eo tamen cavere velim qui obnoxii sunt obstructionibus. Antiqui in hac ætatis declivitate plurimum tribuere solebant melli, quod iungebant pani, condimentis, & omni prope cibariorum generi. *Lacticinia.*

Fructus arborei crudi, cum nimis sint humidi, eoque facile corrumpantur, à me non probantur. At Vvæ Damascenæ & passulæ amicæ sunt epati, ventriculo, renibus & vesicæ. Amygdala conciliant somnum, augent, si Avicennæ credimus, substantiam cerebri, & purgant vias vrinarias. Pistacia, dactyli, avellanæ tostæ, iuglandes melle conditæ, myrobalani, olivæ nuces pineæ inprimis conveniunt senioribus. *Fructus.*

CAPVT. VII.

Quale genus potus conveniat senioribus.

Bibere non minus necessarium est & expedit Senioribus, quam nocet pueris infantibusque. Vetus verbum est, Senes pitissando vivere, non secus ac vetulas aquilas suctu cadaverum. In vino omnis eorum consistit recreatio, unde istud vulgo dicitur *Lac Senum*: calefacit enim omnes eorum partes, & expurgat serositatem quatuor humorum per vrinam. Plato libro II. De Legibus scriptum reliquit, vinum calefacere corpus, & animosos reddere senes, non secus ac ferrum remollescit igne. Zeno solebat dicere vinum purgare rugas frontis caperatæ & morosæ non secus ac aqua Lupinorum. Rhasis, inter Medicos Arabas non postremæ notæ existimat, iuniores vino abstinere debere: ubi autem annum quadragesimum supergressi fuerint, ad solius Vini conspectum aut odorem debere eos in laudes DEI consurgere, qui tam suavem & iucundum liquorem creaverit. *Laudes Vini.*

Quale autem vinum senibus quam optime conveniat, si quis ex me quærat, respondebo, laudare me rubrum, satis forte, nec nimis dilutum. Vinum novum, dulce, crassiusculum, nihil ad rem facit, obstructiones enim gignit epatis, lienis, & viarum vrinariarum, unde senectus obnoxia fit Vel Hydropi Vel Calculo. Ieiunis vinum bibere non expedit, neque iis qui nimis incaluerunt, quia vapores nimis cito ad cerebrum adscendunt, offendit nervos, causatur convulsiones, celeres catarrhos atque adeo apoplexiam. Suasserim ego senibus, ut sæpe & parum bibant. Laudat Galenus vina artificialia, quæ fiant addita Betonica & Petroselino; quod ad versetur calculo & podagræ. Vinum Malvaticum, creticense & mixtum illud, quod ab Hippocrate vulgo nomen invenit, non adversari crediderim senibus, dummodo non sint adulterata aut fucata. Sunt & qui Hydromeli valde commendent, quo me etiam iudice senes *Vinum quale conveniat senibus.*

uti possunt, pro potu quotidiano: œnomeli enim fortius est, instar vini Malvatici; ab isto igitur si abstinere nolint, sumant parum matutino tempore cum tosti buccella panis

Certissimum est, nullum alimentum adeo purum aut defæcatum reperiri, quin aliquid intra se contineat, quod naturæ nostræ sit dissimile. Necessarium igitur est, ut in concoctione aliquid excrementi creetur, quod si intra corpus retineatur, fieri non potest, quin infiniti inde generentur morbi. Et excrementa quidem crassiora purgantur evacuatione sensibili: subtiliora autem possunt & debent dissipari atque resolvi per exercitia. Unde Hippocrates in libris suis De Diæta non sine gravi causa scripsit, hominem sanum vivere non posse, nisi cum alimento labores iungat, propterea, ait, quod unum quidem reparat perditum, alterum verò dissipat superfluum. Conservari corpora nostra exercitijs, & ocio pessundari Plato scriptum reliquit in Theæteto. Exercitium autem moderatum & bono adhibitum ordine, repletionem impedit, quæ mater est & nutrix infinitarum ægritudinum, auget calorem naturalem, operit omnes vias ductusque corporis, tam sensibiles quam insensibiles, reddit membra agilia, præparat & disponit omnes superfluitates ad excretionem, sive sint universales sive particulares, confortat nervos supra quam credi possit, redditque iuncturas articulorum firmas. Et hoc illud est, quod Hippocrates ait in Epidemijs: sicut somnus conducit visceribus, ita labor & exercitium iuncturarum firmitati.

Egregius apud Celsum locus est, quem silentio præterire non possum. Ignavia, inquit, corpus laxum reddit & grave, calor autem robustum facit & agile. Ocium nos cito senescere facit, exercitia vero diuturnam conservant iuventutem.

Modus & ratio exerciciorum. Oportet autem ut in capessendis exercitijs industria & modus adhibeatur. Primum ut ea cibos antecedant, quod exercendo corpus calor naturalis excitatur ad digerendum cibum, quo pacto fit, ut ea quæ sumsimus cibaria, calorem iam præparatum inveniant, minimeque sopitum. Ostendit hoc expressissimè Hippocrates in Aphorismo, vbi ait: *Labores cibos præcedant.* Debet autem exercitium esse pro modo alimenti aut cibi: qui enim multum cibi capiunt, eos multum facere par est: qui minus comedunt, parcius laborent. Præterea exercitium debet esse moderatum & æquale. Aequale voco, quo exercentur omnes corporis partes, summæ & infimæ æqualiter: exercitium enim violentum & inæquale etiam robusta pessundat corpora, debilitat iuncturas artuum, facit musculos laxos, in quibus tamen bona pars agilitatis consistit. Exercitatio matutina semper melior habetur, aut sane quando duæ primæ concoctiones factæ sunt. Illæ enim quæ statim post refectum cibo corpus sequantur, plurimas gignunt obstructiones, implent cruditatibus venas, faciuntque ut tardius descendat cibus in ventriculum. Hyemis tempore celerius incedendum est, æstate vero tardiuscule, semperque dabit operam Medicus, ut ad consuetudinem respiciat. Nam, ut secundo Aphorismorum Hippocrates scriptum reliquit, qui adsueferunt labori, multo facilius eum ferunt, quanquam sint debiliores, & iam annos senectutis attigerint.

Sunt autem exercitia duplicia; vniversalia & particularia. Vniversalia si haberi possunt, optima sunt, laudanturque cum primis lusus pilæ, deambulatio pedestris, & cursus in equo. Particularia consistunt in frictionibus, quæ mirificè faciunt ad excitandum calorem naturalem, ut attrahatur nutrimentum ad partes, utque dissipentur vapores & excrementa tertiæ concoctionis, quæ sæpe retinentur inter musculorum commissuras, & inter membranas.

Exercitia seniorum. Erunt autem, me iudice, senes contenti exercitio modico ne exiguus iste calor, qui in ipsis adhuc errat, omnino dissipetur. Frictiones ijs eximie conveniunt: fricandi sunt mane, postquam evigilaverunt, donec pars fricta incipiat calescere & calorem rubore profiteri. Est autem incipienda frictio à brachijs, hinc deveniendum ad scapulas, ad dorsum, usque ad pectus. Inde descendendum est ad coxendices, hinc rursum converso itinere adscendendum ad humeros, ita ut cervix & caput sit vltimum: quod quidem pectine dnctim est demulcendum mane singulis diebus. Sunt præter hæc etiam alia exercitia particularia, ut oculorum, vocis, & pectoris, quæ minimè sunt contemnenda.

CAPVT. IX.

Regulæ aliquot de somno Senum.

Est somnus inter præcipua capita, quorum in Diætæ observatione ratio haberi debet. Sunt autem certæ quædam regulæ generales, quas ii, qui intempestiuas vigilias cauere velint, obseruare rectè poterunt. Primum, optimum factu esse ait Hippocrates, vt se quis adsuefaciat, noctu quidem dormire, interdiu autem vigilare. Somnus meridianus dici non satis potest, quam noxius sit, cum totum corpus reddat graue & turgidum. Non est eundum cubitum, nisi tertia aut quarta post cœnam hora, & ante quam ad quietem membra componantur, de ambulandum erit hinc inde per cubiculum. Veri & legitimi somni tempus est horarum septem,

ptem, ne eue quis se nimis obtegat stragulis aut linteaminibus, vt possint noxii è corpore exhalare Vapores. Caput dormientis sit paulo corpore editius, ne cibi è fundo ventriculi regurgitare possint ad superius eius orificium. Decubitus in dorsum noxius est, quia hac ratione excrementa cerebri, quæ se per os & nares expurgare solent, incumbent in spinam dorsi: accedente etiam alia causa, quod decumbentes in dorsum nimis calefaciunt, tam magnam venam cauam, quam arteriam magnam, quæ vtræq; innituntur lumbis: hæc autem vasa supercalefacta calculos generare solent, & multos ad cerebrum mittere Vapores.

Optimum, me indice, factu erit, ut primum quis in dextrum latus decumbat, ne iecur ventriculo illapsum eum premat, quod omnino futurum esset, si in sinistrum latus posito ventriculo supra lienem decumberet. Si vero dextero lateri innitaris, iecur substernet se ventriculo velut foculus mensarius, & calore suo adiuuabit digestionem. Hoc facto, deuolnes corpus in sinistrum latus vt vapores venientes ab dextro latere exhalare possint. Postremo rursus decumbendum erit in latus dextrum, vt cibus concoctus facilius descendere possit.

Debet autem dormiens membra sua non directe extendere, sed aliquo modo ad corpus attrahere: quod Galenus libro I. De Motu. Musculorum moneat, quietem musculorum in mediocri contractione consistere. Et hæc est figura, quam Anatomicæ rei periti, vocant Mediam, quæ & magis est secundum Naturam, & minus habet doloris.

Habes, Lector, regulas generales dormiendi, quas quidem à senibus omnes obseruari non posse libenter fatemur. Permittamus igitur iis, vt paulo post prandium dormiant, cum constet, eos non rato totas noctes peruigiles agere: cuius quidem rei causam afferunt pleriq; temperamenti eorum siccitatem, accedentibus vaporibus acribus, qui fere generantur & assurgunt ab salso phlegmate.

CAPVT X.

Quo pacto profligata tristitia senes ad mentis hilaritatem sint inuitandi, & à violentis animi passionibus cohibendi.

IN eo Dialogo, quem charmidis nomine inscripsit Plato, verè ait: plerosq; noxios atq; violentos morbos, qui corpus nostrum affligunt, ab animo proficisci. Cum enim (inquit) summum & absolutum imperium in corpus obtineat animus, potest illud mouere, alterare & mutare in momento, vt ei velut imperatori placuerit. Annon videmus multos & fieri & curari sola imaginatione? An desunt nobis exempla eorum qui repentino, sed summo gaudio mortem oppetierunt? Quid? an mentis ægritudo, anxietas, tristitia non præcipitant in infinitos morbos melancholicos, qui sunt velut flagella medicorum, & cum difficilimè expugnari possint, non raro eos in ruborem & confusionem adducunt? Historiarum monumenta non vno exemplo testantur, quosdam canitiem contraxisse, intra vigesimam quartam horam, sola formidine & metu futuræ mortis. Quisquis igitur diuturna sanitate perfrui volet, operam dabit, vt librum, quantum id fieri potest, ab omnibus violentis passionibus conseruet animum. Quod cum omnibus dictum sit, inprimis tamen senes contingit, qui senectutis quadam imbecillitate timere fere solent, & tædio ac molestiæ, anxietatibus ac mæstitiæ præ cæteris subiecti sunt, quod temperamento sint frigidiore, & cerebro debili: danda igitur opera, vt omnes timoris & tristitiæ occasiones iis amputentur, ne plus etiam refrigerentur. Non nocebit interdum eos ad iram pronocare, ut excitato languore aliquomodo incalescant. Recte igitur faciet, quicunque eos pro viribus exhilarare studebit, vt omnibus modis eorum satisfiat desideriis. Cum autem omne id, quod aut placet nobis aut displicet, & in quo animus noster acquiescit, oriatur ex sensibus nostris, qui sunt velut speculatores & fidi inter nuncii animi, necesse erit, si velimus per omnia satisfacere senibus, vt magno studio demulceamus externos sensus eorum; Visum dico, auditum, odoratum, gustum, vt cuiuis horum obiectum desiderabile proponatur. *Imperium animi in corpus.*

Oculi supra modum delectantur adspectu formosarum mulierum, dicoq; hoc ipsa experientia teste, senes intuitu tali contentos esse. Idem facit varietas florum, & elegantissimorum colorum diuersitas, nec parum ad rem faciet, si perpetuo secum ferant & contemplentur magni precii & claritatis gemmas, inprimis Sapphiros & Smaragdos, quod nullus color tantum faciat ad conseruandum visum, quam viridis & Ianthinus. *Delectatio oculorum,*

Habent & aures peculiares suas delitias, quæ haud scio an non altius in interiora nostra ipsumq; animum penetrent. Certe testantur exempla, concentu Musico & harmonico, siue is fiat viva voce humana, siue fidibus ac instrumentis eos mitigari, qui videntur ferociores. Clinias (ut in tractatu meo de Melancholicis annotavi) quoties animi aliqua se perturbatione tentari animaduertebat, arrepta lyra tactisque fidibus, motum humorum comprimere conabatur. *Aurium,*

Sunt præterea demulcendi senes suavibus sermonibus, deprædicandæ eorum laudes, obsequijs & adulatione demerendi, & cavendum, ne ijs illa in re contradicamus acrius. Ita verò est instituendus sermo, ne ab ijs rebus quibus innutriti sunt, abeamus longius: si cum mercatore babendus sermo, loquendum erit de mercimonijs: si cum veterano aut emerito milite, de armis ac prælijs: si cum docto, de litteris & scientijs: huiusmodi enim colloquia illos excitatos ac lætos reddunt. Cuius rei testem adducemus magnum illum Atheniensium Legislatorem, Solonem, qui cum iam morti vicinus in lecto decumberet, audiens duos tresve ex amicis submissa loquentes voce, nè ipsi molestiam crearent, excitatus rogavit eos, ut clarius loquerentur, felicem se existimans, si adhuc aliquid discere posset, antequam penitus moreretur.

Odoratus. Suavitate odoris cor lætitia affici nemo est qui dubitat, cum inde spiritus evadant puriores. Velim igitur senes semper aliquid boni odoris secum ferre, cuiusmodi sunt poma moschata sive odorata, nunquam non habentes in conclavibus cubiculisque suis foculum cum micis thuris aut alius alicuius fragrantiæ. Quoties caput lauant, aut barbam, aut faciem manusue, velim semper aliquid admisceri aquarum odoratarum.

Gustus. Gustus delectatio consistit in cibis, qui illis offerendi sunt delicatissimi; cum aliqua acrimonia ad excitandum appetitum. Et hæc sunt, amice Lector, in quibus consistit vera Diæta, vel recta viuendi ratio, vel (vt cum vulgo fabulemur) Regimen senum, cui sermoni meo istud duntaxat coronidis vice adiungam, vt vnusquisque optime studeat cognoscere, quid naturæ suæ sit consentaneum, cum certum sit, experientiam docere, quid nobis prosit quid obsit, & vsum facere vnumquemq; optimum sui ipsius Medicum.

CAP. XI.

Quæ remedia optime conueniant senibus, & quibus artificiis possint corrigi senectutis incommoda.

Incommoda Senectutis. Comitantur fere Senectutem tot incommoda & difficultates, vt veteres morbo eam quam sanitati similiorem esse crediderint. Videbis fere omnibus senibus ventrem esse duriorem, abundare eos phlegmate & acri quadam serositate, quæ in iis, quoties vrinam reddunt, excitat acrem quendam pruritum cum ardore coniunctum: turgent insuper fere venis, & totius corporis languorem quendam persentiscunt, cum ventriculus langueat, & naturale calidum admodum sit in iis debile. Catarrhis atq; defluxionibus ex capite prope omnes obnoxii sunt, vbi nullus finis screandi, tussiendi, collacrymandi. His tot molestiis atq; incommodis occurrendum est remediis benignis ac clementibus. Et primum quidem consulendum ventri, si sit constipatus, vt alvus subducatur decoctionibus artificiosis, quæ non sunt vnius generis. Nos quædam adscribemus.

Decoctum laxativum. Accipe teneriores partes malvæ, herbæ Mercurialis, Spinas domesticas & sylvestres, & Cynocramben herbam. Coque hæc omnia cum pullo gallinaceo & decocto vtere mane. Decoctum caulis rubicundi cum oleo sumtum multum etiam ad rem facit. Hoc tamen quod sequitur, maioris est virtutis.

Decoctum Gallinacei. Sume gallum gallinaceum vetulum, hunc deplumatum probe atq; flagris exagitatum interfice. Intestina postquam extraxeris, laua corpus galli bis terue cum vino albo. Ventrem eius inserci pugillo radicum Petroselini, additis foliis boraginis, buglossæ, pimpinellæ, mercurialis, Spinæ domesticæ & sylvestris: his iunge ficus pinguiores, vuas Damascenas, dactylos, iniuben, semen Cartami hortensis, hyssopum herbam: Coquantur hæc omnia simul vsq; ad perfectionem suam, cola deinde probe, & exhibe seni tribus diebus continuis hora matutina. Quidam supradictis adiungunt pauxillum Salis Tartari, vt acrimoniam aliquam inde adipiscantur. Incredibile memoratu est, quantum hoc brodium siue decoctum prosit senibus, alvum enim laxam conservat, purgat vias vrinarias, conducit pectori & difficultati anhelitus, quibus cum vitijs fere ætas illa colluctatur. His etiam, si opus sit, possunt iungi pessi sive suppositoria, & clysteres emollientes. Improbat Galenus clysteres acres atque violentos, contentus usu olei olivæ. Laxativa interna optima iudicaverim pilulas de Hiera, & ligno Aloës bene præparato, ut & illas quæ in officinis appellantur masticinæ. Terebinthina purgat & abstergit omnia intestina citra noxam aut periculum.

Ad imbecillitatem ventriculi senum, & ad dissipandos ventos, qui iis frequenter molesti sunt, suaserim vsum gingiberis conditi, vt & tabulas de aromatico rosato, nec non semen anisi saccaro inductum, aquam cinnamomi, essentiam anisi, iuniperos, & caryophyllos.

Ad excitandum calorem naturalem, qui videtur quandoq; plane sopitus, experientia me docuit nihil esse efficacius, quam vt subinde sumant Ambræ Chryseæ pondus duorum coronatorum in ouo sorbili. Vsus Theriacæ, Mithridatici, Confectionis Alkermes, Aquæ theriacalis, Imperialis, Cœlestis, vehementer mihi probatur. Hæc autem medicamenta, quo pacto præpa-

præparentur aut conficiantur, non existimo operæ precium adscribere, cum in omnibus prope Pharmacopoliis inueniantur. Omnes præterea partes corporis fomentandæ atq; confortandæ erunt applicatis remediis externis, cuiusmodi sunt vittæ sigillatim confectæ, & pulueres capitales ad roborandum cerebrum. Auenzoar Arabs laudat Caryophyllos in puluerem redactos, si inspergantur suturæ coronali Cranij. Cordi imponent emplastra, vnguenta, sacculos. Postremo illud velut Maxima quædam tenendum est, res omnes aromaticas, odoratas, fragrantes senibus in vniuersum vehementer conducere.

Andreæ Laurentii Libelli de Senectute finis.



ANDREÆ



ANDREÆ LAVRENTII, CONSILIARII ET MEDICI REGII, ANNOtationes in Caput primum Tractatus sexti Guidonis de Guiliaco, vbi loquitur de Morbo Articulari, deque dolore & duritie juncturarum.



Definitio Arthritidis.

QVIn in hoc capite tractet Guido noster, ipse titulus facile ostendit, nempe de Morbo Articulari, deque dolore & duritie juncturarum. Et primo quidem tradit definitionem huius affectus, vt deinceps eius naturam melius explicare possit; postea loquitur de differentiis & signis eiusdem.: postremo de curatione. Ait igitur Arthritidem siue morbum Articularem esse *Dolorem iuncturarum, natum ex defluxione humorum in illas.* Fulcit autem hanc definitionem suam auctoritate Galeni, adducto commentario super Aphorismum vigesimum octauum sectionis sextæ, cuius argumentum est, *Eunuchos non fieri podagricos.* Nos verò, antequam vlterius progrediamur in enucleanda ista definitione, ipsum huius morbi nomen videbimns, & quæ sit vera eius appellatio. Igitur ex Galeno discimus, vniuscuiusq; ægritudinis denominationem oriri aut trahi à quinque præcipue rebus. I. *A symptomate aliquo aut accidente, quod in ipso affectu animadvertatur esse violentius.* Huiosmodi sunt Epilepsia, Apoplexia, Paralysis, Convulsio, cum plerisque alijs. Etsi enim hos morbos pleturnque multa comitētur accidētia, quia tamen unum aliquod præ cæteris est violentius, factum est, ut inde morbo nomen imponeretur. II. *A parte affecta.* Sic Pleuresis appellatur à membrana, quæ vocatur *Pleura*, & ægritudine afficitur. Possis idem recte dicere de *Opthalmia*, cum sit morbus oculorum: & *Hepatitide*, quæ est inflammatio iecoris, nomen imponente parte morbida. III. *Ab accidente aliquo & parte affecta simul.* sic dolor capitis dicitur Græcis *Cephalalgia*, & dolor dentium *Odontalgia*. IV. *A Causa efficiente.* Ad hoc genus pertinent *Melancholia & Cholera Morbus*, quibus ab efficiente nomina imposita. In Melancholia enim causa efficiens est humor Melancholicus, & in Cbolera morbo, humor Biliosus & Cholericus. V. *à similitudine, quam habet morbus cum rebus externis, quas videre oculis & palpare manu possumus.* Sic cancro sive vlceri cancroso similitudo animalis nomen dedit: & Elephantiasis ita dicta est, quod eos qui hac scabie obsiti sunt, borridos & monstrosos afficiat velut Elephantos. Arthritidem igitur sive Articularem morbum, ratione denominationis ad secundum genus referendum existimamus, cum sit morbus iuncturarum, quas Latini *Articulos* nuncupamus, quasi dicas, Articulorum dolorem. Eadem est ratio appellarionis Græcæ. Barbari & vulgus Gallicanum appellant hunc morbum *Guttam*, quod persuasum illis sit humorem paulatim & quasi guttatim destillare in iuncturas.

Lib. 2. Methodi cap. I. Nomina morbis quot modis imponantur.

Podagra vnde dicatur Gutta.

Hic quærat forte aliquis, cur hæc morbi species præ cæteris nomen *Arthritidis* sibi vendicet, cum alij prætereà Articulorum morbi sint, qui tamen ita non appellantur, cuius generis sunt vlcera & plagæ, quæ iuncturis supervenire possunt? Huic nos respondebimus, Guttam sive Podagram ita vocari per excellentiam, cum hoc morbo iuncturæ membrorum sæpius & crudelius infestentur, unde ab hoc tam impotenti in artus imperio sigillatim & præ cæteris illo insignitur nomine, sumta à partibus tam insigniter afflictis denominatione. Sed hæc de Nomine sufficiant: Veniamus iam ad ipsius definirionis examen.

Explicatio definitionis Guidonis.

Guido igitur sic definit. *Morbum articularem esse dolorem iuncturarum, natum ex defluxione humorum in iuncturas.* Hic nos primum explicabimus definitionem ipsam in genere, deinde singulas eius particulas excutiemus, & quod dicitur, ad vivum resecabimus. Statuit igitur Guido Genus definirionis *Dolorem*, quod in omni Arthritide dolor sit, qua de re non dubitant miseri ægri, qui de doloribus non modicis Conqueruntur. Habes genus definitionis: sequitur secunda pars, quæ habet Differentiam in vocabulo *Iuncturarum*, quam etiam causam formalem

malem dicere possis. Etsi enim plures dolores prope omnibus partibus membrisque nostris supervenire possunt, istud tamen Articulari morbo peculiare est, ut iuncturas dolore afficiat affligatque. His adiungit, *Natum ex defluxione humorum*. Hæc tertia pars est Definitionis, quæ nobis ostendit causam efficientem, nempe defluxionem humorum. Cum enim Arthritis sit morbus Humoralis aut Materialis (ut Medici loquuntur) necesse est, ut generetur ex destillatione humorum. Vltima pars Definitionis consistit in verbo *in Iuncturas*: ubi nobis monstratur subiectum & pars in quibus commoratur aut sedet morbus. Cum enim sit Accidens, ut omnes in vniversum sunt morbi, necesse est ut in aliquo subiecto collocetur. Proprium igitur Articularis morbi subiectum statuit iuncturas, velut partem recipientem, teste Galeno in Comment. super Aphorismum vigesimum octavum sectionis sextæ: ubi ait: *non gigni Podagram, nisi humor aliquis destillet in iuncturas*. Et in sequentibus inquit: *si desinat fluere materia, desinere quoque dolorem atque passionem*. Notandum autem hic videtur, Galenum hoc loco sumere speciem pro genere, ita, ut quod ipse sigillatim de *Podagra* ait, ad omne genus Articularis morbi extendatur. Et hæc communiter ac generatim de Definitione dicta sunto: videamus iam singulas partes, easque examinemus pressius.

Primum Guido definit Articularem morbum esse *Dolorem*: qua quidem in re videtur dissentire à sententia Hippocratis, Galeni & Aeginetæ, qui omnes quasi compacto definiunt *inflammationem*. Quod quidem tam nobilium authorum Genus in definitione, si recipimus, certum est, Guidonis sententiam repudiandam, qui Genus Dolorem statuit. Inflammatio enim Morbus est, dolor autem omnis nihil aliud quam Symptoma. Quantum autem differat inter morbum & Symptoma, neminem esse putamus qui ignoret. Consequens igitur est, Guidonem aperte dissentire à sententia eorum, quos supra nominavimus, auctorum. Sed age, tentemus conciliationem. *Dolor an recte constituatur Genus Arthritidis.*

Potest morbus articularis considerari duobus modis: vel ut symptoma, vel ut morbus. Si ut symptoma, patebit Guidonem non male definivisse per Dolorem, qui præcipuum est huius morbi accidens. Sic Hippocrates hunc morbum describit per calorem & dolorem acutum. Quod si consideres ut Morbum, recte eum magnos istos auctores definivisse constabit: quin & ipse Guido in eodem hoc capite recenset inter Apostemata, qua quidem in re non tam longe à Medicorum istorum sententia abire videtur, cum Inflammatio sit Apostema. *Limitatur.*

Si quis hic mihi obijciat, Arthritidem secundum Guidonem non posse dici inflammationem, cum multa sint genera Apostematum: & quamvis ipse Podagram appellet Apostema, non tamen propterea sequi, eam inflammationem dici: respondebo, Guidonem aliud nihil inferre voluisse, quam Guttam esse inflammationem, etsi in genere Apostema appellaverit. Oportet enim ut eventus crebriores & frequentiora accidentia hic considerentur, quæ nullum non genus Articularis morbi comitantur. Apparet autem maxima ex parte in omni hoc morbo tumor cum ardore coniunctus, quæ res manifeste indicat Inflammationem largiter sumtam, unde recte concludemus, voluisse Guidonem ostendere, Guttam esse Inflammationem, quamvis generali vocabulo appellaverit Apostema. *Obiectio.* *Responsio.*

Cum autem non desint, quibus definitio illa Hippocratis, Galeni, Aeginetæ videatur absurda, operæ precium existimamus, ut eam defendamus, antequam progrediamur longius, dissolutis eorum argumentis, qui contrarium asserere nituntur. *Podagram non esse inflammationem.*

Primo igitur dicunt, Arthritidem Inflammationem dici non posse, cum Inflammatio sit tumor factus ex sanguine puro. Hic morbus autem sæpe oriatur ex Phlegmate sive humore frigido & seroso, unde sæpius subnascuntur tophi circum iuncturas & articulos. Secundo Inflammationem esse morbum partium carnosarum, Guttam vero iuncturarum, quæ multum ab ijs differant. Iuncturas enim constat esse partes frigidas & Spermaticas: contra carnosas esse calidas, humidas & ex sanguine genitas: unde concludunt Arthritidem male definiri Inflammationem. III. Si podagra esset inflammatio, perveniret vtique ad suppurationem: atqui hoc videmus non fieri, cum ex sanguine generata non sit, cuius proprium est suppurationi subijci. Sed ad has rationes ita respondemus. *Prima ratio.* *Secunda.* *Tertia.*

Ad primam, Inflammationem, secundum Galenum, tribus modis capi. I. pro inflammatione sicca, in qua sine ulla defluxione humoris calor naturalis inflammatur, qui ardor partis propriè appellatur *phlogosis*. II. pro omni tumore aut calore, sive is ortus fuerit è fluxione sanguinis, vel phlegmatis, vel bilis, seu postremo melancholiæ. III. Propriè & absolute pro ea tumoris specie, quam Galenus & cum eo recentiores appellant *Phlegmonen*, sive inflammationem factam ex sanguinis defluxu per partes carnosas. Nos igitur dicimus, Podagram inflammationem dici non propriè sumta significatione, sed secundo modo, quo sumitur pro omni tumore calido, ex quacunque tandem materia generato. Eodem modo Hippocrates, Galenus & Avicenna Lethargiam vocaverunt inflammationem, quanquam oriatur ex phlegmate. Sic quoque Podagra dicta est inflammatio, etsi ex causa nascatur frigida, humore inquam seroso. *Responsio ad primam.*

Ad secundam ad tertiam. Ad secundam respondemus, eadem vsi solutione, dicentes: inflammationem proprie loquendo, & in tertia significatione sumtam morbum esse partium carnosarum. At Arthritis dicitur inflammatio, non in hac sed secunda significatione. Idem responsum erit sufficiens ad tertium eorum argumentum, quod nimirum inflammatio vera & proprie sic dicta ad suppurationem perueniat, quod Morbus Articularis non facit, quia ad secundam significationem refertur, pro quouis tumore, qui cum aliquo ardore coniunctus sit: quanquam etiam Visum sit, in morbo articulari suppurationes superuenisse, vbi calor cum sanguine dominatus fuit: quod cum fit, per accidens fit, cum materia calida & humida virtute iuncturarum & ligamentorum eijcitur in partes carnosas; in quibus cum aliquamdin commorata est, tandem ad suppurationem perducitur. Sed hæc dicta sunto ad defensionem Hippocratis & Galeni. Superest vt cæteras definitionis Guidonianæ partes examinemus. Cum autem constitutum nobis sit, aliam proponere definitionem Morbi Articularis, in qua eædem partes occurrent, reseruabimus vtrarumq; examen, donec nostram viderimus descriptionem. Sic igitur nos sentimus.

Definitio auctoris. *Esse Morbum Articularem tumorem iuncturarum dolorificum, ortam ex humorum defluxione per imbecillitatem partium.* Hæc definitio, ut nos quidem existimamus, plena est, compleċtiturq; ipsam morbi essentiam, ut in sequentibus ostendemus.

Explicatio definitionis auctoris. Primum morbum istum definiuimus per *Tumorem*, velut Genus, cum in omni Arthritidis specie sit tumor, quamuis non semper exterius appareat, sed quandoq; lateat, vt fit in humoribus calidis & biliosis: aliâs enim si tumor abesset, etiam abesset dolor. Nam vt Galenus scriptum reliquit, Arthritidem semper comitantur dolores, vel leniores vel acriores, pro vt ligamenta & membranæ quæ iuncturas vestiunt ac circumdant, magis minusq; implentur defluxione humorum. *Comment. ad Aphor. 49. sect. 6.* Dolore igitur præsente, necesse est præsupponi tumorem. Addidimus Tumori vocabulum *dolorificum*, quo ipso Arthritidem distinguimus ab aliis tumoribus, cum Arthritis non sit simpliciter tumor, sed cum dolore coniunctus, qui dolor præcipuum & inseparabile est huius morbi accidens. Sequitur aliud vocabulum, *Iuncturarum*, quo ipso statuimus differentiam, cum dicimus morbum iuncturarum. Iunctura igitur est pars affecta. *Quid per Iuncturas intelligatur.* Sciendum autem est, nos Iuncturæ nomine non tantum intelligere eam partem, qua os offi per contactum iungitur, & spacium istud vacuum, quod inter articulationem intercedit, sed & omne id, quod ligat & circumdat articulationem, in quo genere sunt ligamenta, membranæ, tendines & cæteræ partes vicinæ. *Articulatio duplex.* Rursum cum articulatio sit duplex, vna quidem laxior & cum motu, quæ appellatur *Diarthrosis*: altera adstrictior & sine motu, quam vocamus *Synarthrosin*; dicimus morbum articularem in solo priore genere oriri, in laxiore articulatione, cuiusmodi est illa femoris cum ischio, & brachij siue lacerti cum cubito: in Synarthrosi verò siue articulatione adstricta morbum hunc oriri non posse. Sic ossa capitis articulatione stricta cohærent cum maxilla superiore, quæ est sine motu: arthritis igitur hic locum non inuenit.

Quod superest in illa definitione, complectitur generatim duas Guttæ causas, *nempe Defluxionem humorum & Imbecillitatem partium*: sed nos hæc explicabimus copiosius, ubi ad discussionem causarum Podagræ peruenerimus. Nunc id nobis restare arbitramur, vt primas partes definitionis nostræ examinemus.

Obiectio prima, quod Gutta non sit tumor. Primo igitur potest nobis obiici, Morbum Articularem non rectè definiri *Tumorem*. Si enim tumor esset, aut esset Phlegmone, aut Erysipelas, aut Oedema, aut scyrrhus, quæ sunt quatuor tumoris species testibus Galeno & ipso Guidone. Cum autem Podagra neque sit Phlegmone, quia non peruenit ad suppurationem, neque semper cum manifesto rubore est & ardore, vt fit in Phlegmone: neq; Erysipelas, tunc enim esset sine rumore euidente, vt Erysipelas: neq; Oedema, hoc enim est sine dolore: postremò non scirrhus, sic enim semper coniunctam haberet aliquam duritiem dolore vacuam: Sequitur ergo non esse Tumorem. *Responsio.* Cui nos obiectioni ita respondemus. Guttam tumorem esse generali adeoq; vniuersali significatione, cum constet, Podagram aliam esse Phlegmonosam, Oedematosam, Erysipelaticam, & Scirrhosam. Et hæc est ratio, quod nos generatim eam Tumorem appellauimus.

Obiectio secunda. Contra istud quod diximus *Tumorem esse dolorificum siue dolorosum* possit quis obiicere, in Gutta non esse dolorem, eo duntaxat nomine, quod sit ægritudo iuncturarum, iuncturas autem nihil aliud esse quam ipsum contactum ossium, quæ prorsus sine sensu sunt: Consequens esse, ut in podagra dolor esse non possit. *Responsio.* Sed facilis est responsio: Dolor enim Podagricus non insidet iuncturis ratione contactus ossium, sed ob partes membranosas, ligamenta, tendines & neruos, quorum omnium sensus est exquisitissimus; hæque partes tam teneræ, cum ligent circumdentque iuncturas, sub eodem nomine comprehenduntur.

De differentiis Morbi Articularis.

Differentia Arthritidis in triplici consideratione. Huius morbi differentiæ à triplici ducuntur ratione: à partibus affectis, à materia, ab accidentibus. Quod ad partes corporis attinet quas Gutta occupat, habemus ibi species principales tres: *Ischiaticam, Podagram, Chiragram.* Cum enim hic morbus cæteras corporis iunctu-

ras invadit nomine proprio non notatur. Sic Arthritis brachij aut genuum communi appellatur nomine, quanquam non desint idonei auctores, qui hanc posteriorem *Gonagram* appellant.

Ischiatica igitur species denominationem trahit ab osse Ischio: quidam appellant *Dolorem coxendicum*, estque hic dolor crudelissimus omnium, qui non solum occupat coxam ipsam, sed & quicquid est infra coxendicem, cum ipsis natium musculis, extenditque se usque ad femur, suram & plantam pedis. Raro hunc affectum comitatur manifestus tumor, rarius etiam ardor cum ratione, quod in illa parte non multæ venæ subter pellem lateant. I.

Podagra pedes invadit, inprimis autem iuncturam maximi digiti, ubi fere, nunquam abest tumor manifestus, inflammatio magna cum dolore vix tolerabili. II.

Chiragra tertia species est, affligens manus cum iuncturis digitorum sive articulis, non sine tumore, inflammatione & tubore partium. Existimat Guido, Chiragram propriè non esse Arthriticam sed inflationem Phlegmaticam manuum: quæ ipsius verba non ita simpliciter & absolute accipienda sunt, sed in comparatione cæterarum Articularis morbi specierum, ut hoc sibi velle videatur, in chiragra inflationem magis apparere quam in podagra, quam causam existimamus, cur inflationem Phlegmaticam manuum appellauerit. Subiungit tamen, de nomine non usq; adeo laborandum esse, cum hæc qualiscunq; differentia non multum faciat ad curationem, excepto morbo Ischiatico, ratione situs & materiæ. III.

Quod ad materiam spectat, Morbus hic aliàs est calidus, alias frigidus, aliquando sanguineus, aliquando biliosus, rursum pituitosus & melancholicus. Existimat Fernelius Guttam omnem esse frigidam, oririque ex solo Phlegmate vel serositate: Ergò nullam dici debere sanguineam, biliosam, neq; mixtam ex diversis humoribus. Sed hæc sententia confutata est authoritate doctorum virorum, rationibus & experientia. Hippocrates ait, creari Arthritidem ex commixtione Phlegmatis cum Cholera, quin & in Aphorismus facit mentionem Podagræ cum inflammatione. Galenus & ipse agnoscit causam huius mali defluxionem humorum, & iam quidem sanguinis, modo phlegmatis, modo utriusque cum bile mixti. Ait idem, esse quosdam morbos, qui nos in senectute missos faciant, exempli gratia atdorem renum & Podagram calidam. Paulus, Auicenna, cumque his plerique Doctores Medici mentionem faciunt Podagræ sanguineæ, rursus Phlegmaticæ, aliquando cum bile permixtæ, & cum Melancholia. Si iam opus sit, post tot præstantes auctores in re medica, Fernelium etiam confutare argumentis & exemplis, id nobis erit factu facilimum. Videmus enim quandoque hunc morbum curari sectione venæ ac missione sanguinis, quandoque purgationibus, quibus evacuatur non minus bilis & sanguis, quam pituita sive phlegma: manifestum igitur est ex ijs humoribus non minus oriri. *Tunc enim* ait Medicorum Princeps, *proficit euacuatio, cum materia peccans extracta est.* *Secunda differentia.* *Opinio Fernelii lib. 6. Pathol. cap. 18. explosa.* *Aphor. 49. sect. 6.* *Aphor. 2. sect. 1.*

Quid enim? annon videmus multas fœminas articulorum morbo affligi, ob intempestivam retentionem mensium? quæ quidem, auctore Hippocrate, curatæ sunt venæ in tali sectione. *Aphor. 79. sect. 6.*

Rursum, plerumque morbus artheticus coniunctus est cum dolore acuto, ardore & rubore, rubor aliunde quam à sanguine proficisci non potest, qui sub cute occultatur. Color enim prodit humorem qui sub cute latet, ipsa similitudine. Vbi igitur rubor est, necesse est, ut oriatur ex sanguine, qui Coloris est rubicundi. Quin & ipse calor non potest, propriè loquendo, aliunde provenire quam ab humore sanguineo & cholerico. Dolor autem ille acutus & vehemens, ex frigida materia gigni non potest, sed calida & biliosa. Sic in oedemate aut in moribus oedematosis frigidisque, dolor quidem aliquis animadvertitur, sed is lentus admodum est & obtusus. Contra Erysipelas & Phlegmone, cum sint tumores calidi, exquisitos acutosque dolores pariunt.

Adde his quod quædam articularis morbi species placari possint remedijs frigidis, quibus calori imperitamus. Contra alias esse, quæ mitigantur medicinis calidis, exacerbantur autem impositione frigidorum, ut præter experientiam clarissimè testatur Hippocrates in Aphorismis. *Aphor. 25. sect. 5.*

Concludamus ergo, podagram oriri posse ex materia calida, adeoque ex omni humorum genere, contra opinionem Fernelij.

Tertiam differentiam desumimus ex accidentibus, quæ illum morbum comitantur: quorum quidem, etsi satis largus est numerus, duobus tamen principalioribus ac frequentioribus nos contenti erimus: Dolore & Tumore. Pro ratione igitur horum accidentium quædam Guttæ maximos & vix tolerabiles dolores secum vehunt, sine tamen manifesto tumore: aliæ verò dolent quidem, sed mitius multo, ut ferri possit, in quibus tumor evidens est & non exiguus. Et hæ sunt differentiæ articularis morbi, in genere sumtæ à partibus affictis, à materia, ab accidentibus, quibus non absurde adiungemus quartam, desumptam ab origine morbi, idque ex scriptis Galeni. Est autem hæc: Podagram aliam esse naturalem, quam velut à paren- *Tertia differentia.* *Quarta differentia.*

parentibus hæreditate accipiunt: aliam accidentariam, quæ ab alia causa accidentaria orta fuerit.

DE CAVSIS MORBI ARTICVLARIS.

Causæ Podagræ duæ. Asserimus igitur causas huius morbi duas: *defluxionem humorum, & imbecillitatem iuncturarum*, ut in nostra definitione annotavimus. Neutra tamen harum per se est sufficiens ad generandum hunc morbum, sed oportet ut utræque concurrant. Videmus enim sæpe tumores œdematosos iuncturis supervenire, quos tamen arthriticos nomine non insignimus, cum ibi iuncturarum imbecillitas nulla animadvertatur. Vicissim postquam paroxismus podagricus præterijt, & dolor subsedit, quanquam articulus siue iunctura maneat imbecillis, podagra tamen adhuc ibi esse dici non potest. Necessarium igitur est, uti, ceu diximus, defluxus cum imbecillitate concurrat, alias non creabitur hic morbus. In hac sententia est Galenus aliquot locis, inprimis autem libro decimo de medicamentis topicis, ubi clarissimis verbis scribit: *dolorem iuncturarum fieri per defluxionem humorum in dictas partes.*

Quid sit defluxus. Vt autem has duas generales articularis morbi causas intelligamus rectius, primum de defluxu humorum agendum erit, ut intellecta huius natura & essentia deinceps ad ipsum morbum propius accedamus. *Est igitur Defluxio (siue defluxus) motus humorum ex loco superiore in inferiorem.* *Quæ consideranda sint in defluxu.* Motus, inquam, localis, cum humor ab alio loco transferatur in alium. Debemus autem in omni defluxione, quatenus est motus localis, quinque considerare. I. id quod movetur. 2. id quod movet. 3. Locum, siue terminum à quo. 4. Locum per quem, siue viam. 5. Terminum siue locum ad quem.

I. Id quod movetur in Articulari morbo, est omne genus humoris, calidi, frigidi, sanguinei, cholerici, phlegmatici & melancholici.

II. Id quod movet & incitat humorem ad fluxionem, est principium interius humoris, vel etiam principium aliquod exterius, quod aliunde quam ab ipso humore advenit. Principium interius appellamus ipsam formam & proprietatem humoris, quæ motum illum causatur. Sic ignis à seipso, id est à suo principio interiore, quod est Levitas, sursum fertur: contra terra, ab eodem suo principio interiori, quod est, grave esse, deorsum fertur. Cum igitur humor ipso actu liquidus sit, participans de substantia aquæ, & per consequens natura sua gravis, cadit nonnunquam proprio suo & naturali motu, petitque sponte partes inferiores. Hinc extra dubium est, defluxum omnem à superiore loco fieri in inferiorem, nunquam contra ab inferiore in superiorem. Quod si aliquando accidat, ut humores adscendant, & ad partes sublimiores sursum ferantur, fit illud violento & accidentario motu, contra eorum naturam.

Principium motus externum duplex. Principium externum quod mouet humores in omne defluxione duplex est, Expulsio & Attractio: quicquid enim mouetur per aliud, aut expellitur aut attrahitur. Sæpe fit, vt humor aliquis expellatur ad inferiores partes, ipsius membri vi expultrice, quæ fortis est & vegeta, adeò, vt postquam irritatur vel humoris quantitate vel qualitate viciosa, vel deniq; ipsius substantiæ corruptione, expellat valide id quo offenditur. Aliquando etiam expellitur humor per causam aliquam exteriorem, cuiusmodi est aër frigidior, aut vsus medicamentorum repercutientium.

Attractio triplex. De Attractione sic censemus, attrahi humorem tribus modis, similitudine, calore, dolore.

1. Cum partes corporis nostri nutriuntur, attrahunt humorem alimentosum per similitudinem, sic partes frigidæ frigidum, calidæ calidum, sanguineæ & temperatæ alimentum mediocre & temperatum. Cum autem nonnunquam plus attrahant quam debent aut necesse est, fit vt inde oriantur tumores.

2. Calor & Dolor itidem sunt causæ attractionis, non quidem per se, quasi id fiat ob similitudinem, sed per accidens. Nam calor trahit humores, dum eos facit tenues & fluidos, qui ad hunc modum attenuati & liquefacti, euadunt multo quam ante aptiores, vt deportari possint ipsa leuitate & liquiditate ad eas partes, quas jam calor alterauit.

3. Dolor & ipse per accidens trahit. Natura enim desiderio leniendi partes dolore correptas, mittit eo subsidia sua & copias auxiliares, nempe calorem naturalem & spiritus, qui pro subiecto & fundamento sibi sumunt sanguinem, eumq; mouent vna secum, deducuntq; ad partes dolore affectas.

III. Locus à quo. Locus autem vnde fluxio illa procedit est non solum cerebrum aut partes capitis, sed & omnes cæteræ totius corporis, dummodo imperium aliquod in reliquas habeant, & in editiore loco collocatæ sint respectu earum, quæ fluxum recipere debent.

IV. Locus per quem. Locus per quem siue via, quam defluens humor perambulat, rursum est in duplici differentia, aut enim est ordinarius aut extraordinarius. Viæ ordinariæ sunt vasa, venæ, arteriæ, nerui, per quas vsitata ratione defluxus fiunt. Extraordinariæ sunt Periostia, membranæ, ligamenta, ossa, & pori insensibiles partium.

V. Locus ad quem. Vltimum est locus, in quo terminatur fluxio, estq; omnis pars inferior & debilis, vel sua natura & per se, vel per accidens. Habes generatim & succinctè naturam & essentiam defluxionum, cum explicatione quinque earum rerum, quæ in considerationem veniunt: jam, antequam

quam porro pedem proferamus, causas huiusmodi fluxionum exquirere iuuabit.

Suntautem hæ, communiter loquendo duorum generum, externæ vel internæ. Externas vocamus eas, quæ aliunde quam ex ipso corpore prouenimnt, quas medicorum vulgus primitinas & euidentes vocat, suntq; omnino quatuor. I. Constitutio aëris, qui australis est & calidus, cum applicatione remediorum calidorum, cuiusmodi sunt vnctiones, fomentationes, & id genus alia, quæ fluxiones causantur, liquefaciendo & attenuando humores. II. Frigida & applicatio remediorum frigidorum & adstringentium, & hæc talia excitant defluxiones, stipando & exprimendo humores, haud secus, ac si quis spongiam liquore aliquo ebriam adductis digitis manu exprimat. III. Omne id quod solutionem facit continuis, & dolorem excitat in aliqua parte corporis, causa esse potest externa fluxionis, mouendo & agitando humores. IV. Omnis contusio defluxui causam præbet, humores violento modo exprimens. *Causæ fluxionum vel externæ.*

Causæ interiores defluxionum rursum sunt duplices, Antecedentes & coniunctæ. Illæ iterum duplices, Principales vel Instrumentariæ. Principales vocamus eas, quæ necessario requiruntur ad generationem defluxionis, suntque numero quinque. I. Abundantia humorum, 2. acrimonia & maligna eorum qualitas. 3. robur partis mandantis. 4. imbecillitas partis recipientis, 5. situs eiusdem in humiliori loco. Et primum quidem abundantia humorum cum maligna aliqua qualitate principalis causa est defluxionum, ut vel maior iusto humorum quantitas, aut viciosa eorundem qualitas, Naturæ sint molesta, quibus se exonerare cupiens, humores ad alias partes ablegat. Excessiva hæc igitur humorum quantitas & viciosa qualitas ortum trahunt usitato more ab partium præcipuarum intemperie, puta cerebri, ventriculi, epatis. Cerebrum enim si fit iusto calidius, attrahit ad se instar cucurbitulæ omnes vapores corporis, qui ubi à frigore naturali cerebri & cranij crassitie condensati sunt, iterum resolvuntur & liquescunt in aquam valde propriam ad excitandas fluxiones. Quod si idem cerebrum nimis frigidum sit, ipsa sua imbecillitate generat multa excrementa atque superfluitates, quas postea in partes subiectas siue humiliores ablegat & præcipitat. Ventriculus frigefactus cum partim generet, partim colligat multas cruditates, accedente epate supercalefacto, mulrosque ac densos fumos ad cerebrum sursum mittente, sunt causæ nimiæ abundantiæ & acrimoniæ humorum, & per consequens antecedentes fluxionum. *Vel internæ.* 1. 2.

Vigor & robur partis mandantis tertia causa principalis est, de qua diximus, quamvis enim in ea parte multi contineantur mali ac viciosi humores, defluxio tamen inde non fit, nisi pars ista sit fortis & robusta, sed humores in ista collecti potius ipsius loci ægritudinem excidabunt quam defluxionem. 3.

Quarta causa est Imbecillitas partis suscipientis. Hæc enim nisi sit debilis, profligabit ab sese humores viciosos, ut defluxus in eam incumbere non possit, ut Galenus ait Commentario super Aphorismum vigesimum octayum sectionis sextæ. Quinta & vltima fluxionis causa est situs inferior loci recipientis. Cum enim omnis defluxus fiat è superiori loco in inferiorem, necesse est, ut non solum pars recipiens sit debilis, sed & ratione situs inferior. Et hæ quidem sunt omnes illæ causæ principales & antecedentes uniuscuiusque defluxionis. Iam ad Instrumentarias deveniendum erit. Appellamus autem causas Instrumentales, quæ ad generandam fluxionem necessariæ non sunt, sed concurrunt, multumque faciunt ad eius generationem, quorum interventu defluxiones facilius fiunt atque expeditius, suntque numero tres: Humorum tenuitas: viarum per quas materia illa transit amplitudo: laxius siue raritas partis suscipientis. Nam primo, humoribus tenuibus existentibus & subtilibus, facilius fit defluxus, cum hi aptiores sint ad diffluendum quam crassi spissiq;: Amplitudo viarum seruit multum huic rei, aperto ipsis itinere liberiore, ad diffundendum se quo velint: vt & laxitas raritasq; partium ad eos recipiendos. Sic pulmones & glandes, cum sint partes molles & laxæ, valde obnoxiæ sunt defluxionibus. Et hæ quidem sunt causæ antecedentes, tam principales quam instrumentariæ vniuscuiusq; defluxionis. Causa coniuncta est humor delapsus & missus per illam fluxionis commotionem. Et ita habemus in vniuersum causas fluxionum tam externas quam internas: restat porro, vt ea quæ diximus, ad causas Morbi Articularis accommodemus propiis. 4. 5. *Causa Instrumentales defluxionum.* *Causa coniuncta fluxionum.*

Igitur in Arthritide, postquam constar illam ex defluxione oriri, quinque consideranda veniunt. 1. quod mouetur, 2. quod mouet, 3. locus à quo oritur defluxus, 4. Via per quam transit. 5. locus in quem decumbit fluxio. Id quod mouetur in morbo isto, est omne humorum genus, non solum phlegma aut serositas, vt jam ante ostendimus contra Fernelium, quanquam fateamur, humorem melancholicum rarius defluere in juncturas ad generandum hunc morbum, quam humores cæteros. Lienosi enim & melancholici raro admodum obnoxii sunt Podagræ, vt Auicenna ait. Id quod mouet in hoc affectu, simile est ei quod generatim mouet, vt ante explicuimus. Quod ad tres terminos attinet, à quo, per quem, & ad quem, controuersia est inter Medicos antiquos & recentiores. Arbitratur Fernelius, humo- *In affectu Podagrico quinq; consideranda.* 1. 2. 3. 4. 5. *Fernelii opinio Patholog. lib. 6. cap. 18.*

rem istum, qui causatur hunc morbum, semper oriri à capite & pericranio, eumque exterius siue per partes externas subter cutem delabi facilimè in juncturas. Firmat autem hanc suam opinionem duabus rationibus. Prima est, quód permultæ venæ, quæ procedunt de iugularibus externis, deponant serosum suum & aqueum excrementum in pericranium & partes externas capitis: quæ vbi eo loco collecta sunt, cum ob cutis densitatem evaporare non possint, oblata quantumvis parva caloris aut frigoris occasione, vel etiam accedente frictione aliqua, delabuntur denique in partes inferiores ipsasque iuncturas. Signa horum humorum collectitiorum ait gravedinem doloremque capitis, soporem aut veternum; tumorem œdematosum inprimis circa occiput. Altera Fernelij ratio est, quod cerebrum eiusque ventriculi non possint esse scaturigo defluxionum, quod excrementa phlegmatica, quæ in illis partibus colligantur, expelli videamus vel saltem mitti foras per nares & palatum, aliquando etiam intra corpus per tracheam arteriam ad pulmones descendant, vel ad ventriculum, vel alias partes

Improbatur. interiores. Sed hæc opinio Fernelij omnium bonorum auctorum consensu reijcitur, ut absurda, & quæ non minus rectæ rationi quàm ipsi adversetur experientiæ. Sed age, respondea-

& refutatur. mus eius argumentis. Ad primum dicimus, non magis esse necessarium, ut iugulares externæ deponant excrementa sua in partes exteriores capitis, quam multæ aliæ venæ, quæ & ipsæ possent deportare excrementa sua in iuncturas. Quod tamen ipsum, etiamsi largiamur Fernelio, non tamen proinde consequens erit, tantam vim superfluitatum colligi posse in pericranio, ut deinceps defluant in iuncturas. Quanquam enim cutis caput ambiens densa satis sit, tamen humores isti aquei atque serosi possent facile transspirare & evaporare per illam cutis densitatem beneficio pororum insensibilium, aut resolvi ac dissipari frequentibus frictionibus.

Ad secundum argumentum dicimus: fateri nos excrementa cerebri & ventriculorum eius foras emitti per nares & os, aut per asperam arteriam ad pulmones & stomachum deferri: sed negare, impediri eo, quo minus etiam aliquid ad iuncturas delabi possit. Pulmones enim, cum sunt robustiores, ut & ventriculus, amoliuntur ab se humores illos excrementitios, alias quidam foras mittendo per tussim & screationem sive sputum: alias verò interius eos propellendo ad alias partes, unde facile possunt hærere in ipsis iuncturis, si eæ sint debiliores. Valeat igitur Fernelius cum absurda ista, & rectæ rationi contraria opinione sua. Nam quamvis defluxiones in Gutta non raro à capite descendant, cum constet Podagricos plerumque catarrhis esse obnoxios: pernegamus tamen, caput eiusque partes externas, semper fontem & scaturiginem esse huius mali: alioquin sequeretur, ex somnio Fernelij, gravedinem & dolorem capitis, veternum, tumorem œdematosum occipitis, semper præcedere morbum articulorum, quod falsissimum est & experientia ipsa confutatur. Videmus enim multos velut in momento oculi & è vestigio corripi podagra, ut tale quodpiam accidens minime sentiant. Præterea, si fluxio in hoc morbo semper venit à capite, ut ipse arbitratur, ut subter cutem partium externarum longo itinere proficiscatur usque ad iuncturas: dicat nobis Fernelius, unde veniat, quod non sentiatur frigus aliquod, aut rigor horrorve, cum partes illæ sensu exquisito sint præditæ, ut non semel observatum est in destillationibus per dorsi longitudinem factis, cum quibus semper tale aliquod accidens coniunctum est?

A quibus partibus defluat humor iste Podagricus.

Nos igitur sic sentimus: humorem eum, qui causa existit Guttæ, frequentius à cerebro oriri, quod est fons & origo omnium catarrhorum, illumque non solum exterius defluere, sed etiam interius, ut & ab eiusdem ventriculis, in quibus excrementa illius tam nobilis partis colligi fere solent, aliquando etiam ab alijs partibus, quam capite aut cerebro defluere: ut abe-pate, renibus, ventriculo, intestinis gracilioribus, postremo à matrice, cuius rei testes habemus

Comment. 3. in sect. 4. lib. 6. epidem.

Hippocratem & Galenum. Quin & nos ipsi, an non quotidie videmus, commonstrante ipsa experientia, dolores ventriculi, renum, ut & colicos, desinere sæpe ac degenerare in Podagram, transportatione humoris morbifici ex loco alio in alium? Statuendum igitur est, defluxum humorum in hoc morbo non semper proficisci à capite, ut existimavit Fernelius: alioquin ipse largiatur nobis necesse est, phlegma illud spissum & glutinosum, unde gignuntur exquisiti illi dolores, primum deferri ad caput, inde occulto meatu subter pellem ad iuncturas descendere, qua re nihil fingi potest absurdius.

Ratione Matricis videmus, supervenire mulieribus Arthritidem ex suppressione mensium,

Aphor. 29. sect. 6.

sine ulla ullius materiæ à capite defluxione. Fœminæ enim, (ait Hippocrates) facile corripiuntur morbo articulari, cum ipsis purgationes menstruæ vel suspenduntur & consistunt vel omnino desinunt: quæ si bono ordine procedant fluantque, vel ipsius Naturæ beneficio, vel artis auxilio, podagræ ijs non superveniunt.

Fit aliquando, ut defluxus podagricus non prodeat ab aliqua certa parte, sed de toto corpore generatim. Sic fit in suppressione hæmorrhoidum, aut alius alicuius vniversalis evacuationis, ut superveniat hic morbus. Huiusmodi enim evacuationes cum vel naturæ officio, vel medicinæ solertia fiunt, tunc acquiescit morbus iste. Patet autem hoc etiam clarius in eo,

quod

quod febres longiores fere terminantur in morbum articularem. Notum autem est, in huiusmodi febribus materiam occupare totam massam sanguineam, & ab vniuerso corpore procedere, non ab una aliqua eius parte. Concludimus igitur fluxiones has non semper prodire à capite, vt Fernelio placuit, sed ram à cerebro quam alijs partibus, epate, renibus, ventriculo, intestinis, matrice, quandoque etiam generatim à toto corpore.

Via siue Locus per quem. Viæ per quas transit humor Guttosus, similes sunt illis, quas omnes defluxiones in genere obtinent, quas superius diximus esse duplices, ordinarias & extraordinarias. Inter Ordinarias sunt venæ, Arteriæ, Nerui, per quas materia crassior usitato more transit. In extraordinarijs sunt membranæ, ligamenta, ossa & insensibiles ductus partium, per quos extra ordinem & rarius fluit materia, è qua generatur Gutta. Mirandum est, Fernelium in hoc quoque capite cæterorum Medicorum sententiæ adversari, tam priscorum quam recentiorum. Arbitratus enim fluxiones podagricas non posse transire per venas: sed hic eius error multis bonisque rationibus convellitur. *Alius Fernelii error.* Primum, cum constet, febres desinere in morbum articularem, quarum quidem materia in venis consistit: cumque certum sit, non raro Guttam curari per venæ sectionem. Fatendum igitur est, materiam illam quandoque transire per ipsas venas, contra Fernelium. Accedit, quod sub initium accessionis podagricæ, venæ, quæ sunt circum juncturas, fiant euidentiores maioresq;, ac magis rubere cernantur quam antea, manifesto testimonio, materiam Guttæ non raro per venas descendere. Postremò Locus ad quem, qui defluxiones illas recipit; primo quidem ac propriè est canitas juncturarum, deinde omnes partes vicinæ, cuiusmodi sunt ligamenta, membranæ, tendines, aliæq;, quæ partim ligant, partim circumdant articulationem. *Locus fluxionis ad quem.* Et hæc esto summaria explicatio vnius è causis Morbi Articularis, quæ est *Defluxus Humorum.*

Veniamus jam ad secundam; quæ est *Iuncturarum Imbecillitas*, quæ necessario requiritur ad generationem huius morbi, vt ostendit Galenus, cum ait: oportere eum, qui à Podagra corripiendus sit, necessario habere pedes & juncturas debiles, antequam à morbo isto inuadatur: non secus ac fit in Epilepsia, vbi non sufficit, materiam peccantem & malignos humores adesse cerebro, nisi huius quoq; accedat debilitas. *Secūda causa Podagræ.* Quod autem Galenus speciatim de Podagra pedibusq; dixit, de omni huius morbi specie capiendum est. Vnde rectè concludemus, juncturarum debilitatem inter necessario requisita esse ad generationem Guttæ.

Dicitur autem junctura debilis duobus modis: vel per se, vel per accidens. Per se, naturaliter & ex prima in vtero conformatione, semine genitali quapiam viciositate prædito: quod, cum ab omnibus corporis nostri partibus desfluar, si non materialiter, virtute duntaxat & efficacia, retinet intra se vim & naturam omnium partium: & hæc est ratio omnium morborum, quos vocamus hæreditarios. *Duplex junctura debilitas.* Sic Arthritici, calculosi, leprosi, epileptici generant ferè liberos his infirmitatibus obnoxios.

Per accidens redditur junctura debilis, quanquam ipsâ Naturâ satis sit valida, diuersis excessibus abusibusq;, inprimis si qui nimis immoderate ruant in actus venereos & ebrietatem. Et hinc natum est scomma poëtarum, qui podagram filiam dixerunt esse Bacchi & Veneris. *Podagra filia Veneris & Bacchi.* Vinum enim immoderate haustum vehementer debilitat neruos, & omnes adeo in vniuersum partes neruosas: præterea idem humidum facit cerebrum illudq; nimis implet: actus venereus juncturas reddit imbecillas, vehementerq; dissipat spiritus, agitatione vniuersali totius corporis: hinc fieri oportet, vt debilitatæ vel hoc vel illo modo juncturæ disponantur & aptæ euadant ad recipiendam materiam Guttæ artificem. Hinc intelligimus, quam bene dixerit Hippocrates, *Eunuchos & Infantes Podagra non tentari, eo quod non dent operam Veneri.* Deprehenditur tamen etiam inter hoc nonnihil differentiæ, cum videamus Infantes ab eo affectu immunes, Eunuchos vero & ipsos quandoq; affligi, quod viuendi leges nonnunquam transgrediantur, nec minus deprehendantur bibere quam cæteri, vt Galenus quoq; sentit. *Aphor. 28. & 30. sect. 6.*

Sunt præter has & aliæ plures causæ, quæ juncturis imbecillitatem afferre possunt per accidens: huiusmodi est frequens Thermarum vel aquarum calidarum vsus, quæ nimis emolliunt ac debiles faciunt juncturas: Motus insuper nimius, & omne exercitium violentum ac immoderatum, cum nimis dissipet spiritus, infirmos reddit articulos. Præterea casus ab alto, & ictus, & confusiones juncturarum eandem causantur imbecillitatem. Breuiter, idem efficit nimia omnis articulorum refrigeratio: cum enim sint partes spermaticæ, facile offenduntur frigore intensiori, quod nec Hippocratem latuit, scribentem, frigus esse inimicum ossibus, neruis, dentibus, cerebro, spinæ dorsi, cum sint partes suapte natura frigidæ, vtpote spermaticæ. *Aphor. 18. sect. 5.* Habes, Lector, causas Articularis Morbi in genere duas, nempe defluxionem humorum & imbecillitatem juncturarum. Quod si quis hoc loco mihi obijciat Aphorismum Hippocratis, vbi ait, magnæ siccitati superuenire juncturarum dolores, & per consequens, non omnem Guttam fieri per defluxum, vt asserimus: ei nos ita respondebimus, (auctore Galeno in Commentario super dictum Aphorismum) non omnem juncturarum dolorem protinus Guttam dici debere, quanquam omnis Gutta sit conjuncta cum dolore juncturarum: quemadmo- *Obiectio ex Hippocratis Aphor. 16. sect. 3.*

admodum non omnis dolor lateris Pleuresis propriè dici potest: quanquam omnis pleuresis sit cum lateris dolore conjuncta. Ad eundem modum non omnis juncturarum dolor Gutta dici debet, sed necesse est, vt alia quoq; accidentia coniuncta habeat, cuiusmodi est tumor, ardor & alia. Extrema tamen siccitas junctuarum dolorem parit per accidens, ita, vt consumpta pingui & oleaginosa humiditate, motus ipsius juncturæ euadat difficilior, nec sine dolore.

Siccitas quomodo causetur dolorem juncturarum.

Sed hic rursum mihi aliquis obiecerit, quod ad causas Guttæ, quarum supra facta est mentio: creari quandoq; hunc morbum per congestionem humorum, vt hac ratione defluxus humorum non semper illius causa dici possit. Ad quod ita, respondemus, nos non negare, gigni quandoq; hunc morbum per congestionem, sed hoc pertarò fieri. Nos verò eas explicuimus causas, quæ frequentius & communiter concurrunt ad generationem huius morbi: rectè igitur nos dixisse etiamnum asserimus, Articularem morbum fieri per defluxum humorum, non obstante, quod aliquando eorum congestione gignatur.

Alia obiectio. Responsio.

Auicenna generatim tres causas huius affectus statuit; Materialem vnam, quam ipse appellat efficientem, estq; humor vel calidus vel frigidus: alteram instrumentalem, quæ est latitudo siue largitas viarum, quas materia illa transit: postremo patientem seu suscipientem nempe debilitatem juncturatum. Guido sequitur Auicennam, nec alias Podagræ agnoscit causas, quam tres illas, quæ tamen optima ratione conuenient cum illis, quas nos supra posuimus. Prima enim, quæ & efficiens est, nihil aliud erit, quam humor qui mouetur in defluxione. Secunda, quæ & instrumentalis, facile potest referri ad causas instrumentarias de quibus paulo ante diximus, cum de fluxione in genere dissseruimus, quas quidem causas esse probauimus tres, Tenuitatem humorum, largitatem ductuum, per quos materia transit; cum laxitate & raritate partium. Postremo pars patiens aut recipiens Auicennæ, nihil aliud est quam secunda causa Podagræ quam nos posuimus, quando eam imbecillitatem juncturarum appellauimus.

Sententia Auicennæ de causis Guttæ.

DE SIGNIS MORBI ARTICVLARIS.

Signa huius morbi alia quidem sunt diagnostica alia prognostica. Diagnostica sunt per quæ cognoscimus morbum, eiusque discernimus differentias, quæ in communi sunt duûm generum, alia generalia alia particularia. Communia siue generalia sunt, quæ nobis monstrant morbum in genere, trahunturq; ab ipsa definitione Guttæ, quã nos diximus esse *Tumorem dolorificum iuncturarum*. Erunt igitur signa communia duo: tumor & dolor iuncturarum.

Signa huius affectus duplicia.

Particularia signa vocamus ea, ex quibus differentias Articularis morbi cognoscimus accuratius, ut unam speciem ab altera distinguere sciamus, quas quidem Auicenna doctrinam Galeni secutus satis eleganter explicavit. Cumque Arthritis una quidem sit calida, altera frigida, ostendit nobis octo signa, quibus unam ab altera discernere possimus. Primum est *color partis affectæ*: si enim rubeat aut flavescat, iam non est dubium, quin Gutta sit calida, causam habens efficientem vel sanguinem vel bilem. Quod si palleat, Guttam innuit frigidam, cum pallor ille veniat à phlegmate quod est frigidum.

Signa particularia octo.

1.

2. Secundum est *contractus partis afflictæ*. Si enim æger magnum in morbida parte sentiat calorem sive ardorem, idemque Medico videatur rangenti manu affectum, non est dubitandum, quin Gutta sit calida, & vice versa, si æger sentiat frigus, idemque medicus tactu experiatur, frigidam esse non erit dubium.

3. Tertium est *applicatio remediorum*. Si enim æger sentiat sibi melius esse applicatione remediorum frigidorum, Gutta erit calida, & vice versa: cuius rei ratio est, quod omnis morbus curetur per contraria. Potest tamen fieri per accidens, ut Gutta calida curari possit remedio itidem calido, dum materia subtilis & calida resolvitur: ita quoque damus, Guttam frigidam placari posse remedio frigido, si id sit narcoticum, quod partem illam privat naturali calore, qui calor omnium functionum est instrumentum, sublato paulatim omni sensu, & per consequens dolore.

4. Quartum constituit *in ratione vivendi, quam æger antea secutus fuerit*: si enim multum vixerit cibis crudis frigidisque, fueritque usus vita ociosa atque sedentaria, qua quidem magna humorum vis colligitur; iam facilis erit coniectura, Guttam esse frigidam. At si è contrario multum victitaverit cibis calidis & Cholericis, usus exercitijs nimis violentis, dubitari non debet, quin morbus sit calidus.

5. Quintum consistit *in Temperamento ægri*. Si enim Sanguineus sit aut biliosus, Gutta iudicabitur calida: si pituitosus aut melancholicus, frigida. Referre huc licebit, velut signum particulare, *ætatem ægri regionis constitutionem & tempus*. Sic enim iuniores fere vexantur Gutta calida, ut contra seniores frigida: & hæc est causa, quod Galenus scripsit, nos senes factos ferè à podagra calida missos fieri. Idem statuendum est de regione & tempore: nam in terris frigidis & calente æstate dominantur sæpius Guttæ calidæ: contra Hyeme & in locis frigidioribus Podagra frigida imperium sibi vendicat.

Sextum

Sextum est *proprietas aut motus doloris*. Si enim dolor magis affligat ægrum tempore antemeridiano quam postea, signum erit morbi calidi indubitatum, qui ortus sit ex sanguine ac humore bilioso, cuius proprium est moveri circa id tempus. Si verò dolor ingravescat magis vespere & nocte, frigidum arguet affectum, qui provenerit ex humore phlegmatico vel melancholico, qui circa id tempus dominetur. Est enim hoc velut proprium quatuor humorum, ut se moveant atque dominentur sigillatim quatuor partibus diei, ut ijdem faciunt quoque quatuor partibus anni. Sic sanguis prædominatur mane diei, & vere anni: Bilis meridie & æstate: Melancholia vesperi & Auctumno: Phlegma nocte & hyeme. Non erit etiam abs re (quod hoc loco meminisse iuvabit) probè considerare *doloris proprietatem*: si is sit acutus & pungens: tunc enim originem ex materia calida arguit: an vero sit lentus & remissus, quo indicabuntur humores frigidi, cum ipsius frigoris vis multo minor sit & obtusior ad agendum, quam caloris. 6.

Septimum sumitur *à duratione doloris*. Si enim paroxysmus & accessus doloris duret longius, Gutta erit frigida, ob copiam phlegmatis, quod non nisi tempore bene longo resolvi potest. Si vero dolor transeat celerius, indicium est caliditatis & materiæ Cholericæ, quæ citius solvitur atque dissipatur. 7.

Octavum signum præbent *vrinæ & excrementa communia*, quorum contemplatio potius ad Medicum Therapeuticum quam Chirurgum pertinet: nos tamen sicco id pede non omnino præteribimus. Si vrinæ laborantium hoc morbo sint in pauca quantitate, subtiles, flavescentes, vel etiam subrubicundæ, acres, mordicantes, ingens oboritur coniectura, Morbi causam esse calidam: idem de excrementis ventris sentiendum est si ea sint admodum colore flavo tincta, & morsicent vicinas partes, sine dubio materia Guttæ erit calida & Cholerica. Contra si vrinæ sint multæ, spissæ & crudæ, colore imbutæ pallido & subalbicanti, substantiosæ: itemque excrementa ventris crassa & albicantia, in quibus nullus morsus neque choleræ indicium appareat, colligi inde potest, Guttam esse frigidam. Hæc sunt octo illa signa particularia atque diagnostica secundum Avicennam & Guidonem, quibus nos adiungere possumus adhuc duo alia, desumta ex diversitate tumoris & doloris; qui velut inseparabiles socij hunc morbum comitantur. Si enim tumor parum admodum appareat, & tensio adsit exigua, dolor tamen vehemens, pulsativus, punctivus, extremè acutus, dicemus morbum esse calidum. Contra, si tumor foris magnus appareat, tensio partis magna sit, dolor tolerabilis, tensivus potius quam pulsans aut pungens, Guttam arguet frigidam. Cuius rei causa hæc est: quod humor frigidus & phlegmaticus ob frigus & spissitudinem suam hæreat in partibus externis, nec penetret profundius intra ipsas iuncturas: ita, ut tumorem quidem faciat magnum & evidentem; dolorem tamen minorem gignat, ob frigus & humiditatem. Contra humor calidus & cholericus, cum ob calorem & tenuitatem suam profundius se in ipsas iuncturas ingerat, tumorem quidem evidentem non gignit, cum tamen sit acris & pungens, dolores quoque acres & pungentes in partibus affectis excitat. 8. *Duo alia signa auctoris.*

SIGNA PROGNOSTICA MORBI ARTICVLARIS.

HÆc considerantur duobus modis: vel ante generationem & accessum morbi, vel post: id est, postquam invasit nostrum corpus. Hanc nos secuti divisionem dicimus, signa Prognostica Guttæ ante generationem suam ea esse, ex quibus prædicimus accessum morbi: desumuntur autem generatim à rebus quatuor. Primò à differentia sexus, mas sit an fœmina, quæ persona à morbo isto tentatur. Etsi autem vterq; sexus huic morbo obnoxius est, cum, teste Galeno, omnis ætas, omnis sexus, omne temperamentum omnisq; habitudo cuiuslibet ægritudinis capax sit: tamen constat, virum huic morbo magis obnoxium esse quam mulierem, vt habetur Aphorismo vigesimo nono sectionis sextæ. Causam putant, quod viri in vivendi licentia plus ac liberalius sibi indulgeant, quam fœminæ: prætereaq; hæ singulis mensibus, si cætera constent, suas habeant purgationes sanguinis, quæ illas ab infinitis morbis & accidentibus præservant, ut Hippocrates testatur. *Signa prognostica ante generationem.* I.

Secunda differentia sumitur ab ætate. Senectus enim aptior est ad recipiendum hunc morbum quam cæteræ ætates: quod senum corpora fere plena sint superfluis humiditatibus, & iuncturas habeant debiles. Contra iuvenes guttæ subiecti non sunt, quod ætas eorum sit calida, unde facile humores corporis dissipantur. Huius rationis auctor est Hippocrates eo loco quo scribit: *pueros non tentari podagra, antequam utantur rebus venereis* quia actus venereus attenuat humores, aperit poros, liquefacit & excitat defluxiones super iuncturas. II. *Aphor. 30. sect. 6.* III.

Tertia differentia petitur à complexione sive Temperamento personæ. Qui enim temperamenti sunt frigidi & pituitosi, magis affliguntur ab hoc morbo, ut Galenus hæc pluribus persequitur loco adnotato, adeo ut frequenter ægritudo illa oriatur à phlegmate: cum contra ij, qui sunt temperamenti calidi & Cholerici, minus ab ea corripiantur. *Lib. 10. cap. 6. de compositione medicament. secund. gen.*

Quartam differentiam constituunt tempestates anni. Etsi enim podagra quovis anni tempore IV.

Aphor.55. sect.6. pore corporibus supervenire potest, ut & cæteri morbi, teste Hippocrate: frequentius tamen sentitur Vere & Autumno, quod Galenus de omni Articularis morbi specie in genere adstruit. Hippocratis enim verba hæc sunt: *Dolores Podagræ moventur potissimum vere & auctumno.* Et
Aphor.20. sect 3. hæc est ratio, cur idem Hippocrates iuncturarum dolores inter morbos veris recenseat. Causam arbitrantur, quod vernum tempus moderato suo calore liquefaciat humores, & defluxiones exciter: Auctumnus vero, postquam poros sive ductus insensibiles nostri corporis apertos invenit, quos æstatis calor reseravit, facile potest deponere in ipsas iuncturas, malignorum illorum humorum defluxus, qui ob frequentem vsum omnis generis fructuum, quos tempus anni suppeditat, maiore colliguntur abundantia.

V. Habes in genere ac succinctè signa Prognostica generationis Guttæ, quæ ab quadruplici accersivimus differentia: ab sexu, ætate, temperamento, & anni tempestate. His possumus etiam quintam addere, à Conditione diversa personarum. Quanquam autem hæc differentia communis sit ac popularis, contemnenda tamen prorsus non est, ut quæ multum faciat ad prognosin venturæ Podagræ. Divites enim, (ut in vulgato est verbo) magis subiecti sunt huic morbo quam pauperes, illique etiam multo magis, qui in ocio degunt, expertes laborum, vitam que vivunt sedentariam, varijs diversisque vescuntur ferculis, edaciores insuper ac destituti exercitijs, quodque plurimum ad rem facit, qui dediti sunt rebus venereis.

Signa Guttæ post generationem. Signa prognostica Guttæ, postquam illa generata est, & iam incipit torquere corpus, sunt ea, ex quibus prædicimus ipsam essentiam & constitutionem morbi: utrum eius curatio facilis sit an difficilis: quæ symptomata aut morbi supervenire possint. Igitur hæc signa sunt duplicia, vel Bona vel Mala. Bona sunt, quæ curationem præsagiunt facilem, & rursum dnûm sunt generum: quædam enim sunt communia sive generalia: quædam particularia. Com-
Signa communia bona tria. munia ad hæc tria redigi possunt. Primum est, quod Arthritis præservat partes affectas à plu-
ribus morbis & accidentibus: ut latius persequitur Galenus in septimo de Methodo & quarto de Sanitate. Si enim humores corporis nostri superflui, qui guttam generare solent, reten-
I. ti ad partes interiores ac nobiliores deferrentur: excitarent ingentes adeoque lethales morbos. Exempli gratia, si decumberent in pulmones, crearent inflammationem, asthma, difficultatem respirandi, aliosque morbos cum vitæ periculo coniunctos. Si in ventriculum, gignerent cruditates, prostrationem appetitus, vomitum dysenteriam, & huiusmodi alia. Si ad epar, inflammarent, id, unde sequerentur morbi non exigui momenti. Si intra venas maiores relinquerentur, gignerent febres continuas Si deciderent super membranam, quæ obtegit costas, pleuresin excitarent: & sic fieri potest idem iudicium de cæteris corporis nostri partibus, quæ vel gravioribus vel minoribus morbis corripiuntur, prout illarum partium functiones & officia ad conservationem vitæ sunt necessaria, quæ vita ad hunc modum per articularem morbum à multis præservatur incommodis, recipientibus iuncturis brachiorum, crurum, talorum, illos tam noxios humores, quæ membra ad fulciendam vitam hominis adeo necessaria non sunt. Hæc res locum proverbio fecit, quo vulgo dicitur, *Podagricos esse longevos.*

II. Secundum signum commune omnium optimè explicatur ab Hippocrate Aphorismo quadragesimo nono, sectione sexta, ubi ait: *Omnes morbos podagricos dimittere inflammationes suas intra quadragesimum diem, & postea curari.* Hæc de omni Arthritide in communi accipienda sunt. Nam, ut Galenus in Commentarit, quemadmodum decimus quartus dies est terminus inflammationis in partibus carnosis: ita quadragesimus in partibus nervosis & membranosis: cuius rei duas præcipuas afferunt rationes. Prima, quod partes carnosæ plus habent caloris naturalis, quam nerveæ aut membranosæ, quæ frigidæ sunt & exsangues sua natura. Vbi autem calor abundat, ibi celerius resolvitur & suppuratur materia. Secunda, quia constitutio substantiæ carnis rarior est, magisque porosa, quam ligamentorum aut membranarum; vnde materia intra partes carneas promptius colligitur, ut resolvi ac dissipari exiguo tempore possit: contra illa quæ sedet in ligamentis & membranis, sicut difficulter colligitur, ita tardius quoque dissipatur, ut non nisi longo tempore evaporare vel exire possit: substantia enim ligamentorum membranarumque densa est & spissa, nec porosa ut substantia carnis. Hæc tamen prognosis Hippocratis hoc loco non simpliciter & absolutè capienda est, sed, ut loquuntur ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quod fere ac frequenter ita euenire soleat, ut podagrici dolores intra quadragesimum diem cessent. Constat enim quandoque illum morbum citius curatum fuisse, nec quadragesimum expectasse diem. Huiusmodi est illa Arthritidis species, cuius materia est calida & tenuis. Fit & ut tardius curetur, cùm æger non observat legitimam vivendi rationem, nec solerti aut industrio utitur Medico vel Chirurgo. Ipsa quoque materiæ situatio interdum producit morbum ultra quadragesimum diem, cum materia peccans in loco aliquo humili sedet, ut in iuncturis genuum aut talorum, vel in parte admodum profundè abdita, velut in iunctura coxæ aut Ischij.

III. Tertium signum bonum commune Guido noster experientia magistra didicit; ait enim

bonum esse, *si tumor & varices appareant in Gutta*. Sed notandum est, illum per Varices non intelligere venas dilatatas & intortas, quales apparent capreoli vitium, & sæpe videntur in femoribus & cruribus: sed nominare Varices venas circa juncturam podagra correptam, quæ tunc crassiores sunt magisq; inflatæ, quam aliis temporibus, vt euidenter se in conspectum dent, cum antea vel omnino non, vel saltim perobscurè videri potuissent. Ratio huius Prognoseos est, quod materia, quæ continebatur in juncturæ cauitate, inque membranis & tendinibus, foras expellatur ad partes externas, vnde ad eum modum inflantur & dilatantur juncturarum venæ: quæ quidem res ægro instar beneficij optanda admodum est, cum inde constet, humorem peccantem non amplius hærere in ipsa junctura, sed in externis sedere, vnde facile digeri ac resolui possit. Ait pari ratione Guido, bonum signum esse, si tumor appareat, inde enim manifestum fieri, malignam materiam è junctura ad externas partes extractam; facile porrò profligari posse. *Varices quid sint Guidoni.*

Signa prognostica bona particularia articularis morbi sunt, quæ nobis facilem & promtam curationem prædicunt, in vna vel altera Arthridis specie: eorum summa huc redit, Guttas facilius promptiusque curari, si sint ex causa calida quam si sint ex frigida, idque ob eam causam, quod materia Guttæ calidæ ob suam tenuitatem citius & facilius resoluatur. Et hæc sunt bona signa prognostica Morbi Articularis jam generati, tam communia quam specialia. *Signa bona particularia.*

Signa prognostica mala vocamus ea, quibus prædicimus, curationem fore difficilem, & grauia superuenire posse accidentia: nos hæc diuidemus in duas species, itidem vt in bonis fecimus, in communia & particularia. Communia sunt, quæ nobis ostendunt, quæ mala possint superuenire cuiuis Arthritidis speciei in genere & communiter, quæ in octo principalia partiemur: quæ ipso vsu rerum & experientia comperta sunt, partim per Auicennam (testante Guidone nostro) partim per alios auctores tam veteres quam recentes. Primum est quod *omnis Arthritis referenda est in ordinem morborum Chronicorum, qui diuturni sunt & curatu difficiles*. Verba sunt hæc Hippocratis libro de morbis vltimo. Longus est, quia pars affecta exanguis est & frigida, parum intra se habens caloris naturalis: Natura enim, ait Hippocrates, curat morbos. Vbi per Naturam intelligit calorem naturalem, qui naturæ est instrumentum. Difficilis curatu est, quod humor qui illum excitat, maxima ex parte spissus est & frigidus, nec facile obediens allatis remediis: accedit partis affectæ profunditas, quæ est cauitas juncturæ, quæ præterea multis partibus densis spissisq; circumdatur, cuius generis sunt ligamenta & membranæ, per quas necesse est, vt materia transeat, quæ resoluenda est atque digerenda. *Signa communia mala.* *quæ sunt numero octo.* I. *Sect. 5. lib. 6. Epidem.*

Secundum est, *Senes nunquam à Morbo Articulari curari posse*. Ratio est, quod & ætas eorum & temperamentum sit frigidum. Est autem curatio facienda per calorem naturalem: accedit quod tota eorum massa sanguinaria frigida est, partes autem internæ flaccidæ & debilitatæ, adeò vt rectificari non possint, non magis quam vinum vappescens aut quod in acetum degenerauit. II.

Tertium, *Podagra hæreditaria est incurabilis, vt omnis ægritudo, quæ à prima constitutione & conformatione venit.* Ratio, quod vitia naturalia à mala dispositione seminis orta, corrigi nequaquam possint: ergo & per consequens ne morbi quidem, qui inde oriuntur. III.

Quartum: *Arthritis, quæ nodosa appellatur, curari nescit.* Et de hac intelligi debet versus ille Ouidianus: IV.

Soluere nodosam nescit medicina Podagram.

vel, vt in Gallico est prouerbio: *Ad quartanam & Guttam, Medicus non videt guttam.* Ratio huius prognoseos est desumta à qualitate & natura humoris, qui Arthriticos illos nodos generat, qui cum sit induratus ad modum lapidis, & extreme exsiccatus, non potest attenuari aut subtilior fieri vllo remedio, multo minus autem digeri aut resolui. Et hoc est quod Guttam nodosam facit incurabilem.

Quintum est, *Articularem morbum sæpe mouere atq; concitare febrem & dolores Colicos.* Quia materia peccans modo obtruditur venis, & tunc gignit febrem, modo intestinis, vnde oritur morbus Colicus. V.

Sextum est, *quod omne membrum, quod diuturna affligitur Podagra, macrescit & fit tabidum.* Fit hoc propter imbecillitatem virtutis concoctricis illius partis, quæ diuturnitate mali debilitata, alimentum in salubrem succum conuertere sibiq; assimilare nequit, vnde necessum est, vt membrum ob priuationem nutrimenti atrophia correptum exsiccescat & tabescat. VI.

Septimum, *Morbus Articularis membro alicui semel impressus, quanquam non amplius affligat partem ægram, semper tamen facit, vt ibi remaneat aptitudo.* Omnis enim intemperies, si nimis diu in aliqua corporis parte hæreat, minuit robur & virtutem eius, & per consequens actionem, vt Auicenna ait. Hinc fit vt repente & sæpe recidiuam patiantur: cum defluxus malignorum humorum vbi ad juncturam peruenit, si eam inueniat imbecillam, de nouo facit morbum pullulascere. VII.

Octauum & vltimum Rhasis optimè expressit in diuisionibus suis, capite CII, vbi ait: Morbum VIII.

bum hunc aliquando post se trahere vel Asthma, vel Paralysin, vel Apoplexian, Phrenesin, & Mortem subitaneam. Fit hoc deriuatione & reflexu materiæ ad partes nobiles, sæpe errore Medicorum & Chirurgorum, testante Galeno, cum nimis vtuntur remediis adstringentibus & repercussiuis, ad impediendum defluxum humoris in partem aliquam. His enim remediis remittitur materia ad pulmones, & tunc generatur Asthma & difficultas respirandi: vel ad neruos, & fit Paralysis: vel ad ventriculos cerebri sequente apoplexia: vel denique ad Meningas ipsamque cerebri substantiam, unde oritur phrenesis: suntque hi affectus omnes eiusmodi, ut frequenter subitaneam mortem secum vehant. Et hæc sunt octo illa signa mala prognostica in Arthritide, & ea quidem generalia atque communia: veniamus iam ad particularia.

Signa mala particularia duo. Sunt autem hæc præcipua duo. Primum Guido noster explicavit ex doctrina Avicennæ, estque tale. *Inter omnes morbi articularis species Ischiaticus pessimus est, vincitque malignitate omnes.*

I. Primo quod acerbiores dolores creet: deinde quod longius duret: tertio quod atrociora fere ei superveniant Symptomata, quam cæteris, cuiusmodi sunt acutæ febres, inquietudo, luxatio cum perpetua claudicatione, macies item femoris & cruris, cum tabe aliquando totius corporis. Acerbiores dolores gignit propter magnum nervum, qui veniens ab extremitate ossis Sacri protenditur iuxta illam puncturam. Diuturnus est ob profundam locationé partis: est enim bæc omnium maxima articulatio & profundissima totius corporis humani. Cum igitur materia ibi continetur, difficulter egredi potest, neque remedia conuenienter applicari possunt, ob crassitiem carnis, & partium, quæ iuncturæ substernuntur: ut hac ratione nihil facile penetrare possit, quæ causa est diuturnitatis huius affectus. Febres excitat & inquietudines ob inflammationem spirituum quibus multa cum corde intercedit communio, itemque ob doloris magnitudinem, qui prohibet, ne æger quiescere possit, sed se ob cruciatuum vehementiam modo in hoc modo in illud iactet latus. Luxatio fit in Ischiatico morbo, quia humor pituitosus laxat & mollia efficit ligamenta, facitque viscositate sua os lubricum, ita ut caput ossis femoris hoc pacto extra acetabulum suum locumq; naturalem moveatur: hinc fit, ut miseri Arthritici toto vitæ suæ tempore claudicare cogantur: quanquam multi etiam claudi facti fuerint per morbum sciaticum citra luxationem: cuius rei causa est, quod humor pituitosus & phlegmaticus, aptus tam ad nutriendas iuncturas, quam ad faciendas lubricas, ob facilitatem motus, indurescit & incrassatur per inflammationem, quæ est in ipsa iunctura: similiter quoque, quod non attenuatur aut redditur subtilior per motum cui adsueverat, quod ibi fit congestio quædam & acervus crassorum humorum atque viscosorum, qui impediunt, ne motus fieri possit, unde necessario sequitur claudicatio. Ad extremum, Morbus Ischiaticus adfert attenuationem maciemque femoris & cruris, quia malè nutriuntur istæ partes, quia os extra acetabulum suum motum comprimit musculos & venas, easque secum deorsum trahit, ne alimentum distribui possit, ut solebat, unde totum femur in atrophiam atque tabem incidit. Fit & quandoque extenuatio ista non tantum in femore & crure, sed & in partibus vicinis, adeoque toto corpore, ideo, quod calor quidam heterogeneus & peregrinus vicinas partes invadit, & se per omnia corporis membra extendit.

Luxatio quomodo fiat.

Et Claudicatio.

II. Altera prognosis mala particularis est, *quod Gutta frigida non tam citò nec tam facile curantur quam calida:* quia humores, qui illas generant, sunt frigidi & crassi, ut intra paucum tempus digeri dissolvique non possint, accedente alio incommodo, quod ob lentam viscositatem suam pertinaciter hæreant in partibus affectis, nec nisi magna cum difficultate extrahi possint. Et hæ sunt Prognoses Articularis morbi tam communes quam speciales. Superest, ut de illius curatione etiam aliquid dicamus.

DE CVRATIONE ARTHRITIDIS.

Cura Podagra consistit in tribus. Hanc dividemus generatim in partes tres. Prima erit, ut curetur Morbus iste, cum iam de facto molestus est corpori, sedatis doloribus, qui eum comitantur. Secunda consistit à præservatione ægri à morbo, antequam adveniat. Tertia est ut corroborentur & remittantur iuncturæ in pristinum suum statum, postquam iam cessavere defluxiones. Et hæ sunt tres istæ partes, quæ in curatione huius mali observandæ veniunt, ut ostendit Guido noster.

Auctor cur non primo tractet de præservatione. Non dissimulabimus tamen, nos in eo differre à Guidone, quod ille præservationem ab hoc morbo primo loco constituit, quem nos damus curationi, quando is iam affligit torquetque hominem. Quanquam hæc qualiscunque differentia facile tolli potest interposita distinctione hac. Sequitur Guido in tractatu suo ordinem Naturæ, dignitatis, & methodum docendi, ideoque non absurde incipit curationem arthritidis à præservatione, propositis præceptis, quorum observatione illa impediri queat, ne accedat. Nos vero sequimur Methodum Practicam, intento oculo in usitatos eventus, qui exercenti praxin occurrunt, cum constet, Medicos & Chirurgos frequentius vocari ad tollendos & sublevandos dolores præsentes, quam ad impediendum ne malum adveniat.

Cura podagræ Ordinaria & extraordinaria.

Igitur illa pars, quæ concernit curationem podagræ, quam Guido appellat regimen curativum, duplex est: una quidem Ordinaria & Legitima; altera Extraordinaria. Prima curat malum totaliter & integrè, amputatis eius causis: posterior, omissis causis, ipsum illud, quod urget vehementius, aggreditur, & cavet de futuris accidentibus. Curatio Methodica in quatuor res intenta est. Primò, in genus & rationem vivendi: deinde in evacuationem materiæ antecedentis: tertiò in repulsionem & evaporationem materiæ coniunctæ: quartò, in correctionem accidentium, quæ morbum ferè comitantur.

Curatio Methódica.

Ratio vivendi primum in cura.

Quod ad modum & rationem vivendi attinet, consistit ea in laudabili observatione sex Rerum Non Naturalium, puta aëris, cibi & potus; somni & vigiliarum, motus & quietis, evacuationis, postremo affectuum animi.

Aëris observatio in hoc affectu.

Aër cum sit causa communis & valde potens omnium morborum, eligendus est purus in substantia, & temperati caloris ac frigoris, paulo tamen magis ad siccitatem quam humiditatem inclinans: qui si natura talis non sit, artificio corrigendus est ignibus & suffumigationibus desiccatorijs. Cum igitur magna sit aëris potentia in alteratione corporum nostrorum, is qui articulari tenetur morbo, dabit operam, ut eligat sibi habitationem in loco sicco, non aquoso nec exposito ventis marinis, utque evitet aërem vel nimis calidum, vel nimis frigidum, cum calidior iusto liquefaciat ac fluere faciat humores, frigidior vero exprimat, & ita uterque sit causa defluxionum: accedente eo, quod nimium frigus capitalis hostis sit juncturarum.

Potus & cibi.

De potu & cibo ita statuimus: debere ægrum minus bibere atque edere quam solebat, inprimis autem omnino abstinere ab usu vini, in cuius locum succedere potest melicraton, aut aqua saccaro edulcata. Quod si forte prorsus à vino abstinere nolit, ratione duntaxat ætatis & temperamenti frigidioris: utatur sane vino crassiusculo, quod aqua diluatur & cooperiatur duabus aut tribus horis antequam bibatur: caveat autem ab omni vino forti & violento, cuiusmodi est illud, quod ab Hippocrate vulgò denominatur, itemq; Malvaticum seu Cretense, Muscatellum sive Apianum, cuius generis etiam sunt vina rubella, itemque alba illa subtilia, pungentia & fumosa: hæc enim omnia inimica sunt cerebro, & per accidens, nervis quoque. De cibis sentimus, ut multo minus edat, quam eius fert consuetudo, parcè autem inprimis vescatur carnibus, (inprimis si Gutta laboret calida iisque magis tostis quam elixis. A jusculentis abstinebit, aut si id nolit, nonnisi semel in die sumat: in quorum locum succedat decoctum avenæ mundatæ, aut prisanarium, orizæ, vel ordei, vel similæ, ad incrassandas defluxiones subtiles. Vitabit omnia salsa, aromatica, acria & morsicantia.

Somni & vigiliarum.

De somno operam dabit si poterit, ut vitet, vigilias nimis longas, cum primis in Gutta calida, cum illæ attenuent sanguinem, & per consequens augeant morbum, excitando defluxiones humorum.

Motus & quietis.

Evacuationis & passionum.

Ab omni motu prohibeatur, donec duraverint dolores, & pars affecta conservetur in quiete. Ratione excrementorum danda erit opera, ut alvus semper sit aperta nec constipata: quæ si natura talis non sit, reddatur liquida artificio. Ab actu Venereo longissime fugiat: vitet, quantum pote, omnem tristitiam, melancholiam, aliasque passiones, violentasque commotiones spiritus. Et hæc sunt præcipua illa, quæ in observatione Dietæ & vivendi ordine annotanda duximus.

II.

Evacuatio & diversio causæ antecedentis.

Cum autem Articularis Morbus sit longus & chronicus, qui sola ratione vivendi curari nequit, ad remedia deveniendum est. Secundum igitur, quo collineat Medicus, est Evacuatio & diversio materiæ antecedentis. Huc plurimum conducunt vomitus, Clysteres acres & pungentes cum Hiera Benedicta, purgationes insuper cum Phlegmagogis & Cholagogis, pro ratione Podagræ, sive ea sit vel frigida vel calida: sed & venæ sectiones multum prosunt. Inter purgantia autem inprimis egregie prosunt Vomitiones, ad evacuandam materiam antecedentem, inprimis si defluxus procedat ab cerebro & stomacho. Huic sententiæ prope omnes subscribunt Medici, tam veteres quam recentiores. Clysteres acres & purgationes paratæ cum medicamentis, quibus est facultas purgandi humores peccantes, inprimis autem serositatem sanguinis, admodum appositæ sunt, ad evacuandam & divertendam materiam arthritidis antecedentem: quo etiam referenda est sectio venæ facta in parte contraria. Cum autem dico secandam venam in parte contraria, non intelligo partem oppositam corporis secundum latitudinem, sed potius secundum longitudinem. Exempli gratia, pes dexter sit occupatus Podagra: ibi ægro non est incidenda vena in pede adverso sive sinistro, sed in eodem latere, puta in brachio dextro, quod est contrarium parti affectæ in longitudine: ita, quemadmodum pes dexter inferiori loco situs est, ita brachium eiusdem lateris, in quo venæ sectio fieri debet, in superiori: & sic superius & inferius dicimus contraria.

Laus vomitus.

Clysterum.

Venæ sectionis.

Cautela.

III.

Repulsio materiæ coniunctæ.

Repulsio & resolutio materiæ coniunctæ tertium locum obtinet: ibi principio utendum est remedijs repercutientibus, præterquam in malo Ischiatico, quia tunc futurum esset, ut materia adhuc profundius adigeretur in juncturam ossis Ischij, adeo, ut difficilime posset expelli, unde gravissima superventura essent symptomata. Cum autem repercutientia remedia sint

Galen. cap 2 libro secund. locos. Comment. 15 lib. 2. de natura hominis.

in duplici differentia: vna quidem benigna, altera vero violenta & extrema: non est utendum hic posterioribus, sed solùm familiaribus & & benignis, ne materia coniuncta, quæ jam defluere incepit in juncturam, repercutiatur ad membra principalia & partes nobiliores, ubi suscitare posset atrocia symptomata: vel etiam, ne dicta materia indurata aut inspissata, contumax evadat, omnemque respuat dissolutionem.

Vsus repercutientium & repellentium.

Quod ad secundum morbi tempus, quod est eius Incrementum, utendum est repercussivis & resolutivis iunctis inæqualiter. Sensus horum verborum est: oportet ut repercussiva sint in maiore abundantia quam resolutiva, quod adhuc materia affluat ad partem, eoque magis necesse habeat ut repercutiatur. Vbi autem morbus ad statum suum vel Acmen pervenit, miscenda sunt repercusiva & resolutiva æqualiter, ut hac ratione semper repellatur humorum defluxio, & resolvatur causa coniuncta. In declinatione Mali tantum resolventibus vtendum est, quod tunc non amplius sit necesse repellere fluxionem, sed tantummodo resolvere & digerere id quod intra iuncturas continetur. Ad hunc modum facienda sunt remedia conformia, ut satis fiat scopo Medici, & cuivis morbi periodo conveniant.

Cum autem Arthritidis species alia quidem sit frigida, orta ex causa frigida & phlegmatica: alia vero calida, nata ex materiâ calida: primùm tractabimus de ijs remedijs, quæ Guttæ frigidæ conveniunt, & id quidem ex doctrina Guidonis nostri, gnari, huiusmodi Guttas frigidas sæpius evenire quam calidas: unde necessarium judicamus, prius instruere Chirurgum in ratione medendi Arthritidi frigidæ, postea ostendere ea remedia, quæ calidæ quoque conveniunt. Dicemus igitur primo loco de repercutientibus, quæ conveniunt primis mali principijs. Recitat autem Guido duas formulas, quarum prior est Avicennæ, posterior Rhasis, nos eas sequemur in hoc opere, & explicabimus per partes, studebimusque perspicuitati, eo qui sequitur modo.

Cataplasma repercussiuũ.

Recipe foliorum Sabinæ manipulum j. *foliorum solani & plantaginis ana. manipulum semis. nucum cupressi dragmas* ij. *Aluminis roch. drag.* j. *ß. Gummi tragacanth. drag* iij. *mucilaginis seminis psyllij & cydoniorum ana drag.* j. *decoquantur omnia & pistrentur. Fiat cataplasma.* Imponatur hoc parti affectæ sub initium morbi, ut supra diximus.

Vsus.

Potest etiam medicamento illi addi portio quædam olei rosati, ut ita fiat Cataplasma. Quod sequitur remedium, eiusdem est efficaciæ, quanquam non tam multa misceantur.

Vnctio repercutiens.

Recipe Olei rosati Omphacini vncias iij. *vel quantum satis est.* hoc unge juncturas ægras. Quod si hæc erunt leviora, utere sequenti.

Vnguentum repercutiens efficacius.

Recipe Olei rosati & myrrtyll. ana vncias ij. *myrrhæ, aloes, acacia pulverâtor. ana dragm. vnam semis: incorporentur cum aqua decocti gallarum viridium & fiat vnguentum,* quod applicetur parti afflictæ. Postremo ad maiorem prædictis remedijs conciliandam virtutem adiungantur ijs *aceti rosati drag* iij. *Camphor. grana* iiij. deinde imponatur juncturæ ægræ. Et hæc sunt remedia repercutientia, & ea quidem benigna ac familiaria, quibus est vtendum sub initium Guttæ frigidæ. Veniamus nunc ad repercussiva & resolutiva, quæ conveniunt augmento morbi. Horum nobis proponit Guido noster tria: vnum Avicennæ, alterum Rhasis, tertium Dini, hominum in praxi medica celeberrimorum. Nos ea ita proponemus, vt simul doctrinam auctorum illorum sequamur, & Medicorum recentiorum. Primum igitur faciemus Cataplasma hoc modo.

Cataplasma repercussiuũ & resolutiuum.

Recipe stercoris bubuli recentis libram j, mellis rosati vncias iij. Olei rosati & acetianæ Vnciam j. semis, misceantur & coquantur parum, fiat Cataplasma. Hoc imponatur juncturæ patienti. Quod si cui hoc remedium immundum videatur (sunt enim quidam tam stolidè delicati) is accipiat sequens, quod eandem habet virtutem.

Fomentatio eiusdem virtutis.

℞. *Salviæ, maioranæ, absynthij, solani, plantaginis ana manipul.* j. *florum Chamomill. & meliloti ana pug.* j. *seminis lini & fænigræci ana Vnciam* j. *Aceti rosati Vncias* ij. *fiat omnium decoctio in duabus partibus aquæ & vna vini rubri adstringentis.* Hoc decocto fomentetur junctura affecta bis aut ter in die. Laudatur ad eundem effectum supra modum magma oliuarum recentium, si applicetur juncturis infirmis; crediturq; hoc pacto mitigari dolor, repulsa moderate & digesta materia conjuncta. Aurantia poma siccata & decocta in aceto, postmodum contusa & imposita languenti parti, eandem vim habere creduntur. In augmento morbi multum ad rem faciunt linimenta & Vnctiones compositæ ex oleis repercussiuis & resolutiuis, nos huius rei specimen dabimus.

Linimentum repercussiuũ & resolutiuum.

℞. *Rosati & violati ana Vncias* ij. *decoct. maluæ, althææ, violarum ana Vncias* ij. *fiat linimentum, quo illinantur articuli affecti.* Vnguentum autem conficiatur ad hunc modum.

Vnguentum eiusdem facultatis.

℞. Vnguenti rosati recenter dispensati Vncias iij. mucilaginis seminis Psyllij Vnciam j. semis, misceantur probè simul. Hoc vnguento iniungantur affectæ juncturæ.

Vbi morbus ad statum peruenit, oportet vt medicamenta, quod & supra monuimus, principaliter sint resolutiua mixta cum aliqua parte repercussiuorum, cuiusmodi sunt quæ sequuntur.

Cataplasma

Recipe radicum Bryoniæ, althææ, liliorum, cucumeris agrestis ana Vnciam vnam semis, coquantur in lixi-

vo communi, poſteà piſtentur & colentur per ſetaceum, addendo farinæ hordei & fabarum ana vncias ij, olei Chamomill. quant. ſatis, fiat cataplaſma. Hoc imponatur parti ægræ: vel etiam poterit fieri aliud ſimile, cui adiunge *Aloes, myrrhæ ana vnciam vnam, ſulphuris vivi & ſalis communis ana dragm. iij.* Quod ſi ſupradicta remedia & cataplaſma non multum forte proficiant, age veniamus deinceps ad efficaciora. *repercuſſivum.*

Recip. foliorum ebuli manipul ij decoquantur in aqua communi, pinſantur & tranſmittantur per ſetaceum. Adde hermodactylorum ſubtiliter pulveriſatorum vnciam vnam, Chamomill. Vncias ij. croci dragm. j. fiat cataplaſma. Hoc utatur quis, quemadmodum ſupra diximus. Sequens cataplaſma, quod dabimus, non eſt minoris efficaciæ. *Aliud ſed efficacius.*

Recipe micæ panis albiſſimi libram j. decoquatur in lacte caprino aut vaccino: poſtmodum adde olei roſati vncias iij, butyri recentis vnciam vnam, vitellos ovorum numero duos, fiat cataplaſma. Applicetur hoc ut de ſuperioribus dictum eſt. Huc faciunt etiam Emplaſtra, vnguenta & linimenta. *Aliud ad idem.*

Recipe Gummios Ammoniaci, bdellij, ſtyracis ana vncias ij. Diſſolve hæc in aceto, deinde adjunge farinæ hordei & fænigraci ana vnciam vnam, olei Chamomill. & dialthææ ana vncias ij. ceræ quant. ſatis. fiat emplaſtrum. Imponatur parti ægræ: quanquam hoc quod ſequitur videatur etiam plus habere virium. *Emplaſtrum.*

℞. Gummi Ammoniac. Opopanacis, ana vncias ij. diſſolve in aceto: tum adde olei liliorum vncias iij. axungiæ porci vncias ij. therebinth. venetæ vnciam j. ceræ quant. ſat. fiat emplaſtrum. Vſum huius in ſuperioribus indicavimus. Conveniunt autem hæc remedia optime extremo tempori Guttæ frigidæ, cum iam eſt in declinatione, quando, ut ſupra diximus, magis expedit vti reſolventibus. Cum tamen eo ipſo tempore perneceſſarius ſit vſus remediorum, quorum exquiſita virtus eſt ad reſolvendum, ſuppeditabimus ſequentia. *Aliud ſed efficacius.*

Recipe rad. althea & liliorum ana libr. ß. foliorum malvæ manipul. ij. florum Chamomill. & meliloti ana pug. j. ſem. lini & fænigraci ana vnciam j. coquantur omnia & piſtentur. fiat cataplaſma, quod applicetur parti dolenti. poſſumus etiam ſalubri uti ſequenti fomentatione.

Rec. Rad Althea & liliorum ana vnciam vnam, radicis bryoniæ & cucumeris agreſtis ana vncias ij, mucilaginis ſeminis pſyllij & cydoniorum ana vnciam vnam, malvæ, violarum, calament. pulegij. origani ana manipul. j. florum violarum, ſtoechadis, centaurij minoris, ana, p. j. fiat omnium decoctio in duabus partibus aquæ & vna vini rubri aut albi. Hac decoctione fomentetur pars affecta mane & veſperi, panno craſſiore. Vt autem fomentatio ſit efficacior, adiungemus nos *radicum ſcillæ vnciam unam, corticum ligni Guaiaci dragm. vj.* Poterunt etiam parari emplaſtra, vnguenta & linimenta, quæ plus habebunt virtutis quàm ſuperiora ad diſſoluendam & digerendam materiam coniunctam.

℞. Gummi Ammoniac. bdellij, opopanacis in aceto diſſoluti ana vnciam vnam, caſtorei & myrrhæ ana drag. vj, axungiæ gallinæ & anſeris ana vnciam ſemis. olei liliorum & vulpini ana vncias ij. fiat emplaſtrum. Imponatur parti affectæ. Sequens tamen, quod ſubijcimus, emplaſtrum ante omnia dignum eſt quod obſervetur. *Emplaſtrum.*

Recipe. picis navalis vncias ij, gummi pini vnciam j. terebinth. Venet. drag. vj. olei liliorum & lumbricorum ana vncias ij. ceræ vnciam ſemis. aquæ vitæ vnciam j. fiat emplaſtrum Hoc utere ut dictum eſt, continuando uſum eius, usque dum humor ſit omnino ablatus ab illa parte & motus iuncturæ ſit liberior. Ex vnguentis ea quæ ſequuntur ipſe uſus approbabit. *Aliud & efficacius.*

Rec. axungiæ veteris porci & anſeris ana vnciam j. myrrhæ & thuris ana vnciam ſemis, terebinth. vj. ceræ quant. ſat. fiat. vnguentum. Inungatur hoc iunctura affecta Si tamen velis reddere efficacius, adiunge olei laurini & vulpini ana vnciam j. Poſtremò linimenta ſequenti modo fiant. *Vnguentum.*

℞. Olei laurini, vulpini, & rutacei ana Vnciam ſemis, miſce vt fiat linimentum, quo inungatur pars affecta. Poſtremo ſtercus pullorum columbinorum coquatur ſatis diu in aceto, hoc fomentetur pars affecta, eſtque hoc velut ſupremum remedium, ad euacuandam materiam coniunctam in Gutta frigida. Sed & veſicatoria facta de fermento valde acido, de cantharidibus & pauxillo aquæ vitæ: vel macerentur ſatis diu in aceto forti hoc modo. *Linimentũ.*

℞. Fermenti veteris vnciam vnam, cantharid. drag. ij. miſce: cum aceto fortiſſimo, formetur veſicatorium. Applicetur hoc junctutæ vt dictum eſt: at veſiculæ, quæ beneficio veſicatorij attractæ vel eleuatæ fuerint in parte affecta, ſinantur fluere ſatis longo tempore. Et hæc ſunt remedia apta ad repellendam, reſoluendam & digerendam materiam coniunctam Guttæ frigidæ, ſuntq; ea, quæ Medici & Chirurgi appellare ſolent *Topica.* *Veſicatoriũ.*

Nunc deinceps dicendum eſt de remedijs arthritidos calidæ, quæ & ipſa eo ſpectant, ut repellatur & digeratur materia coniuncta.

Nos hæc dividemus in quatuor genera, ut & in Gutta frigida fecimus, ſecundum quatuor morbi tempora: ita ut primum dicamus de remedijs repercutientibus, quibus utendum eſt ſub initium Guttæ calidæ. Guido noſter deſumit ea ex Avicenna & Rhaſi: nos in hoc tractatu ſequemur tam hos auctores quam alios Medicos & Chirurgos, qui bene ſcripſerunt de iſta materia: facto initio à cataplaſmatis, à quibus deveniemus ad linimenta & vnctiones. *Remedia ad Guttam calidam.*

Recip. Sumach, plantaginis & ſempervivi maioris ana manipul. j. myrtill. boli armeni ana vnciam j. aca- *Cataplaſma*

cia,

repercussiui pro initio. cie, balaustij. corticum malorum granatorum ana unciam unam semis, coquantur omnia simul & pistentur omnia, postea adde *farina hordei & lentium ana vncias ij. aqua rosarum & plantaginis ana unciam j. olei rosati vnciam j. fiat Cataplasma.* Applicetur hoc iuncturis. Poteris etiam uti eo quod sequitur, cum eiusdem sit virtutis.

Aliud eiusdem facultatis. *Rec. farina hordeacea & fabarum ana vncias iij. olei rosati vncias ij. oxycrati quant. satis, coquantur simul & fiat cataplasma.* Nos tamen id quod sequitur, efficacius putamus.

Aliud efficacius. *Rec. succi sempervivi, lactuca, acetosa, plantaginis, ana uncias ij. nucum cupressi, gallarum viridium, corticis malorum granatorum ana vnciam j. mucilagin. seminis psyllij & cydoniorum ana vncias ij. decoquantur omnia & pinsantur, postea adde olei rosati omphacini vncias iij, albumina ovorum numero ij, aceti quant. sat.* fiat cataplasma. Experti sumus, linimenta multum profuisse in principio Guttæ calidæ. nos quorundam præparationem subijciemus.

Linimentũ. *Rec. succi lactuca & solani ana vncias ij. aquæ rosarum & plantaginis ana vnciam j. albumina ovorum numero iij. agitentur omnia simul & fiat linimentum.* Inungatur eo articulus affectus; quod si quis sequenti vti volet, per me licebit.

Aliud, sed efficacius. *Recip. aque Solani, & plantaginis ana vncias iij. olei rosati omphacini vncias ij. mucilaginis sem. psyllij & cydoniorum extracta in predictis aquis ana vncias ij. fiat linimentum.* Vtere eo ut supra diximus. Denique non sunt contemnenda unguenta, quæ facultate pollent repellenti materiam coniunctam cum Gutta calida.

Vnguentum. *Recipe vnguenti refrigerantis Galeni, & rosati recens dispensati, ana Vncias ij. misce.* Hoc inunge iuncturas ægras. Quod si quis velit medicamentum istud magis reddere repercussiuum, adiungat *vnguenti populeon. vnciam sem.* Hoc tamen quod sequitur in magna apud omnes est existimatione.

Ceratum efficacius. *Rec. Olei rosati vncias iij. Cera alba vncias ij. opij scrup. ij. croci scrup. j.* macerentur opium & crocus in aceto fortissimo, deinde terantur & incorporentur cum cera & oleo, fiat ceratum. Extendatur hoc supra linteum, & applicetur membro dolenti, partibusq; vicinis, sæpiusq; innouetur.

Quod ad remedia, quæ in Guttæ calidæ incremento adhiberi debent, oportet vt ea mixta sint ex repercutientibus & resolutiuis, velut vidimus in Gutta frigida. Eadem igitur huc quoque condicent remedia, quibus tamen ea quæ sequuntur, iungi poterunt.

Cataplasma in morbi incremento. *Rec. foliorum malua manipul. iij. coquantur in aqua & pistentur, tum adde olei rosati vncias ij. aceti vnciam j. fiat cataplasma.* Hoc si applicetur parti affectæ, repellet resoluetq; materiam coniunctam. Quod sequitur in magna est apud practicos existimatione. Sumunt pugillos duos brassicæ rubicundæ, coquuntq; in aqua & aceto, & postquam contriuerunt, addunt duos aut tres vitellos ouorum, olei rosati vncias ij. & farinæ hordeaceæ vncias iij. vnde faciunt cataplasma & parti dolenti applicant. Magni facit Galenus hoc remedium, eoq; frequenter vtitur in podagra calida. Quanquam nec linimentorum vnguentorumq; sequentium exiguus sit vsus.

Linimentũ. *Recip. mucilaginis seminis psyllij vncias ij. farina lini & fœnigreci ana vncias iij. Olei Chamomil. & anethi ana vnc. j. olei rosati vncias ij. fiat linimentum.* Hoc illine iuncturis. Vnguentum, quo de diximus, hoc modo conficitur.

Vnguentũ. *Rec. Olei Chamomili & meliloti ana vncias ij. aloës, myrrha pulverisata ana vnciam j. farina hordei vncias ij. cera quantum satis, fiat vnguentum.* Vngatur eo pars affecta.

Remedia morbi adulti. De remediis quæ morbo adulto, vel, ut loquuntur, cum iam ad statum suum pervenit, conveniunt: diximus, ea debere magis esse resolventia quam repellentia. Nos quidem ea explicuimus satis, cum de Guttæ frigidæ summo gradu diximus, ut inde multa peti possint, quæ etiam calido huic morbo conveniant. Cum autem frequenter materia coniuncta Arthritidi longa sit, & ad resoluendum difficilis, amplius aliquid dicendum est de remedijs resolutiuis, & ijs quidem efficacioribus ac principalioribus secundum doctrinam Guidonis nostri & Medicorum tam vetustiorum quam recentiorum. Dicemus igitur de ijs, quæ ab authoribus inter tariora & maioris virtutis recensentur, cuiusmodi est *succus ebuli mixtus cum oleo rosato*, quantitate utriusque ad duas vel tres vncias, unde fieri potest linimentum ad resolvendam & digerendam materiam coniunctam. Antiquiores longo terum vsu experti sunt, *vnguenta de limacibus, ranis, testudinibus, vulpe, vespertilione*, & id genus alia, magnam vim habere ad resolvendam materiam podagræ coniunctam. Vt autem Chirurgus bis maiore cum prudentia vti possit, dabimus eorum præparandorum modum.

Vnguentum de Limacibus. Igitur vnguentum de Limacibus simplicissime conficitur, coctis ijs in aqua salsa, & collecta pinguedine. Vel etiam, mittantur cum sale in ollam terream, supposita alia olla integra, & *Vnguentum ranarum & testudinum.* illud quod destillat servatur ad vsum. Oleum vero Ranarum & Testudinum conficitur ad hunc modum. Accipe olei de radice cucumeris sylvestris libras duas, olei de maiorana, ceræ, terebinthina, galbano, medullæ cervinæ, uniuscuiusque vncias tres, ranas insuper tres, & sanguinem de duabus testudinibus, balsami drachmas duas. Coquantur ranæ in sanguine testu-

testudineo & permixtis oleis, deinde colentur omnia, & admisceantur cætera ingredientia, fiat vnguentum, cuius magna futura est virtus ad resolvendam & digerendam materiam guttarum coniunctam.

Vnguenti de vulpe confectio describitur per Mesuen hoc modo. Accipe vulpem integram, quam vbi exenteraveris, coque in vase terreo cum aqua salsa, vino & oleo (adiuncta salvia, rorematino, juniperis, origano, anetbo, calamintha, maiorana & centaureo,) idque tam diu, donec aqua & vinum consumta fint, & vulpes percocta, adeo ut caro ab ossibus separetur. Exprimatur deinde per pressorium & coletur, ex hoc liquore fiat vnguentum. *Vnguentum de Vulpe.*

Vnguentum de vespertilione inter Antiquos Rhasis præcipuè laudat in libro suo de morbis iunctuarum cap. XXVI idque conficit hoc modo. Sumit vespertiliones numero septem, conijcit eas in caldarium, infusaque aqua pluviali, coquit ad consumtionem mediæ partis aquæ, deinde percolat decoctum addendo tantundem olei rosati cum summitatibus salicis. deinde iterum coquit, donec quod superest aquæ consumatur, Et ita denuo percolatum unguentum evadat. Potest decoctioni buica addi salvia, rosmarinus, eruca, caulis, fæniculum, cæparum aliquid, & alia, unde unguento maior virtus concilietur. *Vnguentum Vespertilionu.*

Postremo vnguentum è pingui ansere in magna est æstimatione ob vires ad digerendum & resolvendum materiam conjunctam Guttarum, quod vnguentum hoc modo paratur.

Sume anserem præpinguem, aufer omnia eius intestina, inserti vacuum ventrem euphorbio, castoreo & myrrha, è singulis singulas vncias. Adde adipem felis, porci, cuiusque dimidiam vnciam: parietatiæ, jvæ arthriticæ, rutæ, marrubij, absyntbij, origani, calamintbæ, pulegij, salis communis & salis nitri, ana, pugillum j. Infigatur veru, & assetur lento igni: quod inde destillat, servatum redigatur in vnguentum, quo inungantur iunctura ægræ. *Vnguentum anserinum.*

Nunc deinceps dicendum aliquid est de remedijs adversus morbum Ischiaticum, in quo medicamentorum repercutientium usus, ut superius quoque diximus, non probatur, cum hæreat malum in junctura totius corporis profundissima, & verendum sit, ne materia adhuc penitius in ipsam iuncturam impingatur, ipsorum repercutientium vsu, unde plus futurum esset difficultatis & moræ, ad extrahendam eam sive resolvendam. Ob hanc igitur causam solis resolventibus utendum erit, cuiusmodi sunt vnguenta & emplastra supra à nobis adducta, inque primis vesicatoria attrahendæ materiæ ab penitioribus in exteriora apta. Sed en tibi unum. *Remedia contra sciaticam.*

Recipe fermenti veteris vncias ij, Cantharid. dragm. ij. sem. sinapi, staphisagriæ ana drag. iij. malaxentur cum aceto fortissimo, & fiat vesicatorium. Applicetur hoc iuncturæ ossis Ischij. Poterit huic vesicatorio etiam addi *thapsiæ, dragm. iij. stercoris columbini, & nidi hirundin. ana vnciam semis.* Cæterum in vesicatorijs hoc observandum est, ut in eorum usu cataplasmata, emplastra & vngnenta resolutiva prius applicentur supra iuncturam, ut humor peccans è profundo in superficiem extractus, melius præparetur & disponatur ad evacuationem manifestam, quæ fit per vesicatoria. Deinde, ut vlcera per vesiculas facta, quas vesicatorium attraxit, diu teneantur aperta, ut paulatim trahatur & evacuetur humor coniunctus ex parte. Sed & non parum ad rem facient Ventosæ majores, applicatæ cum grandi flamma: trahunt enim materiam foras. *Vesicatoriũ.* *Ventosæ.*

Quod si adhibitis his omnibus remedijs infelix podagricus nihil sentiat levaminis, suadet Hippocrates, ad extrema remedia deveniendum, nempe ad cauteria, & speciatim quidem in Ischiatico morbo. Si enim (ut idem auctor ait) diuturnior hic nectatur mora, verendum est, ne ipsum tempus longius correptum totum femur ad tabem & siccitatem perducat: quod ubi fit, perpetua sequitur claudicatio, ossis capite extra acetabulum suum laxato. Ad eum igitur modum applicandæ sunt cauteria potentialia, vel etiam actualia, si ea æger admittere velit, circum iuncturam ossis Ischion dicti, dandaque opera, ut ea in ipsam carnem ingrediantur ad transversi digiti profunditatem vel circiter, prout æger macilentus est aut obesus, ea tamen cautione adhibita, ne lædatur contactus aliquis nervus. Quod si magis placet, applicentur ea ipsa remedia quatuor digitis vel circiter infra genu ad latus veræ Cruralis. Oportet autem etiam vlcera diu apetra tenere, ut pateat exitus materiæ coniunctæ, quæ tam diu in affecta parte retenta fuit, Habes, lector, remedia, quibus utitur Medicus, dum intentus est in curationem Guttæ præsentis, dum nititur repellere & dissolvere materiam coniunctam articularis morbi. *Cauteriorũ vsus.* *Hippocrat. Aphoris 60. sect. 9.*

Quartum, in quod intentum habet Medicus animum oculumque, est correctio accidentium. Perficitur autem hæc duplici remediorum genere, cum ipsa accidentia, quæ morbum articularem usitata ratione comitantur, duo sint: dolor & durities juncturarum. Igitur dolorem sedant mitigantque duo remediorum genera, resolventia & evaporantia, quæ tollunt & evacuant causam illius, sedantque dolorem temperata sua qualitate, unde etiam nomen invenerunt, ut dicantur Anodyna. Narcoticorum remediorum usus etiam mitigat dolorem, non evacuando tamen causam, sed obtundendo & stupefaciendo partes, ne sentiatur tristis & odiosa naturæ molestia. Cum autem satis copiosè de remedijs resolventibus tam in frigi- *Quarta intentio correctio accidentium.* *Doloris sedatio.*

Cautela. da quam calida Arthritide locuti fuerimus: ad narcotica deveniemus. Quia verò res est periculi plena solis uti narcoticis, consultum erit secundum doctrinam Guidonis nostri, adeoque omnium prudentum Medicorum & Chirurgorum, miscere ea cum resolutivis, in quem finem faciemus hoc cataplasma, quod nobis proposuit Guido, secutus doctrinam Galeni, Rhasis & Avicennæ.

Cataplasma narcoticum. *Recipe micæ panis albissimi lib. 1. decoquatur in lacte vaccino aut caprino, & pistetur, postea adde olei rosati Omphacini Vncias iij opij dragm. j. Croci dragm. semis, vitellos ovorum numero ij. fiat cataplasma.* Applicetur iuncturæ dolenti Ad sedandum dolorem magnam insuper habet efficaciam linimentum hoc.

Linimentum. *Recipe capita papaverum alborum numero* iiij. *florum hyoscyami manipul. sem. foliorum sempervivi solani ana manipul.* j. *fiat omnium decoctio in aqua communi. Post adde mucilag. sem. psyllij & Cydoniorum ana vnciam sem. croci scrup. ij. opij drag. semis. fiat ad instar linimenti. Inunge eo partem dolentem.* Ad mitigandos porro Podagræ dolores vnguentum quod sequitur, appositissimum habetur.

Vnguentum. *Recipe Cassiæ recenter mundatæ vncias* iij. *mucilagin. seminis psyllij vncias* ij. *olei rosati Omphacini vncias* iiij. *Rasuræ cucurbitæ recentis vnciam* j. *croci dragm.* j. *misceantur ut fiat vnguentum.* Hoc vngatur pars affecta, velut diximus, bis vel ter in die. Non desunt qui magnis eveh unt laudibus ranas vivas, si scisso per medium ventre apponantur partibus à dolore correptis. Quidam experientia ipsa didicere, mucosam illam aquam, quæ ab rubris limacibus prodit, parti dolenti illitam, mitigare cum dolorem tum inflammationem. Paratur autem aqua illa ad eum, qui sequitur, modum.

Accipe circiter quinquaginta limaces rubeas, easque inde ollæ cupreæ adiecto sale communi, relinque ita per spacium unius diei, cola deinde per linteum, & in illa colatura intinge panniculos, articulisque affectis impone, ita, ut sæpius mutes epithemata. Quod si inflammatio magna est, sine vt bulliant limaces in aceto & aqua rosarum. Testatur Ambrosius Pareus, magnam esse huius medicamenti virtutem, quod ipse experientia magistra didicerit, non semel. Faciunt & Cataplasma è pomis, cuius magnam vim prædicant ad sedandos dolores, quod quidem tale est.

Cataplasma è pomis. Accipe poma semiputrida vel etiam leuiter cocta, tria vel quatuor mucilaginis seminis cydoniorum & psyllij, cuiusque vnciam vnam cum dimidia, aquæ rosarum & plantaginis, cuiusque vncias ij. confunde & misce omnia hæc exacte, & fac cataplasma, ad eum vsum quem supra diximus. Caseus recens probe mistus cum oleo rosato & farina hordeacea, vel potius cum sola aqua rosarum, optime sedare creditur dolorem & inflammationem Guttæ. Idem præstant folia & radices ebuli cum floribus hyoscyami, coctis in aqua communi, contundantur omnia & apponantur parti dolenti. Eiusdem virtutis est oleum Ebuli extractum per quintam essentiam. Tradunt Hippocrates & Galenus, aquam frigidam magna quantitate supra iuncturas effusam, tollere dolorem, siquidem non adsit vlcus. Quanquam hoc de arthritide calida & sanguinea capiendum est, vt Galenus exponit in commentario: tunc enim aqua frigida duplici ratione prodest. Primo, quod repellit humores calidos & subtiles, & ita mitigat dolores: deinde, quod frigiditas aquæ mediocrem stuporem affert parti affectæ, obtusos reddendo sensus, Et hoc quidem tale est. Nos vero vnum & velut supremum hoc quod sequitur apponemus.

Aphor. 25. sect. 5.

Recipe Vnguenti populeon. Vnciam semis. Opij thebaici scrupulos ij. misce. Vnge hoc partes dolentes sedato dolore, vide vt auferas vnguentum è vestigio.

De duritie Iuncturarũ. Alterum accidens, quod fere Arthritidem comitatur, est durities iuncturarum: quæ quamuis non possit curari aut tolli omnino, vt Guido ait secutus Ouidium dicentem,

Soluere nodosam nescit medicina podagram:

Emendari tamen potest atq; corrigi remediis emollientibus & solutiuis domesticis, vt Guido loquitur, id est, benignis & mediocribus, quibus inest calor moderatus coniunctus cum humiditate. Videndum est etiam atq; etiam in vsu resoluentium, ne fiut nimis vehementia, quod per ea partes subtiliores & tenuiores resoluantur ac dissipentur, crassius autem remaneat & in lapidem conuertatur, siue vt loquuntur putrefiat, vnde tophi & nodi densantur & vlterius exsiccantur. Huic fini nos vtimur Cataplasmatis & fomentationibus ex herbis emollientibus & nerualibus, coctis cum interaneis pedibus & capitibus arietum, vel aliorum animalium.

Remedia ad duritiem iuncturarũ. *Recipe radicis altheæ & liliorum ana vnciam* j. *radicis bryoniæ & cucumeris agrestis ana vncias ij. corticis ligni Guaiaci vncias ij. florum violarum, Chamomil. meliloti ana pugill.* j. *fol. maluarum, violarum, calamint. origan. ana manipul.* j. *sem. maluæ vnciam semis: fiat omnium decoctio* in duabus partibus iuris de intestinis & pedibus arietinis, & vna parte olei communis. Hoc fometur articulus nodo induratus mane & vesperi. Habet autem & Cataplasma sequens magnas ad hanc rem virtutes.

Recip. rad. alth. liliorum bryoniæ ana vncias iij. *malvarum, violarum ana manipul.* ij, *decoquantur ſimul & piſtentur, poſtmodum adde olei liliorum & Chamoml. ana vncias* ij. *hermodactylorum ſubtiliter pulveriſat. vnciam* j. *fiat Cataplaſma.*

Vnguenta illa, quorum ſupra mentionem fecimus, intellige de Vulpe, de teſtudine, de anſere, magnarum ſunt virtutum, ad emolliendum juncturas, nec minus pinguedo piſcium commendatur, quod fortiter emolliat, inprimis autem mugilum.

Nos tamen remedijs præcedentibus adiungemus adhuc vnguenta ſequentia, quibus magna tribuitur virtus ad emolliendum & moderate reſolvendum rophos nodosque podagricos.

Vnguenta ad Nodos.

Recipe axung. anſerinæ & gallinæ ana vncias ij. *medullæ cruris vituli vnciam ſemis, terebinth. venet. drag.* vj. *olei vulpini & liliorum ana vnciam* j. *ſemis, ceræ quant. ſatis. fiat vnguentum.* Aliud.

Aliud.

Rec. Maſſe emplaſt. de mucilag. & de meliloto ana ancias ij. *maſſæ emplaſt. diachylon maior. vnciam* j. *medullæ. cervi & axung. vrſi ana vnciam* j. *ſemis. mucilag. ſeminis pſyllij althee & fænugræci ana vnciam* j. *malaxentur cum oleo lumbricorum vel liliaceo, fiat maſſa.* conficiatur inde emplaſtrum, & applicetur ut dictum eſt.

Galenus multum tribuit emplaſtro cuidam è caſeo admodum veteri, cocto cum jure pernæ ſuillæ ſalitæ, aitque hoc magnarum virium eſſe, ad diſſolvendas nodoſitates, quin & rumpere cutem, & attrahere lapillos gypſeos, ſimulque emollire duritiem iuncturarum, quæ omnia ſe non ſemel expertum dicit. Id igitur emplaſtrum hoc modo confici poterit.

Emplaſtrum Galeni de caſeo.

Accipe tres aut quatuor pedes porcinos bene ſalitos, vel etiam pernam, coque eos cum radicibus biſmalvæ, bryoniæ & liliorum, cuiusque ad manipulum vnum. percolatis deinde his omnibus adiunge pinguedinem anſeris & medullam cervi, uniuscuiusque vnciæ duas, caſeumque vnum ſatis veterem, fac emplaſtrum ad vſum.

Poſtremo, cum vſus fueris emollientibus, fac evaporationem cum lapide Pyrite, vel etiam cum latere cocto, in quem iuſperge de optimo aceto & aqua vitæ. Hi vapores reſolvunt, incidunt, ſubtiliant rumpuntque materiam gypſeam & induratam. Et hæc ſunt illa remedia, per quæ prima pars curationis morbi articularis abſolvitur perficiturque, quæ, uti diximus, conſiſtit in auferendo & profligando morbum præſentem, qui torquet ægrum: deinceps dicemus, quo pacto is, qui podagricis doloribus obnoxius eſt, ab eo morbo, præſervari poſſit, quæ ſecunda pars eſt curationis Arthritidis, ut in ſuperioribus meminimus.

DE PRÆSERVATIONE A MORBO ARTICVLARI.

Scopus præſervationis à Podagra vnus.

PRæſervatio à morbo articulari, quam Guido noſter appellat Regimen præſervativum, non niſi unum ſcopum ſibi propoſitum haber, qui eſt, *cauſam arthritidis amputare*, quæ cauſa duplex eſt: defluxio humorum, & debilitas juncturarum. Vt autem impediat humorum defluxum Medicus, in hæc duo intentum habet animum: primum eſt, ut impediat, ne materia aliqua ſuperflua aut humor vicioſus intra corpus generetur: ſecundum, ut humores eiuſmodi, ſi iam generati ſint, expellantur & evacuentur, cum ſint materia antecedens Guttæ. Prima intentio Medici, quæ eſt impedire generationem materiæ ſuperfluæ, conſiſtit in legitima ac ordinata ratione vivendi, ſive recta adminiſtratione ſex rerum non naturalium. Eſt autem Diæta præſervativa prope ſimilis Diætæ curativæ, de qua poſteriore cum ſuperius prolixe diſſeruerimus, poſſumus jam, vbi de præſervativa dicemus, eſſe breviores.

Regimen vitæ quale eſſe debeat.

Aëris conſtitutio.

Ad impediendam igitur recidivam podagræ, fugiendus primum omnium eſt aër frigidus, cum is humores exprimat, & capitalis hoſtis ſit iuncturarum. Cavebit etiam æger, ne caput vel cerebrum exponat ſoli nimis calido aut cælo ſereno, ne ille quidem liquefaciat aut extenuet, alterum vero cogat comprimatque humiditates cerebri, ut coactæ quaſi defluant in juncturas. Vitandus itidem eſt aër ventoſus, pluvioſus, nebuloſus, & vaporibus denſus: hyemis tempore cubiculo ſuo ne exeat, niſi orto jam Sole & diſſiparis vaporibus nocturnis: neque æſtate prodeat circa meridiem, Sole aſſo, cum caletur maximè.

Ciborum obſeruatio.

Quod ad cibos attinet, duo hic conſideranda ſunt: eorum quantitas & qualitas. In quantitate quædam regulæ generales obſeruandæ veniunt. I. Vt ſobrie viuat, nec vnquam impleatur cibis, id eſt, vt minus comedat quam ſolebat, neque vſque ad ſatietatem, ſed vt de menſa cum aliquo adhuc appetitu edendi ſurgat, quo ventriculus melius poſſit alimentum digerere & conſumere cruditates. II. Ne nimis diu ſit jejunus, alioquin futurum eſt, vt ſtomachus vacuus attrahat humores ab omnibus partibus, iiſque ſe repleat, quod ſi fiat, mouebit Natura aliquam defluxionem. III. Cœna ſit leuior quam prandium. IV. Intercedant quinque vel ſex horæ, non pauciores, inter prandium & cænam. Nihil enim eſt, quod adeo interturbet digeſtionem, quam cibos ſuperingerere cibis, & manducare, cum prioris cibi nondum ſit facta concoctio, perfectaq; digeſtio. Quales cibi eſſe debeant, multum refert, ſcilicet vt ſint boni ſucci bonæque nutritionis, facilisque inſuper digeſtionis. Primùm igitur panis ſit ex optima farina triticea, bene ſubactus, fermentatus coctuſque, qui dum depſitur ſubi-

Quales debeant eſſe cibi.

giturq;, inspergendum aliquantum est massæ anisi viridis. Carnium is habeatur delectus, vt vitet nimis humidas, quales sunt agninæ, caprinæ, porcinæ & similes, quæ ratione superfluæ humiditatis ægris omnino aduersæ sunt. Meliores sunt vervecinæ, vitulinæ, gallinarum pullorumq; ac caponum, perdicum, rusticularum, columbarum & auicularum, quæ in saltibus ac montanis victitant: hæ tamen omnes magis conducent assæ quam elixæ, inprimis si æger sit temperamenti phlegmatici: quod si verò sit cholericus aut melancholicus, poterunt elixari cum cichorea, petroselino, endiuia, borragine, pimpinella, aut aliis herbis diureticis, quæ refrigerant simulque purgant corpora podagricorum per vrinas. Hyeme satis erit addidisse aliquantum Hyssopi, saluiæ aut thymi. Notandum tamen hic est, nimium iusculentorum vsum esse noxium, sufficeritq; ea quandoq; mane sumsisse, Vesperi autem nunquam. Pisces in vniuersum cauebit, exceptis iis; quibus est caro durior. Lac est inimicum cerebro & neruis: abstinendum erit ab omnibus cibis acribus, salsis, aromatibus; conditis, venrosis crudisq;. Inter aromata solum cinnamomi (vt habemus) & nucis myristicæ vsum permiserim. Caseus nullus hîc vsus est. Non erit abs re, quandoq; pro iure vsurpare ptisanarium hordei mundati vel orizæ, cum incrassent sanguinem, & inspissent defluxiones subtiles. Oua sorbilia bona sunt, ab herbis crudis, lactucis & acetariis abstinere velim, sola excepta cichorea, pimpinella & portulaca. Fructus crudi omnino aduersantur podagricis, è quorum numero tamen eximo pruna subacida, sorba, mespila, vuas Damascenas: poma, pyra, cydonia admiserim, sed cocta. Optimè faciet si cauerit sibi ab Castaneis, nucibus, scolymo, allio, cepis, rapis. In die non nisi bis cibum capiat, idq; sobriè, adsuefaciens se, ne vesperi bibat, neque interdiu post prandium.

Potus ratio. In potu, abstineat à vino quantum potest, si id facere nolit, vtatur diluto duabus vel tribus horis, antequam bibatur. Vina violenta & fortia, qualia sunt quæ ab Hippocrate denominantur, vt & Creterense, muschatum siue Apianum, rubellum, album subtile & fumosum, ceu hostes fugiat, sunt enim inimica cerebro & neruis, quanquam per accidens.

Somni. Somnus longior in primis de die, implet cerebrum, multumq; generat excrementorum. Vigiliæ nimiæ perdunt atque dissipant spiritus, mediocritas igitur obseruanda, nec statim à prandio vel cæna dormiendum erit, sed tribus horis post.

Exercitium. Exercitium moderatum insigniter prodest, quod non solum consumat superfluitates, verum etiam fortificet juncturas, &, vt Hippocrates ait in Epidem. *seruit pro alimento juncturis.* Deficiente autem exercitio vniuersali, ad particularia deueniendum est, cuiusmodi sunt leues frictiones coxarum, femorum, scapularum, brachiorum: mane caput mundare proderit, Omne exercitium violentum Podagrico contrarium est, relaxat enim & debilitat partes. Obseruatum etiam est, suspensionem crurum non semel causam podagræ extitisse: notauit huius rei historiam Hippocrates de Scythis, qui equitabant sine pedum sustentaculis, eaque de causa maxima ex parte erant podagra correpti.

Libro de aëre & aquis part. 50.

Excrementa. Super omnia autem annitendum est, vt venter ab excrementis vacuetur, vtq; aluus laxa sit, quod obtineri potest jure prunorum, vel clystere aliquo lenitino. Pathemata vel affectus omnes animi fugere conuenit, quia his moueri homo & alterari celeriter potest, vt fit in ira & tristitia, similibusque. Cumq; morbo articulari nihil magis aduersetur quam vsus rerum Venerearum, abstinendum ab eo penitus esse judicamus.

Secundus scopus præseruationis est euacuatio. Alterum, quod sibi propositum habet Medicus ad impediendum defluxum & præseruandum à podagra, consistit in euacuatione materiæ, quæ jam generata est. In ista autem euacuatione complures res consideratione dignæ nobis occurrunt: natura vel qualitas humoris; tempus; ætas; regio. Et ratione qualitatis quidem, si sanguis dominetur, habemus venæ sectiones, quæ optimum sunt pro plethoricis remedium. Tempus autem quod venæ sectionibus optimè conuenit, secundum Hippocratem & Galenum, est ver & Auctumnus, quibus anni tempestatibus etiam podagræ dominantur frequentius. Quæritur autem ex qua vena potissimum sit mittendus sanguis? Respondet Galenus dicitque, si morbus iste omnes inuadat juncturas, posse elici sanguinem ex omnibus corporis venis, siquidem sanguis abundanter profluat. Nobis tamen videtur magis expedire, si aperiatur Basilica, quod illa (teste ipso Galeno) euacuet omnes partes nobiliores. Si Arthritis occupat partes superiores vel inferiores, secanda est vena in parte directè opposita secundum longitudinem. Imperat Hippocrates Aphorismo vigesimo secundo sectionis quintæ libri sexti Epidem. vt in dolore juncturarum, qui occupat partes inferiores, secetur vena circa auriculas. Idem Auctor in libro de aëre, locis & aquis adducit exemplum Scytharum, quibus vsitatum fuerit torqueri podagræ specie, quæ dicitur Ischiatica: cui malo vt remedium afferrent, solitos eos fuisse aperire venas, quæ sunt retro auriculam, vnde plerique facti fuerint ad generandum inepti: Sunt autem hi ramuli venientes à vena iugulari externa.

Vena sectio vbi facienda.

Vomitus quando vtilis. Quod si cæteri humores dominentur, conuenientius remedium non est quam purgatio. Purgamus autem ægros vel per vomitum, vel per deiectionem. Vomitus conuenit Guttæ,

quæ

quæ juncturas in partibus inferioribus occupat: fluxus ventris, superioribus, pro reuulsione. Facienda autem est purgatio pro ratione humoris peccantis: si enim phlegma, purgandum est cum phlegmagogo: si bilis, cum Cholagogo. Laudantur inprimis vt præsens remedinm ad præseruationem à morbo articulari pilulæ vsitatæ factæ cum Aloë, Agarico & Rhabarbaro sine diagridio, si eæ quot septimanis bis sumantur. *Nota.*

Altera causa est imbecillitas juncturarum, ideoq; hic est secundus Medici scopus, vt eas confirmet roboretq;. Primo amputatis omnibus, quæ eas debilitate possunt: deinde applicatis remediis Topicis supra juncturas, cuius generis sunt fomentationes, linimenta & emplastra. Fomentationes fiunt cum absynthio, summitatibus myrti, lentisci, foliis Chamæpytis, aliâs iuæ arthetícæ, gallis, nucibus cupressi, acacia, hypocystide; quibus poterit addi parum nucis moschatæ & caryophyllorum, vt omnia simul coquantur in bono vino rubro stiptico. Olea quæ huc faciunt, sunt, de nardo, absynthio, myrtillis, & quinta essentia ceræ, quam vulgo S. Iacobi oleum vocant. Exemplastris probantur maximè mastichinum, quod & singulare est. Nos vtimut emplastro valde apposito, facto è partibus æqualibus picis, resinæ, mastichis & ceræ. *Imbecillitas juncturarum quomodo curanda.*

Andreæ Laurentii Annotationum in Guidonis de Cauliaco tractatum de Morbo Articulari

FINIS.





ANDREÆ LAVRENTII, CONSILIARII ET ARCHIATRI REGII

In Caput secundum Tractatus septimi Guidonis de Cauliaco, vbi agit de Lepra eiusq; cura,

ANNOTATIONES.

CAPVT I.

De Lepra.

Lepra morbus horribilis.



NTER omnes morbos, qui corpus humanum corripiunt affliguntq;, nullus est tetrior, magisve metuendus & deplorandus, quam *Lepra*, quæ ideo à quibusdam *mors ciuilis* appellatur, quod qui ea infectus est, ab omni societate & frequentia hominum separatus, velut pro mortuo habetur, vt vix hominis nomine dignus judicetur, cum, si Philosophorum præstantissimo credimus, Homo sit animal Politicum & Sociabile. Verum prope omnium de hoc malo fuit sententia, esse pœnam diuinam, postquam Leprosi antiquis legibus in maledictorum numero habiti, & ab omni populi congregatione procul facessere iussi sunt. Fuit autem hic morbus in Ægypto, Iudæa & Alexandria quam alibi frequentior: Italis vero ignotus vsq; ad tempora Cn. Pompeij Magni, vt Plinius scriptum reliquit. Constat etiam Hippocratis æuo paucissimos fuisse Leprosos, videturque vix verisimile, vllum vnquam ab Hippocrate visum, siue ob optimam aëris & regionis, in qua is vixit, constitutionem & temperamentum, siue ob moderatam viuendi rationem, illius seculi hominibus familiarem. At nostra tempestate malum istud nimis frequens est per Europam, ob immoderatum rerum etiam licitarum vsum, ob neglectam directam & viuendi rationem, & quod aliquando lues Venerea non satis exquisita curata est.

Vbi frequentior.
Italia olim incognitus.
Nostro æuo communis per Europam.

CAPVT II.

Quibus nominibus appelletur morbus iste.

Lepræ nomina varia.

VAria huius morbi apud scriptores leguntur nomina, dicitur enim *Elephantiasis, Leontiasis, Satyriasis, Morbus Herculeus, Cancer vniuersalis.* Apud Græcos frequentior est appellatio *Elephantiasis*, ab Elephante animali, quo cum multa habet communia, vt eleganter obseruauit Aretæus. Sicut enim Elephas animal est mole vasta corporis, hispidum horridumque præ cæteris quadrupedibus, tuberibus rugisque plenum, corio tectum nigro, duro, aspero, inæquali, striato & rugoso: ita Lepra est morbus horribilior cæteris omnibus, totum corpus hominis corrumpens, cutem efficiens nigram, duram, inæqualem, tuberibus ac rugis plenam. Hic non est omittenda admonitio, vocabulum *Elephantiasis* esse ambiguum, & alia notatione accipiendum in doctrina Medicorum Græcorum quam Arabum. Nam apud Auicennam *Elephas* siue *Elephantiasis* nequaquam significat lepram, sed tumorem quendam particularem crurum, factum ortumque ex dilatatione venarum, postquam eæ melancholicis plenæ humoribus distendnntur. Apud Galenum autem, Paulum, Actuarium omnesque adeo Græcos nihil aliud est quam Lepra. Hanc enim proprio suo nomine appellant Arabes *Lepram*, quamuis hæc dictio Græca sit. Sic & in sacris litteris hæc vox (*Elephantiasis*) nunquam reperitur, sed solum Lepræ vocabulum. Non negauerim interim, vocabulum *Lepræ* æque esse ambiguum apud Græcos, ac vocem *Elephantiasis*, quibus hæc posterior vox nihil aliud significat, quam verbum

Lib. 2. ad Glauconem.
Lib. 11. simpl. med.

Lepræ

Lepra.

Lepra apud Arabas. Apud Hippocratem, Galenum, Paulum, est Lepra affectus particularis cutis, qui propriè definiri potest, Asperitas cutis cum pruritu, orta vel ex humore adusto, vel ex pituita salsa: estque hæc *Albara Nigra* Avicennæ, & *Impetigo* Celsi. Placet nonnullis vocabulum Lepræ derivare ἀπὸ τῆς λεπίδος, id est, à squamis, quod cutis sine intermissione lentigines ac squamulas quasdam gignat. Alij deducunt à verbo λεπτύνομαι, quod est dealbare vel dealbari. Scribit Galenus libro II. de simplicibus, Lepram degenerare posse in Elephantiasin; & alibi dicit: posse Elephantiasin mitescere & in lepram converti, Est igitur Lepra apud Galenum non plane idem cum Elephantiasi. Fatemur, unam eandemque vtriusque esse materiam, nempe Humorem adustum: in subiecto tamen est differentia.

Lepra enim tantum cutis est affectio: Elephantiasis etiam carnis. Si igitur humor peccans deserta carne in cutim se recipit, dicimus Elephantiasin degenerare in Lepram: si contrario modo humor è cute in subiectam carnem irrepat, Lepra degenerabit in Elephantiasin.

Apud Arabas Medicos Lepra semper Lepra est, & ut uno verbo nodum solvamus, Lepra Arabum est Elephantiasis Græcorum.

Leontiasis.

Dicitur etiam quibusdam *Leontiasis*, quasi dicas *Morbum Leoninum*. quod Leprosorum facies fere rubescat, & caperata fronte triste quod intueantur, ut Leo rugiens: vel etiam, quod oculi eorum scintillantes, radiantesque rubescere videantur, & oculis Leonimis similes esse.

Satyriasis.

Invenimus etiam aliquibus hunc morbum Satyriasin dici, quod qui eo teneantur, virile membrum semper tensum rectumque habeant, cum pruritu incredibili & cupiditate congressus Venerei. Videntur autem hoc nomen à Satyris mutuasse, quos & veteres Poëtæ & statuatij semper pene rigido finxerunt.

Cancer universalis.

Aegineta vocat Cancrum vniversalem, quod totum corpus occupet, negatque Archigenes, scriptor hîc quidem audiendus, eos rectè sentire, qui existiment, tunc primum hunc morbum generari, cum pustulæ & tumores in cute apparere incipiunt, quinimo tunc perfectum esse: unde fieri ait, ut cura eius difficilima sit, quod sub initium, quod occultum latensque est, repressus non fuerit, sed prius internas partes occupet, antequam se exterius prodat, quod tanta fit cum vi, ut iam deinceps superari non possit. Humorem enim viciosum, qui tunc generatur, malignitatem suam acquirere, non in superficie Corporis, sed concipi foverique in visceribus penitissimisque intestinis.

Morbus Herculeus.

Postremò fuerunt quidam ex antiquis, qui morbum Herculeum nominavere, quod sit nocentior & violentior cæteris prope morbis omnibus, contumax, medicamentis rebellis, nec alio quam Herculeo robore expugnandus.

CAPUT III.

Quid sit Lepra.

Definitio Lepræ quà Symptoma.

Consideratur hic affectus duplici modo. aut enim est Symptoma, aut est morbus. Vnde consequens est, duplicem dari posse definitionem. Si Lepram ut Accidens consideramus, ita definire possumus: *Esse errorem facultatis assimilatricis, per quam ipsa partium forma corrumpatur.* Ex hac definitione cuivis planum fit, Lepram esse actionem læsam, neque animalem neque vitalem, sed naturalem, & eam quidem nutritivam, cui servinnt usitato more attractio, retentio, concoctio, assimilatio & expulsio. Est autem hæc læsio depravata duntaxat, non omnino perdita: partes enim, pro eo quod debebant, assimilare & convertere alimentum in bonam carnem, coloris & substantiæ laudabilis, convertunt id in carnem albam, aut nigram calculosam.

Accidit autem error iste non in tertia solum concoctione, sed etiam in secunda, quæ vocatur sanguificatio. Nam Epar quod debebat excoquere sanguinem bonum & laudabilem, generat adustum, fæculentum & Melancholium, qui vbi per omnes partes distributus est, non potest, obstante earum imbecillitate vel temperamento frigido & sicco, bene assimilari. Et hoc ipsum est, cur Auctor noster Avicennæ subscribens causam mediatam Lepræ statuat errorem Eparis.

Lepra quà morbus.

Cum autem omne Symptoma immediatè à morbo dependeat, ut effectus à sua causa, & vmbra à Corpore: & vero error facultatis assimilatricis sit Accidens, actio, inquam, oblæsa, considerandum est, à quo morbo dependeat. postea quà tenda Lepræ definitio.

Opinio Fernelij.

Fernelius, Medicus nostri temporis non inglorius, arbitratur, Lepram esse morbum totius substantiæ, occultum, malignum & contagiosum, qui reddat cutem similem corio Elephantino. Appellat eam *Morbum totius supstantiæ*, quod destruat formam & materiam omnium partium. *Occultum*, quod longo tempore in occulto lateat, neque se in pelle manifestet, antequam omnia interiora corruperit, quodque causa eius sit admodum occulta, & remedia adversum eum occulta quadam & spirifica vi agant. *Malignum* dicit & *contagiosum*, quod hoc malum non semper nobiscum generetur aut nascatur, sed sæpius communicetur, prout hu-

mor,

mot causa mali, putrefactus acquirit venenosam quandam proprietatem, quæ porro contagionis & propagationis causa est. Hæc quidem est sententia Fernelij.

Improbatur. Sed, ut verum dicamus, hæc definitio à nostris non recipitur, quod dudum omnes morbi Formæ è nostra schola succillati eliminatique sint. Sicut enim in Parte Similari una tantum est sanitas, quæ est bona crasis sive temperatura: ita non nisi unus morbus est, nempe discrasia sive vicium temperamenti. Paulus quidem, & post eum Avicenna definiunt Lepram Cancrum universalem, Tumorem universalem, ortum ab humore adusto & melancholico: Unde consequens erit, tria generà esse Lepræ, quà morbus est: Intemperaturam, Malam conformationem & solutionem continui. Intemperatura duplex est: una, Epatis calidi, unde aduritur sanguis: altera partium, quæ sunt æqualiter frigidæ & siccæ. Hinc sequitur errorem assimilationis venire tam à vicio alimenti, quam malo temperamento partium.

Mala Conformatio consistit in quantitate augmentata, & figura partium viciata per tumores, nodos, scabiem. Postremo Solutio continui apparet in rimis, ulceribus & similibus.

VIRTUS DIGESTIVA ERRAT IN DISTRIBUENDO.

IN omni concoctione primas obtinet materia: deinde eius præparatio, hinc attractio, deinceps unio & assimilatio. Si vitium sit in Materia, ut sanguis non per omnia distribuatur, sequetur Hectica, id est, extenuatio & macies totius corporis. Observavit Galenus, quod & experientia nobis ostendit, omnes eos, qui ulcus habent in pulmonibus, fieri tabidos, quod ulcus instar lupi rapiat, ab ligurire devoretque omnem sanguinem, qui proximè est circa cor, unde partes illæ velut ad pauperiem redactæ gracilescunt. Rursum si sanguis distributus & à membro attractus, non possit uniri aut agglutinari parti, propter causam frigidam, evadet Hydropicus, quod potissima pars sanguinis extra vasa sua constituta, uniri assimilarique membro non possit, unde replero quidquid est inter carnem spacio, tumorem creat universalem, & eam Hydropis speciem, quæ Medicis *Anasarca* & *Hyposarca* vocatur. Si denique vicium & depravatio sit in assimilatione, ut loco carnis naturalis, qui suo sit præditus colore & substantia, generetur massa carnea sabulosa & nigra: si hoc in toto corpore fiat, Lepra erit: si in parte aliqua, Cancer.

Cur exulcerati pulmones tabem inducant.

Causa Anasarca.

AEQUALIS & DIVERSA.

Intemperatura æqualis quæ sit. INtemperatura æqualis, ut à Galeno describitur, est, cum omnes partes æqualiter alteratæ sunt in calore, frigore, humiditate & siccitate. Aequalitas autem illa non est intelligenda in eodem gradu, cum fieri non possit, ut omnes partes corporis ad eundem caloris perveniant gradum, cum diversi sint temperamenti. Sic venæ, arteriæ, nervi, cum sint partes frigidæ, ad calorem cordis adscendere non possunt. Intelligenda igitur est æqualitas alterationis proportionatæ, ut si cor uno gradu magis solito incalescat, cæteræ partes pariter uno caloris gradu augeantur. Potest autem intemperatura illa esse vel universalis, ut in Febre Hectica: vel particularis, velut in Gangræna. Iudicat hanc Galenus planè incurabilem, cum sit alienatio temperamenti totalis, ubi nihil sani relinquitur. Est autem Axioma Aristotelis, sanitatem nisi à sanitate provenire non posse, nec à privatione ad habitum dari progressum.

Universalis & particularis.

Intemperies inæqualis. Intemperies Inæqualis est, cum partes inæqualiter sunt alteratæ, estque duplex, universalis & particularis. Universalis calida, ut in Febri spiritosa & humorali: Universalis frigida, ut in Hydrope incipiente. Mixta ex calida & frigida, in diversis partibus, velut in Febre ardente; in iisdem partibus, sicut in Febre, quam Galenus vocat Epialam. Intemperies inæqualis particularis calida, in phlegmone: frigida in œdemate. Appellat autem noster auctor lepram intemperiem æqualem & inæqualem, cum de diversis agat. Si in universum leprosorum corpora consideraveris, invenies inæqualiter intemperata, ubi partes quædam excedunt in calore, velut Epar: aliæ in frigore, ut partes solidæ, quæ refrigeratæ sunt & exsiccatæ in tota habitudine. Si vero consideretur solummodo in partibus solidis, inveniemus in Lepra esse intemperiem æqualem, quod ea æqualiter refrigerentur & exsiccentur.

CAPUT IV.

De speciebus & differentijs Lepræ.

Unde sumantur differentiæ lepræ. SUmuntur hæ à materia & accidentibus. Materia est humor adustus, alias atrabiliarius dictus. Galenus facit huius duas species: una, quæ fit ab humore melancholico naturali, qui aduritur: altera ex bile flava adusta, & nigrescente, qui humor furiosior est, & habet, (ut Galenus loquitur) tria domari nescia: acrimoniam, erosionem, fermentationem, id est, facit ut sese invicem aperiant partes, instar fermenti & aceti. Existimat Avicenna, omnes humores aduri posse, facitque quatuor species humoris Atrabiliarij. Prima consistit in adusto sanguine, secunda in adusta bile: tertia in pituita salsa nimis percalefacta: quarta in humore melancho-

lancholico naturali combusto. Guido noster secutus Arabes agnoscit quatuor species humoris Atrabiliarij, vnde & quatuor species Lepræ deriuat, ratione materiæ: Leoninam, ex bile: Alopeciam, ex sanguine: Serpentinam ex phlegmate: Elephantinam ex Melancholia. Lepræ species ea quæ Alba appellatur fit ex phlegmate salso. Ab accidentibus desumuntur complures differentiæ: est lepra vlcerata & non vlcerata: cum aut sine corruptione ossium: recens & inueterata: nigra vel alba, &c. *Quatuor differentiæ Lepræ.*

CAPVT V.

De causis Elephantiasis seu Lepræ.

CAusæ Lepræ, ut & aliorum morborum, sunt primitivæ, Antecedentes, Coniunctæ. Primitivæ aut evidentes sunt, mala Diæta, sive error in sex rebus non Naturalibus. Aër enim crassus & nebulosus nimis excalfactus potis est generare Lepram, unde ij, qui in locis maritimis habitant, huic malo magis quam cæteri obnoxij sunt. In Iudæa, Aegypto & circa Alexandriam hic morbus velut Epidemius est. Cibi etiam crassiores, qui multum gignunt melancholici humoris, etiam apti sunt ad huius generationem. Timor & tristitia insuper perturbant sanguinem, vidimusque complures, qui nimio metu & pavore primum melancholici, deinde Leprosi facti sunt. Accedit retentio excrementorum aut alius alicuius evacuationis, cuiusmodi sunt menstrua, hæmorrhoides, etiam causari possunt hanc intemperiem. Ad summam, omnis vitæ ratio quæ vel generare vel retinere apta est humorem melancholicum, inter causas evidentes Lepræ referri potest. *Causæ Lepræ primitiuæ.*

Accedit contactus & cum leprosis conversatio, adeoque sola inspiratio, quæ causari potest lepram, & superioribus annumeranda venit. Vicium seminis genitalis inter causas certissimas referendum est: nec enim dubitari debet, si quæ contagio aut radix lepræ fit in semine parentum, quicquid inde generatur, leprosum futurum. Quamvis autem malum hoc primis annis se non exserat, ad extremum tamen prodit se, & propagatur in tertiam & quartam generationem. Si contingat mulierem concipere durante fluxu menstruo, nascetur infans valetudinarius, fortassis etiam leprosus, quod sanguis in fluente muliere habeat instar alicuius veneni. Omnibus his causis adiungi potest intemperies calida epatis & debilitas lienis qui sanguinem melancholicum expurgare non potest. Causæ antecedentes sunt Humores ita dispositi ut aduri possint. Coniuncta est Humor adustus & atrabiliaris, sparsus per totum corpus. *Antecedentes & coniunctæ.*

CAPVT. VI.

De Signis ad Iudicium Lepræ necessarijs.

VIx quisquam erit mortalium, qui non metuat atque exhorrescat ad hoc malum, considerata eius contagione & malignitate, quæ tanta est, ut in aliud corpus serpat non attactu solum, sed etiam inspiratione aëris. Hinc fit, ut ab omni ævo leprosi à cæterorum hominum cætibus procul habiti, & à sanorum societate abstinere jussi fuerint. Quin ipse Deus populo Israëlico imperavit, ut hos extra castra, & ab cætu arcerent. Constitutum insuper erat antiquis legibus, ut Leprosi manifesto aliquo signo notarentur, ut vestibus uterentur laceris, capite incederent nudo, ferentes baculum manu. Sed nostro ævo in omnibus civitatibus & rebuspublicis datur opera, ut ijs extruantur domicilia sive leprosoria extra muros, in quibus seorsim habitent, assignanturque illis crepitacula cum doliolis. *Cur Leprosi à cœtibus separentur.* *Nota Leprosorum apud veteres.*

Non debet autem fieri separatio, nisi prius quis Lepræ nomine judicetur & condemnetur per Medicos & Chirurgos, qui ob usum experientiamque Medicinæ supremi in hoc tribunali sunt judices, & ad mortem civilem condemnare possunt. Necesse igitur est, ut magnam habeant huius morbi experientiam, utque deliberato rem agant, ne conscientiam suam hoc pacto lædant, separando hominem sanum à cæterorum consortio sine gravi causa. Sicut autem hæc est impietas, ita homini leproso permittere, ut cum sanis hominibus conuersetur, est inhumana crudelitas.

Est autem verum cognoscendi Leprosos medium, ut omnia signa ad vnguem nota habeamus, quæ morbum istum comitantur, tam vnivoca quam æquivoca. Primum igitur, postquam ægrum consolatus fueris, & Sacramento ad dicendam veritatem adegeris, sciscitare ex eo, quibus parentibus aut progenitoribus natus fuerit, quos habeat consanguineos agnatosque, & an inter eos aliquis sit lepræ nomine infectus, hæc enim, ut diximus, quandoque in tertiam & quartam generationem propagatur: nec hoc in liberis duntaxat, sed & in nepotibus consanguineisque. Quære deinde, an aliquando cum Leprosis vixerit aut conversatus fuerit. Alterum quod quærendum, consistit in ratione victus, an vsus sit frequenter cibis *Media cognoscendi Leprosos.* *Regulæ Medicis obseruandæ in Iudicanda Lepra.*

crassis & melancholicis, carnibus salitis, piscibus vetulis & cariosis, vino crasso & substantioso: itemque quibus obnoxius sit animi passionibus, an repentino aliquo terrote correptus fuerit & tristitia. Tertio quære ex ipso, an aliqua evacuatio otdinaria, qualis est fluxus menstruorum vel hæmorrhoidum, suppressa fuerit: cui morbo præ alijs sit obnoxius, an unquam laboraverit Quarrana, Melancbolico morbo, Mania, Motphæa & huiusmodi melancbolicis affectibus. His enim interrogationibus Medicus vel chirurgus coniecturam aliquam assequi poterit, quod ægri temperamentum aut constitutio in hunc morbum propendeat, adeo, ut si leprosus nondum sit, paulo post fiat.

CAPVT VII.

Actus & habitudo Lepræ.

Signa Lepræ duplicia.

ACtum & habitudinem Lepræ vocamus morbum iam factum & conformatum. Hic ut recte agnoscatur, complures res observandæ veniunt, estque una pars corporis post aliam accuratè visitanda. Vbique enim offerent se signa æquivoca (id est communia) vel vnivoca, (id est, proptia & particularia) horumque alia desumuntur à toto corporis babitu, alia à siogulis partibus Quæ à roto corpore petuntur, bæc sunr: color in nigrum & lividum vergit, ob causam alimenti, quod eiusdem est coloris: in roto apparent tubera, rugæ, lichenes, rimæ, vlcerationes, squamæ & rotius cutis squalor. Sentiunt perpetuo pruritum quendam, quasi aculeis pungantur per rotum corpus: pellis frigidiusculo exposita aëri contrabitur & asperatur, ut cutis anseris deplumati: si aqua eos conspergas, apparebunr velut uncti: frigescunt facile: cotrumpitur aut aboletur apud eos sensus, non quidem intetior sed exterior, quod net vi exteriores plus offendantur, & crassus ac melancholicus humor ad cutem se retrahat, qui obtutando nervos & oppilando venas arteriasque impedit, ne spiritus libere distribui possit. Et hæc est ratio, ob quam motus permanet integer, neque sensus interior perditur: hinc fit, ut si quis eos profundius pungant, id quidem sentiant, locum tamen accuratè designare non possint. His signis adiunge debilem & frequentem arteriarum pulsum, vrinas subtiles, lividas, albas, cinetosas: postremò obserua qualis sit sanguis, an niger, an instar plumbi liuescens, cineritius, calculosus, grumosus.

Signa à partibus desumpta.

Signa quæ à partibus corporis desumuntur, apparent præcipuè in Capite: Cum enim hoc omnium membrorum corporis quam maxime expositum sit obtutui, etiam plura ibi apparent huius morbi indicia. *Defluxio pilorum.* Pili enim defluunt, vt in Alopecia, quod nutrimento destituantur, vt & ob acrimoniam excrementorum, quæ rodunt eorum radicem. Horum loco prodit tenuis quidam pilus, & rarus instar corruptæ lanuginis, manifesta imbecillitatis signa ostentans. *Frons qualis.* Frons est caperara & rugosa, qualis est Leonum: causa est siccitas: tuberosa est ob errorem assimilationis, pellucetque interdum velut cornu, cum humor atrabilaris sit niger, instar picis. *& aures.* Aures apparent rotundæ, tensæ atq; rigidæ, ob consumtionem partium carnosarum, vnde ad hunc modum afficiuntur. *& supercilia.* Supercilia sunt eleuata, indurata, callosa, cum aliquo tumore, destituta omnino pilis, aut si qui sunr, non nisi ad Solem conspici possunt, quos si euellas, hærebit in radice aliquid de carne aut cute. *& Oculi.* Oculi fiunt rotundi, quod musculi eorumque pinguedo absumatur, intenti fixique, ob exsiccationem musculorum, vt expeditè moueri non possint, rubicundi, scintillantes ignis instar, albugo in oculis apparet rubicunda, venæ circum eas inflatæ sunt & velut varicosæ. *& Nares.* Nares inferius dilatantur, & superius contrahuntur, cum consumtione cartilaginis intetioris, Polypo & fætore. *& Os.* Os præbet indicia in labris, gingiuis & lingua. Labra sunr tumida, nigra, fissa, abiecto omni calore rubicundo: gingiuæ sunt rubræ & spissæ; lingua crassa, nigra, velut calculosa, plena tuberculis in superiore & inferiore parte, venæque subter eam apparent inflatæ & varicosæ. Facies in commune nigrescit & liuer, adspectu torua & horribilis, plena tuberculis, rugis & furfuribus. *Vox qualis.* Vox rauca est, tam ob siccitatem & inæqualitatem asperæ arteriæ, quam ob vlcera in faucibus viciniisq; partibus, quæ corrumpunt halitum eumque reddunt male olentem.

Pectus.

Circa pectus obseruatur, quod mammæ incrassescant, & venæ exteriores appareanr varicosæ. In manibus pedibusque cetnitur consumtio musculorum, ratescunt eæ cum primis partes, quæ thenar & hypothenar appellantur, quæ magis conspicuæ sunt, cum musculi hic sint euidentiores. *Vngulæ.* Vngulæ sunt nigræ & liuidæ, cum stupore & torpore circa extremitates. *Penis.* Membrum virile maxima ex parte inflatum est, rigidum tensumque, cum vehementi congressus desiderio, vnde à veteribus hic morbus appellatur Satyriasis, quod ob humorem adustum & melancbolicum excitentur multi vapores crassi, qui ob continuationem cum arteriis intrant duos neruos cauernosos, eosque implent, vnde sequitur tensio, naturali omnino contraria, quod in naturali rigore membrum prius extendatur, postea repleatur, vt videmus fieri in follibus: Sed in leprosorum tensione prius impletur, deinde extenditur, vt fit in vasis scorteis, in qui-

quibus oleum fertur. Et hæc fere ſunt ſigna, quæ in hoc morbo obſeruari poſſunt, quæ ſiue ſint communia, ſiue particularia, fatendum eſt, optima deſcripta eſſe à noſtro auctore.

CAPVT VIII.

Continens Prognoſticen Lepræ.

Iudicatur Lepra à tota ſua eſſentia incurabilis: cuius rei demonſtratio & prognoſis petitur ab Hippocrate, Ariſtotele, Galeno & Auicenna. *Lepra morbus incurabilis.*

Scribit enim Hippocrates *Naturam curare morbos*, quam & Guido noſter appellat *Principale agens*. Si igitur natura partium eſt perdita, quomodo ſperanda erit ſanitas? Eſt in lepra corruptio formæ, id eſt, temperamenti, vnde putatur incurabilis. Idem Ariſtoteles annotauit, *Et Cur.* cum dixit, *Sanitatem prouenire non poſſe niſi à parte ſana, aut à tali, in qua adhuc quædam ſanitatis ſcintillæ reliquæ ſunt.* At in lepra nihil amplius eſt ſani, ſed intemperies vbiq; æqualis. Galenus verò etiam in pluribus locis obſervavit, cum ait: morbos, qui diu occulti latuerunt, ſed deinde ſe celeriter manifeſtant, curari non poſſe. Sic tetra illa accidentia, quæ morſus rabioſi canis can- ſantur, quia poſtquam diu à morſu intra corpus latuerunt, & ſi ſe deinde repente prodant, curam tamen non recipiunt. Lues Venerea, quæ ſe diu intra corpus occuluit, deinde velut momento in lucem prodit, omnem curationem reſpuit. Atqui Lepra in hunc ordinem morborum refertur.

Auicenna Lepram incurabilem iudicat, quod ſit cancer vniuerſalis. quod ſi autem particularis cancer curationem contemnit, quia remedijs violentis exacerbatur & magis ferocit, benigna verò & clementia medicamenta non curat, quæritur, quomodo Cancer vniuerſalis curari poſſit? Concludamus igitur Lepram ſiue Elephantiaſin eſſe morbum incurabilem, ipſa ſua eſſentia. Præterea hic non eſt oblivioni tradendum, quandoquidem Lepra eſt morbus contagioſus & venenatus, ſi medicinam recipere debet, oportere ut id fiat antidoto quodam particulari: atqui tale humana induſtria inventum nondum eſt neque cognitum, & quanquam ſint, qui nobis perſuadere conantur, carnem viperarum præſens habere antidotum contra Lepram, uſus tamen earum nobis hactenus contrarium oſtendit. *Cancer cur non recipiat curationem.*

CAPVT IX.

Cætera Guidonis obſcuriora in hac materia explicans.

CVM MATERIA EGRESSA VENIS IAM IN CARNE EST.

Hoc accipiendum eſt de venis maioribus, alias enim venæ ſectio nec hilum quidem profuerit: phlebotomiâ enim id euacuari non poteſt, quod eſt extra venas. ad hunc modum ipſe quoq; Galenus ſub habitudine corporis comprehendit venas minores.

DE DVABVS VENIS ORGANICIS.

PER duas Venas Organicas oportet vt intelligantur jugulares duæ, quæ ob manifeſtam magnitudinem ſuam & cauitatem appellantur Organicæ: neq; quicquam abſurdi importat, eandem partem ſimilarem eſſe & Organicam, cum id fiat diuerſo reſpectu. Vena eſt pars ſimilaris ſuo temperamento, quod in omnibus & per omnia ſibi eſt ſimile. Organica eſt, quia vas eſt rotundum, cauum, conſtitutum vt ſit vehiculum ſanguinis.

DONEC APPAREAT DEFECTVS.

DVplicem admittit hic textus interpretationem: quidam enim accipiunt de venis maioribus, quod è paruis ſanguis extrahi non poſſit vſq; ad deliquium virium, alii capiunt, vſq; ad defectum ſanguinis & coloris Lepræ.

CAPVT X.

De adminiſtratione Serpentinæ.

LIbro vndecimo De Simplicibus annotauit Galenus pluſculas Hiſtorias memorabiles, quibus oſtendit, carnem Viperarum verum eſſe Lepræ antidotum: quod purget & expellat Venenum ex toto corporis habitu, eiiciatq; per cutem. Quo autem pacto id fiat, nobis non-dum liquet, eſtque hæc operatio referenda ad proprietatem aliquam occultam, non autem qualitatem manifeſtam, quæ potius aduerſam habere vim videtur, & promouere Lepram. Quomodo autem hæc caro præparetur, multis verbis deſcribit Auctor, aitq; vtendum ea eſſe ea ratione modoq;, qua quis poſſit quam optime. Quod ſi quis apud noſtros eandem vim carnis viperinæ non expetiatur, is referat ad viperas, quæ ad nos aſſerùntur, quæ fortaſſe eandem vim ac proprietatem non habent, quam in illis locis & erga eos, vbi adhibentur ad curandam Elephantiaſin confirmatam. Reliquum eſt, vt dicamus, Lepram confirmatam aut omnino incurabilem eſſe, aut ſi aliquando ſanetur, id magis miraculoſa quam naturali fieri ratione. *De carnibus viperinis Lepræ profis exhibendis.*

Andreæ Laurentii de Lepra FINIS.



ANDREÆ LAVRENTII, CONSILIARII ET ARCHIATRI GALliarum Regis celeberrimi, Tractatus

DE LVE VENEREA.

Eius Origine, Essentia, Causis, Differentiis, Signis, postremo curatione huius mali.

CAPVT I.

Morbum Venereum, siue, vt vocant, Verollas, morbum esse penitus nouum, & quomodo distinguatur à Lepra aliisque morbis, quibus cum in multis rebus conuenit.



Lib.26. ca.1. Olere Naturam producere atque gignere subinde nouos morbos, Veteribus ac meliori seculo incognitos, doctissime pariter ac verissime annotauit Plinius. *Mentagra quando Romæ corperit.* Sic imperante Tiberio Cæsare nouum quoddam morbi genus Romam inrrauit, cuius ne nomen quidem antea auditum fuetat, incipiens à mento, indeq; proserpens in vniuersam faciem, vt nihil in ea præter oculos intactum relinqueret. Contrahebatur malum hoc ex vsitatis Romæ basiis, inuadebatque viros Patricios, Ordinis Equestris & primi nominis Romanos, ita vt fœminas seruosque & plebeios homines non corripuerit. Nomen imposuerunt ei *Mentagræ*, quod à mento vis contagiei oriretut. *Lepra quando talis cognita.* Ita Lepræ morbus incognitus fuit Italiæ ante Cn. Pompeii Magni tempora. Sic nostro hoc seculo complures ac peregrinæ species Ophthalmiæ obseruatæ sunt, quæ vniuersam prope peragrauerunt Europam: & nostro tempore vidimus Anginæ speciem, cui à crocitatione Gallorum gallinaceorum nomen vulgus imposuit. Sed quid opus est, exempla procul arcessere? *Initium morbi Gallici.* Sola Verolla, siue (vt nos deinceps vocabimus) Lues Venerea pro cæteris sufficere potest, quæ nostræ Orbis parti incognita fuit, nisi post annum à nato Christo MCCCCXCV, cum regnante Carolo VIII. Francorum rege Neapolis obsessa fuit.

Disputatur autem ab auctoribus, an penitus nouus iste sit morbus, an ad aliquem priscorum affectuum, & qui veteribus noti fuerunt, referendus sit. *Lib.3. Epidem. sect.3. Aphor. 21. sect.3.* Sunt qui censent, Hippocrati notum fuisse, quod alicubi describat pestilentem quandam constitutionem, qua multis nares cum ore & palato putredine correptæ fuerint. Idem Hippocrates in Aphorismis mentionem facit putrefactionis partium genitalium. Aliis videtur species quædam esse lepræ, quod in vtroque morbo Epar præcipue sit pars affecta; quodque eadem comitentur vtrumque accidentia, cuiusmodi sunt defluuium capillorum, crustæ, vlcera, scabies & alia. accedit, quod Lues Venerea quandoq; degenerat in lepram, & eodem modo contagiosa est, vt lepra. Alii vi magna contendunt, Luem hanc esse ipsam Mentagram, à Plinio descriptam: quibus aduersantur, qui ad Malam Mortem siue Malum Mortis Auicennæ referunt, qui morbus Arabum lingua *Albiti* dicitur. Postremo sunt qui vocabulo Græco *Psoram* dicunt, quæ vox significat scabiem vniuersalem cum defluuio pilorum.

Lues Venerea morbus veteribus incognitus. Nos verò in hac sumus sententia, vt Luem Veneream statuamus morbum penitus nouum Veteribusque incognitum, qui ad nullum eorum, quos supra recensuimus, referri possit.

Non est descriptus ab Hippocrate. Primo enim, accidentia illa ab Hippocrate obseruata superuenerunt grassanti pestilentiæ, quæ malignitate sua potis est non solum corrumpere os nasi & palati, sed & totum corpus, adeoque ipsam carnem. Quod autem Pestilentiæ morbus hoc efficere possit, locuples dicit Thucydides testimonium in rebus Atticis. Neque tamen proinde concludendum est, quod

morbus

morbus ille fuerit Lues Venerea, vt largius parebit ex descriptione illius cum substantiæ, cum accidentium & remediorum.

Cur hanc Luem Lepram appellemus, non video rationem. Lepra enim semper coniuncta est cum inæqualitate cutis, in hoc morbo cutis semper æqualis est. Lepra non incipit à membris genitalibus: hic morbus sæpissimè. In lepra nulli fere sentiuntur dolores: hic longè crudelissimi. Cutis leprosorum est dura, nigra & callosa; Lue Venerea infectorum nequaquam. Leprosi assiduo fæminarum appetitu stimulantur, tentanturque Satyriasi: at qui Lue Venerea laborant, plane frigidi sunt. Leprosis pubes circa verenda, ut & pili sub alis cum capillis decidunt, quod Verollatis non accidit. Lepra generatur ex humore melancholico adusto; Lues Venerea ex quouis humore. Postremo Lepra de tota sua essentia incurabilis est: morbus Venereus, quantumuis inueteratus, curari tamen potest. Lues igitur Venerea, Lepra non est, quanquam illa in hanc degenerare possit, si leuiter æstimetur vel male curetur, per putrefactionem & adustionem humorum. Etsi autem vterque morbus contagiosus est, ingens tamen est differentia inter causas seminarii illius atque contagionis. Quod ad partem principem affectam attinet, quanquam e par sit subiectum vtrinsque; fatendum tamen est, consequentiam à similitudine deductam imbecillem admodum esse: hac enim ratione Hydrops etiam Lepra dicetur, cum ab errore jocinoris pariter oriatur. *Neque est Lepra.*

Neque plus causarum video, ob quas morbus iste *Mentagræ* nomine, (qui affectus *Lichen* aut *Impetigo* veterum est) insigniri debeat, cum Mentagra inceperit à mento, & mulieres cum infima plebe ab ea immunes fuerint: Morbus autem Venereus sæpius à partibus verendis auspicetur, & omnis generis sortisque homines indifferenter inuadat. *Neque est Mentagra.*

Albiti illud Avicenniæ primo ac præcipuè crura ac femora occupat, Lues Venerea totum corpus. In *Psora* Græcorum pilus decidit cum crusta: in Verolla sine crusta. Præterea psora est morbus cutis, Lues Venerea Epatis. Concludemus igitur Luem Veneream esse morbum novum, nuper visum cognitumque in Europa ab anno A N. C. M C C C C X C V, Carolo octavo Gallorum rege Neapolim obsidente, ut ad hoc vsque tempus, quo hæc scripsimus, centum triginta & uno annis tyrannidem suam exercuerit hac Lues, idque per plerasque omnes partes Europæ; Asiæ Africæque. Sed videamus nunc, quo pacto & per quos in Italiam illata sit, unde per totum prope orbem sparsa est atque disseminata. *Neque Albiti Auicennæ nec Psora.*

CAPVT II.

Origo morbi Venerei, qui primum ab Indis occidentalibus his regionibus invectus est.

POstquam in superioribus ostendimus, Luem Veneream esse morbum novum: consequens est, ut explicemus, à quibus partibus tantum malum ad nos venerit, & quo pacto ille morbus generatus, auctus, inque omnes partes nostri Orbis disseminatus fuerit. Astrologi suo more referunt originem eius ad Astra, quod anno Salutis M C C C C L X X X I V certa constellatio & coniunctio fuerit Martis, Iovis & Saturni. Hanc illi dicunt instar præsagij aut nuncij fuisse futuræ Luis Venereæ. Alijs magis placet, ex singulari quodam aëris vicio eam generatam fuisse. Tertij, sponte sua natam esse, ex infectione & corruptione humorum. Medicus quidam non incelebris, cum iter faceret per Italiam, & Neapolim transiret, habita diligenti super hoc malo inquisitione ait se ex hospite suo, sene octogenario intellexisse, lixas & caupones, qui exercitui cibaria subvehere soliti fuerint; urgente supra modum fame, clanculum militibus carnes humanas manducandas exhibuisse; quo facto celeriter se malum hoc in vniversum exercitum diffudisse. Hinc credebat Medicus ille, Luem Veneream ideo hominibus supervenisse, quod comederint carnes suis similes. Hanc opinionem suam vt roboraret, dixit, nutrivisse se complura animalia, ut carnes porcosque carnibus eiusdem speciei; puta canum porcorumque, quibus paulo post capilli defluxerint; ulceribusque rotum corpus oppletum fuerit, ut perpetuo rimore & debilitate correpta manserint. His subiunxit Medicus iste, morbum hunc ideo occidentalibus Indis perquam familiarem esse, quod barbari isti Anthropophagi humanis se implere adsueverint carnibus, unde & illis nomen istud impositum fuerit. *Astrologorum de hoc morbo opinio.*

Nostra fert opinio, morbi huius veram originem venire ab Indis Occidentalibus, quem Hispani suis navigationibus acquisitum, ad nos instar thesauri attulerint. In illis enim partibus morbus hic non minus frequens est & vsitatus, quam apud nos scabies: suntque corpora illis ad eum modum disposita, ut si quis vir cum muliere congrediatur; durante fluxu eius menstruo, nihil certius sit, quam ut hac lue corripiatur. Hispani redeuntes ab Indis illis, cum ad bellum Neapolitanum irent, adduxerunt secum multas fæminas, non injucundas quidem aspectu, cæterum parum sanas putasque, sed hoc infectas morbo. Has Hispani vsitata mali- *Lues hac per Hispanos in Europam allata.*

 tia

tia & vafritie castris Gallorum immiserunt, quibus cum misti Franci è vestigio tam luculenti patrimonij participes facti fuerunt: unde in totum exercitum lues se sparsit.

Cur hæc lues dicatur morbus Gallicus. Hinc credendum est, fuisse orta nomina illa, *Morbus Gallicus, morbus Neapolitanus, & Lues Hispanica.* Morbus Gallicus quidem, quod hi omnium primi ab eo occupati fuerint. Neapolitanus, quod in obsidione eius vrbis acciderit. Malum Hispanicum, quod Hispanorum ope ab Indis in has partes invectum fuerit. Plerique (quos & nos sequimur, ut parcamus nationibus) appellant *Luem Veneream*, quod sit morbus contractus ex impuritate & sordibus actus Venerei, quodque frequenter initium capiat à pudendis partibus. Dixerunt quidam *Pudendagram*, nescio quam benè. Fracastorius novo morbo novum nomen invenit, sed nisi fallor, perappositum, cum Sypbilin dixit: notatione vocabuli à Scropha & amore desumta, quod vulgus publica prostibula hoc nomine appellet. Vulgus Gallorum suo more Magnos Variolos nominat, ad differentiam minorum, qui infantibus accidunt. Ex his quæ diximus, hoc præter cæterea intelligi potest, Luem Veneream esse morbum contagiosum, qui non invadat corpus sine attactu alterius viciati.

CAPVT III.

Quidnam sit Morbus Venereus.

Lib. 2. de diff. morb. Omnem morbum aut esse similarem, aut Organicum, aut Communem, Galenus nobis auctor est. Idem rursus, cumque eo omnes saniores Medici, vnum tantum morbum similarem agnoscunt, qui est Intemperies.

Opinio Fernelii improbata. Fernelius introduxit duas novas species: morbum formæ & materiæ. Hinc vult, Luem Veneream esse morbum formæ vel totius substantiæ, cum causa eius sit occulta, neque curari possit per remedia methodica.

Nos vero, cum morbos illos formæ non agnoscamus, dicimus, luem istam esse intemperiem. Etsi enim causa eius occulta est, nec ad aliquam qualitatem referri potest, effectus tamen facile in sensus incurrit, & omnia accidentia, quæ in hoc morbo se produnt, ut vlcera, tumores & alia, possunt referri ad unum, è tribus morbi generibus.

Lues hæc est intemperies frigida. Rationes. Cum autem omnis intemperies vel calida sit vel frigida: Morbus Venereus intemperies calida dici non debet, ut multi viri docti existimaverunt, interque eos Montanus: sed intemperies frigida, quod nos hoc modo ostendere conabimur. Sunt omnino duæ res, quæ nobis aperiunt essentiam & naturam morbi incogniti: Symptomata, quæ morbi comitantur: & media curationis. Iam si Venerei morbi Symptomata consideramus, inveniemus ea omnia frigida:

Signa. dolor capitis continuus, qui de nocte plus affligit quam interdiu: dolor iuncturarum, facies inflata, color pallidus, defluuium pilorum, ulcera phlegmatis salsi, tumores nodosi: hæc inquam omnia sunt symptomata, quæ adsuevernnt comitari intemperiem frigidam. Præterea curatio huius morbi fit per remedia calida, sudorifera & diuretica. in hoc genere sunt Lignum Guaiacum, & radices, Chinæ & Salsaparillæ aliæque. Concludimus igitur, Luem Veneream esse intemperiem frigidam.

Quæ pars sit affecta. Cum autem ad perfectam definitionem satis non sit, invenisse genus, inquirendum insuper est super parte ægra & affecta.

Arbitrantur nonnulli cutim esse: alij caput vel partes genitales. Nos sentimus, veram huius morbi sedem esse in epate, ut & in lepra: quod cognoscimus ex actione oblæsa. In morbo Venereo manet facultas animalis & vitalis integra: at facultas naturalis offenditur, quod satis ostendunt tumores, dolores capitis, vlcera, defluvium capillorum, cæteraque symptomata omnia. Constat autem facultatem naturalem habere sedem suam in Epate: erit igitur Epar sedes huius morbi. Rursum, bubones, (ut ait Hippocrates) sunt germina partium nobilium. At in morbo Venereo apparent bubones in inguinibus, quæ res satis commonstrat, exonerate se jecur in propria illa huic rei emunctoria.

CAPVT IIII.

De causis morbi Venerej.

Causæ morborum duæ. Observat Hippocrates, in omnibus morbis causarum genera duo: vnum est efficientium, per quæ agit: alterum recipientium, quæ causæ ita dispositæ esse debent, ut actionem alterius recipere possint. Si alterum ex his duobus desit, morbus generari non potest.

Causa morbi efficiens duplex. Si vero cum virtute & potentia causæ efficientis subiectum ad recipiendum dispositum sit, statim sequitur effectus. Est autem subiectum omnium morborum corpus hominis vivum. At verò causa efficiens vel externa, vel interna. Externa appellatur à Græcis προκαταρκτική, à nobis primitiva vel Evidens. Interna itidem duplex est, antecedens & coniuncta. Ex omnibus his causis primitivam & exteriorem in Venerea Lue observare possumus, ne mpe con-

tactum corporis infecti, à quo prodit maligna & venenosa qualitas, nobis incognita. Hæc autem qualitas sine corpore esse non potest; aliàs tantos producere effectus non posset: Comitatur ergo eam vapor quidam crassus cum subtili humiditate, quæ primum inficit partem attingentem, deinde penetrando nunc quidem per vasa, nunc verò per ductus insensiles aggreditur epar, ibique sibi sedem constituit. Postremo per communicationem & transportationem humorum communicatur cæteris corporis partibus. Infecta enim massa sanguinis, & dissipato calore naturali spirituum, ad extremum epar acquirit intemperie frigidam. Et quemadmodum Febris est intemperies calida solitis cordis; quamvis totum corpus incalescat: & velut Apoplexia atque Epilepsia indispositiones cerebri particulares sunt, quamvis convulsio & resolutio appareant per totum corpus: Ita Lues Venerea est indispositio particularis Epatis, quamquam effectus eius per totum corpus animadvertantur.

CAPVT V.

De contactu.

CVm dicimus contactum esse causam primitivam morbi Venerei, distingui volumus inter contactum duplicem. Alius enim est Mathematicus, qui consistit in contiguitate duarum quantitatum, cum duo corpora se immediate contingunt. Alius Physicus, qui fit per communicationem alicuius qualitatis sive potentiæ. quanquam corpus unum ab altero longius absit. Primis annis hic morbus adeo furiosus fuit, ut sola inspiratione ingrederetur corpora, si quis infecti halitum etiam è longinquo hausisset. Nostra autem ævo solus ille vapor non sufficiens est ad causandum hunc affectum, oportet ut adsit etiam liquor, quod tamen fieri potest absque immediato contactu infecti corporis. Hic liquor etiam in exigua quantitate sociatus vapori, ingentes tamen producit effectus, haud secus ac ictus Scorpionis & morsus canis rabiosi. Primo agit in partem quæ contacta est, unde est quod dicimus, posse hunc morbum omnes partes corporis invadere: os enim corripit per osculum, cutem per attactum, mammas lactendo, manus, si quis infantem extrahat ex vtero mulieris hoc morbo infectæ: Omnium maxime autem invadit partes genitales, quod præ alijs sint calidæ humidæque, & per consequens admodum dispositæ ad recipiendam infectionem. Partes exteriores, quanquam infectæ sint vel inficiantur, non tamen sequitur necessario, eos Venerea lue corripi. Si enim epar est robustum, ut venenum foras expellat, corpus curabitur: si verò dispositio subiecti cum veneno coniungatur, de necessitate est, ut gignatur hic morbus.

Contactus duplex. Mathematicus. & Physicus.

CAPVT VI.

De differentijs morbi Venerei.

SVmuntur differentiæ Luis Venereæ à tempore, materia, accidentibus. Quod ad tempus attinet, Morbus hic vel est recens vel inveteratus. Haud manifestat se celeriter, aut delitescit aliquot mensibus in corpore, quod nocentius est. Ratione materiæ: vel est hæc lues phlegmatica, vel melancholica, vel sanguinea, vel denique biliosa. Ratione accidentium Fernelius quatuor ponit huius morbi species sive gradus: prima est cum solo pilorum defluvio. Secunda cum parvis maculis instar lenticularum, alias quidem rubicundis, aliàs flavis, quibus tota cutis variegatur, sine tamen elevatione aut tumore. Tertia est cum pustulis siccis & crustosis, vlceribus rotundis tumoribusque nodosis. Quarta cum carie ossium & corruptione partium solidarum, cuiusmodi sunt ligamenta, tendines, membranæ, nervi & similes. Addemus nos superioribus Quintam differentiam à partibus affectis desumtam. Morbus Venereus invadit aliquando partes Carnosas, aliquando solidas, cuius generis sunt ossa & cartilagines.

Differentiæ morbi huius. Libro de Luis Venereæ curatione.

CAPVT VII.

De signis Morbi Venerei.

FAcimus nos hæc duplicia: Diagnostica & Prognostica. Diagnostica rursum sunt vel propria vel communia. Propria sunt pustulæ, alias quidem rubicundæ, aliàs verò lividæ, rotundæ, & à principio siccæ absque sanie: deinde autem cum crusta, quæ apparent primum in facie & capite. Vlcera partium pudendarum, densarum, carnosarum, oris, cum relaxatione Vvulæ & raucitate vocis. Dolor non est in iuncturis, sed in medijs membris, vagans incertusque, magis affligens noctu quam interdiu, quandoque etiam cum Cephalalgia incipiens. Pili non tantum decidunt à capite, sed etiam è barba & supercilijs. In inguinibus apparent bubones, sequiturque gonorrhæa. Cum morbus est inveteratus, ossa fiunt cariosa, inprimis os palati & nasi, ob eius mollitiem & raritatem. In ossibus apparent nodosi tumores, in cæteris partibus nodi & excrescentiæ athetomaticæ.

Signa propria morbi recentis. Signa morbi inveterati.

His

His signis propriis possumus adiungere alia communiora, qualia sunt lassitudo vniuersalis, grauedo totius corporis, color faciei pallidus, ambitus oculorum velut liuescens, somnus interrumpitur leuibus febriculis, accedente tristitia & mœrore animi.

De Prognosi hæc habemus. Est Lues Venerea nostro æuo nequaquam tam acris & furiosa, vt fuit primis annis, potestque integrè & ex fundamentis curari. Corpora tamen cacochymica magis affliguntur & difficilius ad sanitatem reducuntur. Inter quatuor temperamenta Melancholicis plus hic exhibetur negocii, quam reliquis. Ratione quatuor temporum anni, facilior est & expeditior huius morbi cura vere & Æstate, quam Auctumno & Hyeme. Cum hic morbus jam partes solidas inuasit, & cum corruptione ossium, videtur propemodum incurabilis.

CAPVT VIII.

De Cura Morbi Gallici, & primo quidem de Diæta in ratione victus obseruanda.

Cura Verolarum. VT omnium cæterorum morborum, ita quoque Luis Venereæ curatio perficitur medianti-bus tribus instrumentis therapeuticis, nempe Diæta, Pharmacia, Chirurgia.

Diæta in genere. Diæta complectitur legitimam administrationem sex rerum non naturalium. Laudatur *Aër.* autem quicquid calidum est & desiccatiuum. Eligendus igitur est Aër calidus & siccus, absq; tamen excessu. Loca humida, exposita ventis, maritima, frigidiora, omnino contraria sunt huic affectui.

Cibi. Videndum vt cibis vtatur boni succi: panis sit ex optimo tritico, bene fermentatus & excoctus: Carnes crassiores & melancholicæ, quales sunt bubulæ, porcinæ, aprugnæ, leporinæ, auium aquaticarum, inprimis palumbum, inimicæ sunt huic morbo. Conducent autem carnes arietinæ, agninæ, caponum, pullorum gallinaceorum, perdicum, auium montanarum, & hæ qnidem magis assæ quam elixæ. Pisces nihil faciunt ad rem, præterquam ij quorum caro est solidior, quales sunt truttæ, rubetæ & aliorum huius generis. Lac & quicquid inde conficitur, noxium est. A fructibus penitus abstineat, sigillatim à pomis crudis. Vtetur rectius amygdalis, pineis, pistachiis, auellanis, uvis siccatis siue passis, & quæ sub hunc censum referuntur. Pro potu eligatur vinum tenue, quod non sit opus multa aqua diluere, ob dolores *Potus.* partium, qui fere hoc malum comitari solent.

Somnus & Vigiliæ. Quod ad Somnum & Vigilias, omnis excessus in somno noxius est, inprimis autem meridianus. Quanquam non oberit, interdiu aliquot horas quieti dare, si noctem maxima ex parte insomnem egit, vt ægris hisce fere euenire solet. Nihil vtilius erit motu assiduo satisq; violento, vt se exerceat saltando, currendo, ludendo pila, & similibus exercitiis: Constat enim *Excrementa.* his talibus curam huius mali sæpius ex sententia successisse. Venter sit semper solutus, qui si natura talis non sit, fiat fluens artificio, ope iusculorum laxatiuorum & clysterum lenitiuo-*Affectiones animi.* rum, quos suo loco & tempore adhibeat. Affectus & passiones animi, inprimis timor & tristitia subministrant huic malo pabulum. Rerum Venerearum vt & balnearum vsus penitus in hoc morbo interdictus esto.

CAPVT IX.

De Chirurgia.

HAbet & hæc locum suum in curatione Morbi huius tam infamis, inprimis per Venæ sectiones, applicationem ventosarum & sanguisugarum. Phlebotomia magnum vsum habet, si in principio mali adhibeatur. Verum est, oportere prius & antequam Vena secetur, ex-*Venæ sectio bona.* purgati corpus leuiter cum Minoratiuo (vt vocant) in forma boli aut potionis, talia sunt *Catholicon, Confectio Hamech, Diasenum solutiuum, Diacarthamum, Diaphenicon, De citro solutivo.* Sunt qui venæ sectionem penitus improbant in hoc malo, quod hæc, vt illi quidem aiunt, non conueniat morbis frigidis. Prohibent hanc Galenus & Auicenna, si multæ in venis sint cruditates: sunt autem haud dubie in Lue Venerea multi humores crudi. Quod si adhibeatur Venæ *Sed cum discrimine.* sectio tunc, cum jam bubones & pustulæ apparent, impedietur motus Naturæ, quæ res plane aduersatur doctrinæ Hippocratis, qui vult, vt Natura in operationibus suis magis adiuuetur, *Aphor. 21. sect. 1.* quam retardetur motus eius. Sed superioribus illis facile respondetur sic. Primo, non secamus Venam in Lue hac refrigerandi gratia, sed ad euacuandum epar & Vasa. Cum Galenus prohibet Venæ sectionem in cruditatibus, hoc est intelligendum de corporibus admodum debilitatis, firmis enim robustisque eam permittit. Quod ad bubones inguinum attinet, qui apparent, distinguendum est: tunc enim cum sit fluxio, & bubo crescit, Venam secari non suademus: fluxione autem cessante, & bubone jam ad suam quandam perducto perfectionem, audacter suaserim, vt euacuetur corpus per Venæ sectionem: quatenus eam & ætas, & tempus, & vires ægri permittunt. Secanda autem erit inter Venas Basilica in brachio dextro, quam Hippocrates appellat Epaticam. Ventosæ siue cucurbitulæ sunt phlebotomiæ vicarii, possunt-

possuntq; in variis applicari partibus, puta scapulis, inprimis autem natibus & coxis, quibus magna est cum jocinore familiaritas, cuius sunt emunctoria. Quidam laudant Hirudines, si applicentur venis hæmorrhoidalibus.

CAPVT X.

De Pharmacia.

PEr pharmaciam intelligimus administrationem medicamentorum & remediorum tam internorum quam externorum. Debent autem interna semper præcedere, ut quæ vniversaliota sunt, sub quibus comprehendimus purgantia, alterantia, sudorifica & alia, quæ morbum Venereum curare apta sunt, proprietate quadam specifica, & appellantur *Antidota*. Purgantia primo loco posuimus. Vt autem purgatio melius succedat, cum humor ille morbidus sit crassus, spissus, viscosus & rebellis, præparandus hic est & concoquendus cum remedijs attenuantibus, detergentibus & incidentibus. Fiet hoc haud dubiè optime cum Apozemate quinque aut sex diebus mane, quo præparantur & purgantur omnia simul, hoc modó.

Medicamenta interna. *Purgantia.*

Recipe rasuræ ligni Indici vnciam j. rad. cyperi, galangæ, calami aromatici ana drachm. vj. herb. betonicæ, melissæ, Chamedrij, Chamæpytios, polij montani, hyssopi & salviæ ana manip. j. Sumit, fumariæ, lupuli, agrimoniæ, absynthij pontici ana man. semis. foliorum senæ mundatæ, seminis carthami contusi ana vncias ij. Polypodij quercet. liquiritiæ, passularum exarillat. ana drach. x. seminis apij. petroselini, anisi ana vnc. sem. hermodactylorum num. vj. Agarici recens trochiscati dragm. iij. Zingiberis drachm. j. epithymi drachm. j. semis. florum stoechados, salviæ, scordij ana p. j. decoquantur omnia in aqua purissima: cape de colatura libram j. semis, in qua dissolve syrupi de fumaria compositi & de epithymio ana vnciam j. semis. sacchari quant. sat. fiat Apozema clarum & aromatizatum cum nucis myristicæ scrup. iiij, accipiat quatuor dosibus mane.

Apozema præparatiuum.

Debet autem Medicus in purgando ægro naturale eius temperamentum diligenter considerare, ut & morbi stasin, ac proinde vel augere vel minuere dosin purgativi, ut videbit ex usu & re esse. Post vsum huius Apozematis seqnetur vera purgatio cum potione vel pilulis. Potio fiat ad hunc modum.

Recipe decocti præscripti Apozematis vncias iiij. in quibus dissolve confect. hamech & elect. diasenæ solutivæ ana drachm. iij. syrupi rosarum solutivi & de fumaria ana drachm. vj. fiat potio.

Potio purgãs.

Pilulæ fiant ad hunc modum.

Recipe massæ pilularum de hermodactylis, cocchijs & fœtidis ana scrupulum j. trochiscorum alhandal. vel diagridij grana tria cum aqua betonicæ, formentur pilulæ quinque.

Pilulæ purgantes.

Facta ad hunc modum evacuatione per venæ sectionem & medicamenta purgantia, cum hoc non sufficiat ad curandum hunc morbum, ad vera antidota deveniendum est & remedia, quibus inest facultas expellendi venenum Venereum. Inter hæc primum locum tribuunt ligno, quod & Sacrum & Guaiacum vocant: cuius nos primò describemus historiam, & quo pacto in lue Venerea eo sit vtendum; deinde etiam aliquid dicemus de Salsaparilla & Radice China.

CAPVT XI.

Continens Historiam Ligni Guaiaci.

ALlata sunt ad nos ante plusculos annos ab Occidentali India tria Simplicia, quorum excellens & admiranda est facultas, suntque hæc: *Lignum Guaiacum*, *Radix China*, & *Salsaparilla*. *Guaiacum* dicitur à loco in quo potissimum crescit. Nostri vocant *Lignum Indicum*, sive *Lignum Sanctum*. *Indicum* quod crescat apud Indos, qui morbo huic Venereo populariter obnoxij sunt, ut Deus illis gentibus videatur simul cum morbo etiam medicamentum suppeditasse. *Sanctum* propter operationes plane divinas. Fuerunt qui existimaverunt Guaiacum nihil differre ab Hebeno, cum nigrum sit, & in aqua fundum petat. Sed decipiuntur hi, cum Hebenum sit plane nigrum & in vniversum, Guaiacum verò tantum in medio nigrescat, & Hebeno multo sit densius ac ponderosius. Alij putaverunt Guaiacum esse speciem Buxi, sed ingens est inter utramque arborem differentia, ut noverunt qui utramque viderunt. Adde his, quod buxi lignum levitate sua in aquis natet, cum illud subsidat. Tertiis videtur illud lignum esse quod Avicenna descripsit & *Racon* nominavit, cuius usum præstantem prædicat in doloribus juncturarum & passionibus nervorum. Atqui cum Avicenna viveret, Novus ille Orbis, sive adversum nostro hemisphærium nondum erat cognitum vel detectum. Ignotum igitur sine dubio fuit Avicennæ omnibusque Antiquis. Hispanus quidam, cum infectus morbo Venereo huius ligni vsu curatus fuisset, illud ad nos attulit, unde subinde maior ei conciliata est fama & usus frequentia.

Nomina ligni Guaiaci. *Differt ab Hebeno.* *Et à Buxo.*

Igitur Guaiacum est arbor alta & crassa, assurgens ad proceritatem Fraxini, vel Ilicis, ramos portendens complures. Folia eius similia sunt folijs Arbuti, florem profert flavescentem, fertque fructum aliquo modo rotundum, ea specie quam duo fabæ coniunctæ referunt. Stir-

Forma Guaiaci.

pe est crassa, corticem habens crassam densamque, lignum est durissimum, in medio nigrum, exteriora albicant nonnihil: substantiæ gummosæ, oleaginosæ, ac proinde non sine odore.

Invenitur & aliud lignum apud eosdem Indos, eiusdem prope cum Guaiaco virtutis, sed magis flavescens magisque odoratum, plus etiam resinæ habens, sed substantiæ non adeo densæ: est hoc verum illud *lignum Sanctum*, quod nostro ævo in usu esse desijt: unde factum est, ut hoc nomen Guaiaco postea tribueretur. De qualitatibus huius ligni ita iudicant, esse temperamenti calidi, cum masticando illud lingua modice incalescat, in hoc potu sumtum calefaciat ventriculum, applicatum vlceribus faciat ut illa incalescant. Huius etiam caloris manifesta indicia præbent odor & sapor. Odor est aliquo modo aromaticus, index caliditatis, sapor autem acris & amarus. Cum autem hæ qualitates non excedant in hoc ligno, ut dicamus id calidum & siccum esse in fine secundi gradus.

Qualitates ligni Guaiaci.

Porro effecta, proprietates & virtutes huius ligni sunt admirabiles: pollet enim facultate attenuandi, incidendi, detergendi, solvendi, corroborandi, provocandi sudorem & vrinam, convenitque præcipue intemperiei frigidæ ventriculi, obstructionibus viscerum, tumoribus frigidis, paralysi, tremori membrorum & infirmitati nervorum, eijcitque occulta quadam proprietate Venenum Luis venereæ, unde & huius proprium antidotum esse dicitur. Nihil autem ex tota illa arbore in usus medicinæ venit, præter lignum & corticem. Inde etiam utuntur flore, folijs & fructu ad purgationes. Lignum hoc est optimum, quod neque est nimis antiquum, neque nimis recens, sed quod inter hæc medium obtinet. Cum teritur lima vel serra, oportet ut suaviter oleat, sit gummosum, careatque nodis internis. Quo gravius, eo habetur melius, & cortex quo crassior & gummosior, eo iudicatur præstantior: & hic quidem maiorem vim exsiccandi habere creditur, quam ipsum lignum.

Virtus & proprietas ligni.

Electio Ligni Guaiaci.

CAPVT XII.

De præparatione ligni Guaiaci.

Guaiaci ligni preparatio triplex.

Est autem ratio ligni Guaiaci præparandi triplex. Quidam enim illud radunt, alij secant in minutas partes, alij carpunt ad tornum, postremo quidam lima terunt: quæ duæ postremæ rationes sunt optimæ. facit autem hæc comminutio, ut lignum facilius macerari possit,
1. & suam cum liquore communicare virtutem. Altera est maceratio (sive, ut vocant, Infusio)
2. quæ fit cum illud imponitur aquæ limpidæ per horas viginti quatuor, addendo ad singulas vncias ligni singulas libras aquæ (vel etiam sesquilibras) Vtuntur fere aqua frigida, ego tamen tepidam prætulerim. Tertia est coctio. Immittitur lignum in ollam fictilem vel vitream,
3. cuius orificium sit angustum, venter autem capacior, ne inter bulliendum exhalent vapores. Vtuntur autem duplici ratione coquendi: prior est fortior, servitque ad provocandum sudorem, ut mane sumatur: coquitur enim tam diu, donec consumta tertia liquoris parte, duæ tertiæ supersint: si quis magis velit exsiccare, decoquitur usque ad unam tertiam. Altera ratio est levior, cuius decoctum ad mensam bibitur. Fit autem ex residuo prioris concoctionis, adiungendo magnam quantitatem aquæ, unde coquendo solummodo tertia pars consumitur. Sunt autem insuper plures coquendi Guaiaci modi; habemus enim decoctiones simplices & compositas. Simplex fit cum sola aqua, ligno & cortice. Composita cum aqua, vino albo, multisque simplicibus acingredientibus, quæ adiunguntur pro ratione curandæ ægritudinis. In Lue Venerea utimur decoctione simplici.

Decoctio ligni multiplex.

Quæ in usu ligni consideranda.

Ligno ad hunc modum præparato, tenendus est verus eo vtendi modus. Hic aliquot consideranda sunt. Primo tempus. Si exigat necessitas, exhiberi potest quovis tempore, quamvis tempus anni magis appositum sit vernum vel Auctumnale. Secundo Locus. Eligenda est camera sive cubiculum angustum, calidum & bene clausum. Tertio observandæ sunt horæ diei, & quantitas potionis. Mane circa horam quintam aut sextam sumendæ sunt octo aut novem vnciæ primæ decoctionis, non ultra, inde tegatur æger lecto aut multis stragulis, sudetque ita ad unam vel duas horas. Si sudorem natura non propellat, evocandus is est artificio, calidis linteaminibus & pulvinaribus, appositis ad latera, pedes, manus, totumque adeo corpus. Deterso sudore & siccata cuti surgat æger de lecto, & deambulet aliquantum per cubiculum, post adsideat igni. Inter decimam & vndecimam horam capiat prandium, utaturque toto curationis tempore carnibus assis, sed modice, & pane biscocto, usque ad quatuor aut quinque vncias. sumet interdum amygdala, Vvas passas, avellanas, pistacia & nuces pineas. Potus eius erit secunda concoctio Guaiaci, de qua bibet quantum volet interdiu, cum sitis admonet. Quinta post prandium hora repetat primam decoctionem, collocet se in lectum, & sudet denuo, sed non tantum quantum mane. Tribus horis post cœnet, observata eadem, qua in prandio, ratione.

Quamdiu eo vtendum.

Quarto sciendum est, quam diu decoctione ista vtendum sit. Maxima pars Medicorum nostri temporis, ut placeant ægris, constituunt hanc Diætam per XV. aut XX. dies, quanquam certe hoc tempus non sit sufficiens. Ego potius ad trigesimum vel quadragesimum diem

diem extenderim. Durante Diæta, cum Venter non satis laxus est, solemus octauo, quoq; die corpus purgare cum supra descripta potione. Aliis boc parum arridet, dicentibus, non faciendas esse duas euacuationes contrarias, & sufficere sudorem. His nos respondemus, sudore subtiliora euacuari, crassa vero expelli non posse, nisi per purgarionem. Modus ergo vtendi ligno Guaiaco hic erit optimus.

Recipe rasuræ ligni Indici libram j. *corticis eiusdem vncias* iiij, *macerentur & infundantur simul per spacium viginti quatuor horarum, in libris decem aquæ purißimæ, deinde coquantur & bulliant in vase vitreo aut terreo bene obturato, lento igni, ad duarum vel trium partium consumtionem: tandem colentur per manicam Hippocratis. Capiat de colatura manè vncias octo, deinde operiatur & sudet.*

Recipe fæces præscripti decocti addendo ligni recentis vncias ij. *aquæ fontanæ libras* XII. *decoquantur ad mediæ partis consumtionem vel tertiæ, vtatur hoc decocto in pastu loco vini.*

CAPVT XIII.

De radicibus China & Salsaparilla.

Radix Chinæ unde veniat.

POstquam vsus Ligni Guaiaci in Europa increbuit, allatæ sunt nobis aliæ quædam radices quibus prope eadem est proprietas & sudoris prouocandi virtus. His in defectu Ligni vtendum erit, quanquam semper Guaiacum præferatur in morbo Venereo. Harum radicum prior vocatur *China*, posterior *Salsaparilla*. China affertur ad nos ex regione Chinensi siue ab Seribus populis vicinisque Insulis: vnde nomen non inique obtinet, vt Radix China dicatur. Plantam ipsam nemo ad banc diem descripsit, cum sola radix ad nos afferatur, quæ similitudinem aliquam habet cum radice bistortæ, aut arundinum cannarumue maiorum: vnde planum fit, errare eos, qui existimant, Chinam radicem esse apion Dioscoridis. Nam Apios habet radicem rotundam instar rapæ, gustu pyrum referentem, & ad vescendum aptam. Non me fugit Chinam in officinis nominari Apion, sed hoc ideo fit, quod sapore omnino careat: nam ἄπι☉ Græcis significat sine gustu & sapore. *Apios Dioscordis. lib. 4. cap. 70.*

China radix quæ optima.

China radix quæ bona est, oportet ut aliquantulum rubescat, sit ponderosa, sine carie & erosione vermiculorum. Præparatio eius ad hunc babet modum. fiunt rotulæ inde admodum subtiles, ut macerentur horis decem aut duodecim, deinde coquuntur ad ignem, additis ad vnam vnciam radicis tribus aut quatuor libris aquæ. Fiunt hinc decoctiones dnæ, velut de Guaiaco, ut una sumatur mane, altera ad cibum capiendum. Decoctum autem boc non tam durabile est quam illud de Guaiaco, sed acescit mox: optimum igitur fuerit, singulis diebus id renovare, & sub cineribus calidum conservare. Radix China calida non est, sed habet vim fortirer desiccandi. Altera radix est *Salsaparilla.* nos existimamus esse speciem Smilacis Asperæ, quamquam multo plus habeat virtutis quam nostra. Præparatio nihil differt à superioribus. *Salsaparilla.*

CAPVT XIIII.

De Vnctionibus.

Medicamenta externa.

LVes Venerea, cum iam inveterata est, & in partibus solidis radices egit, curari tollique medicamentis superius ordinatis non potest, quanquam ea methodica sint: cogitur igitur devenire ad curam Empiricam, & alia invenire remedia, quæ distinguuntur in tres ordines. Primus habet vnguenta, secundus Emplastra, tertius perfumigationes.

Vnguenta.

In vnguentis observanda sunt hæc tria. Materia, Forma, Modus vtendi. Materiæ nomine intelligo ingredientia, ex quibus ipsa compositio conficitur. Ingredientia sunt Argentum vivum, pinguedines, medullæ, gummia, olea & ceræ. Inter hæc omnia Argentum vivum principem locum obtinet, estque velut pro fundamento.

Fernel. cap. 6. & 7. tractatus sui de Verolla.

Multi nec indocti Medici nostri temporis Argenti vivi usum reprobant & detestantur, ob accidentia & inconvenientias, quas singulis prope diebus inde oriri vident, quod sit capitalis hostis cerebri & omnis substantiæ nervosæ. Sed si bene miscetur temperaturque cum pinguedinibus, & aliquo modo corrigitur admistione oleorum quæ fortificant cerebrum & nervos, possumus eo uti in casu necessitatis, sed cum iudicio, inprimis si videamus obstinationem morbi, nulli alij medicamento cedere volentis. Inter pinguia singulariter commendatur pinguedo porcina, inter medullas vitulina, inter olea vulpinum, laurinum, lumbricorum, amygdalorum amarorum: pro ditioribus facit oleum de spica & Caryophillis.

Forma.

Quod ad formas unguentorum attinet, compluresh abemus descriptiones apud auctores. Communiores & usitatiores hæ sunt: prima, quæ leuior est & pro ægris delicatioribus.

Recipe Axungiæ porcinæ libram j. *olei amygdalini & lumbricorum ana vnciam* j. *semis. Styracis liquidæ drachmas* iij, *hydrargyri extincti vncias* iiij, *ceræ quantum satis, misceantur & agitentur in pila marmorea, fiat vnguentum.*

Quod sequitur fortius est, & facit pro robustioribus.

Rec. axungiæ porcinæ uncias vj. butyri recentis vncias iij. Olei vulpini & lumbricorum ana drachm. j. & semis, hydrargyri triti & extincti vncias v. ceræ quant. sat. fiat vnguentum.

Laudatur ad hunc effectum Emplastrum de Vigo, quod perutile est. Quod ad modum vtendi his vnguentis, postquam remedia vniversalia præcesserunt, electo cubiculo angusto & calido, & perfecta manè digestione, ungendum est non totum corpus, ut imperiti faciunt, sed palmæ manuum & plantæ pedum, & iuncturæ dorsi. Cavendum est, ne contingantur partes nobiliores, quæ magis corroborandæ erunt. Vnctione ad ignem & calide facta, involvatur æger lodice, & collocetur in lectum suum prius calefactum: vbi sudet fortiter per spacium vnius horæ aut duarum. Satis erit in die vnctionem semel adhibuisse, eamque hoc pacto continuare, donec se aliqua Crisis offerat, aut effectus qoispiam notabilis, cuius generis sunt fluxus ventris, mitigatio dolorum, desiccatio vlcerum, subsidentibus tumoribus, veleriam, usque dum vires ægri nimis diminuantur.

Modus vngendi.

CAPVT XV.

De Emplastris & Perfumigiis.

Emplastrorum vsus.

INvenias multos hoc morbo correptos, qui ob nimiam teneritudinem vnctiones perferre non possunt: vnde necesse fuit inuenire aliam curandi rationem, quæ fit per Emplastra, quæ imponenda sunt juncturis, ipsisque adeo partibus, quæ solent inungi relinquuntur hæc ita applicata, donec appareat aliqua Crisis. Forma communis Emplastri & vsitatior hæc est.

Recip. massæ emplastri de meliloto & oxycroceo ana libr. j. hydrargyri extincti vncias vj. olei de spica & costini ana quant. sat. fiat massa de qua formentur emplastra articulis applicanda.

Huic eidem effectui conducet emplastrum de Vigo.

Suffumigationes.

Vltimus curandi Luem Veneream modus consistit in Suffumigationibus, quæ sanè admodum periculosæ sunt, quod vapores directò petaot partes nobiles, cor inquam & cerebrum. Vehementiores fiunt de Cinnabari, constante ex argento viuo & sulfure. Mitiores fiunt cum Auripigmento & Sandaraca. Communis forma hæc est.

Recip. thuris, mastiches ana drachm. iij. Styracis calamitæ, Ladani puri ana dragm. ij. Cinnabaris vncias ij. misce, fiat suffitus, cuius drag. ij. vel iij. iniiciatur super prunas candentes, excipiat fumum sub conopeo.

Huic operationi optimè conueniet hora matutina. Continuetur hoc donec crisis aliqua appareat, aut fluxus saliuæ ex ore. Suaderem ego, vt omnibus modis impediatur fumus, ne ad caput adscendat.

CAPVT XVI.

De Hydrargyro siue Argento viuo.

CVm Argentum viuum omnium ingredientium, in quibus vnguenta, emplastra & suffitus fiunt, præcipuum & velut basis sit, operæ precium est scire, quæ sit eius proprietas, & an curet Luem Veneream qualitate quadam manifesta, an vero virtute occulta. *Hydrargyron* vocant Græci, voce ab aqua & argeoto desumta, quod colore argentum quidem repræsentet, cæterum instar aquæ diffluat.

Nomina.

Latini nominant *Argentum vivum*, quod adeo mobile sit ut imperiti vel pueri credere possint illud vivere. Chymicorum oatio *Mercurij* nomen ei imposuerunt, quod sit materia communis omnium cæterorum metallorum (ut aiunt) quemadmodum Mercurius est interpres pseudotheorum.

Species duæ.

Sunt autem huius species duæ: aliud enim est naturale, aliud artificiale. Naturale crescit io argenti fodiois & plumbi, estque metallicum, cuius ingens eruitur copia in Germania. Artificiale (ut observavit Dioscorides) fit ex minio & Cinnabari. Chymici plures notant species, utunturque eo ad transformationem metallorum. Vsus eius est ab omni retro antiquitate, laudaturque non à Græcis solum Medicis, sed etiam Arabibus, ad desiccationem vlcerum malignorum, adque resolvendos tumores duriores. Vtuntur eo nostri ævi homines cum extra corpus tum intra, vt in Pilulis, quæ ideo vocantur de Mercurio, suntq; inuentæ pro Verolaris. Fiunt ex argento viuo tria medicamenta, quæ quidem in vsu sunt, sed valde periculosa. Primum dicitur argentum sublimatum, quod fit per sublimationem salis ammoniaci & Mercurij. Alterum est præcipitatum, quod fit per præcipitationem argenti viui, & aquæ ardentis, quæ & Fortis dicitur. Tertium est Cinnabaris, constans sulfure & argento vioo.

Vsus eius Antiquissimus.

Dubitatur vehementer, quale sit Hydrargyri temperamentum, nec parum torsit Medicos nostri temporis hæc quæstio. Sunt qui dicant calidum, nixi auctoritate Galeni, qui dixit esse calidum, corrosiuum & substanoæ tenuis. Notum est, per qualitates secundas nos deduci ad cogoitionem primarum, quod illæ ab his immediate dependeant. Ostendunt autem nobis qualitates secundæ Argenti viui eiusq; effecta, calorem eius ad oculum: nam tenuis est substantiæ, & penetrat properè omnes ductus corporis, tanta mobilitate & leuitate, vt si quis eo

Qualitas argenti viui.

vngat plantam pedis, è vestigio ad cerebrum adscendat, ut quotidiana experientia testatur: resolvit itidem & attenuat tumores duros scirrhososque; provocat sudorem, salivam oris, fluxum ventris. De cæteris ita habet: quicquid ex argento vivo factum est, calefacit manifeste, cuiusmodi est Mercurius sublimatus, præcipitatus, & Cinnabaris. Præterea, cum hydrargyro curetur morbus venereus, qui frigidus est, consectarium est illud esse calidum; nisi mentitur receptum illud axioma: *Contraria contrarijs curantur.*

Nos vero nixi principijs & fundamentis melioribus in eâ sumus sententia, ut dicamus, Argenti vivi temperamentum esse frigidum, his rationibus. Observamus in omnium metallorum generatione principia duo: materiale & efficiens. Materia argenti vivi est substantia quædam aquosa, contenta intra cavitates terræ. Causa efficiens est frigus, concurrens ad condensandam & congelandam istam materiam. Si igitur sequimur philosophorum placitum, cum dicunt, rem omnem retinere naturam sui principij, principia vero argenti vivi sunt frigida, sequetur sine dubio, ipsum principiatum esse frigidum. *Argentum vivum esse frigidum.*

Accedit, quod Argentum vivum actu deprehenditur frigidum. id autem frigus non est accidentarium: consequens igitur est, hanc frigoris qualitatem ei à principijs esse impressam.

Quod grave & ponderosum est, ostendit dominium elementi frigidi super calidum. Est insuper hostis capitalis ignis, cuius ne præsentiam quidem fert. Postremò omnia accidentia, quæ producit eius usus, sunt frigida, & proinde tot testes eius frigiditatis. Huius generis sunt Apoplexia, Paralysis, Tremor membrorum, Vertigo, Lethargus, Caroris, stupor omnium sensuum. Hinc, puto, recte concludimus, esse frigidum. Auctoritas Galeni nihil nobis adversatur, cum ipse fateatur, ignorare se eius facultatem, neque se eo vsum. Quod dicunt de qualitatibus secundis, respondemus: Argentum viuum adscendere ad cerebrum non leuitate sua, sed occulta quadam Antipathia. Est enim singulare Venenum cerebri, & omnia noxia accidentia morbique ab hac parte prodeunt. Sudores prouocat per accidens, frigiditate sua & subtilitate extrema. Neq; vero purgat suo temperamento, sed per occultam quandam qualitatem, qua ratione etiam curat morbum Venereum, non quod sit frigidum calidumque, sed sua quadam proprietate. Sublimatum, Præcipitatum & Cinnabaris calida sunt per accidens, & acquirunt calorem istum per vstionem & admixtionem rerum calidarum, exempli gratia, à sulfure, ab aqua forti & vino distillato.

CAPVT XVII.

De principalibus accidentibus morbi Venerei, & primò quidem de Ardore Vrinæ.

Accidentia quæ Lues Venerea secum trahit multa sunt, nec vnius generis: quædam enim præcedunt eam, quædam comitantur, quædam vero sequuntur. Hæc omnia requirunt correctionem particularem à Cura generali differentem. Nos hic tantum de præcipuis agemus, qualia sunt, Ardor Vrinæ, Vlcera virgæ, defluuium pilorum, & dolores partium. Ardor Vrinæ appellatur etiam Gonorrhæa Venerea, quod illud, quod è pene prodit, speciem aliquam seminis genitalis referat. Nos hunc affectum sic definimus: *Esse inflammationem glandularum prostatarum, ortam à contactu corporis impuri & infecti.* Ex hac definitione fit euidens, hoc accidens multum differre à Gonorrhæa antiquorum, quæ, vt Galenus scriptum reliquit, est fluxus inuolunrarius seminis, ortus ex imbecillitate partium spermaticarum. Ita id quod in Gonorrhæa effluit, est semen crudum & aquosum; istud vero quod in ardore Vrinæ prodit & est sanies quædam, quæ oritur ab inflammatione, deinde ab Vlcere, vnde mutat colorem; cum aliàs sit album, aliàs viride, interdum sanguineum, pro malignitate Vlceris inflammati. Obseruauit Galenus, in omni inflammatione interiori prodire serositatem aliquam. Sic Pleuretici & Peripneumonici exspuunt fere sanguinem: Phrenetici & Ophthalmici facile fundunt lacrymas. In inflammationibus externis hoc non ita apparet, quod sanies densitatem cutis penetrare non possit. Cum igitur ardor Vrinæ sit inflammatio interna, oportet vt sanies quædam effluat, qua cum fieri potest, vt se quandoque misceat semen. Differt ergo ardor iste Vrinæ à Gonorrhæa ratione materiæ: in vno effluit sanies, in altero semen, differunt & in essentia: in vno est inflammatio, in altero non. In subiecto: in Gonorrhæa partes affectæ sunt testiculi & vasa spermatica, quæ ad eum modum debilitantur, vt semen continere non queant; in Ardore verò afficiuntur prostatæ, sitæ infra collum vesicæ. Differunt hæc insuper in accidentibus; Ardor enim Vrinæ semper cum dolore est & tensione membri virilis, siue Priapismo. Prouenit autem ardor iste ab inflammatione & resiccatione humiditatis oleosæ & salinalis, quæ irrorat & suauiter linit meatum Virgæ: tensio siue conuulsio membri est Sympathica, prouenìens à dolore & vaporibus, qui inflant duos neruos: quæ omnia in Gonorrhæa non fiunt. Differunt postremò in causis. Ardor Vrinæ Venereus semper venit à causa externa, contagiosa & Venenosa: Gonorrhæa autem oriri potest ab causa interna. *Accidentia Lues Venereæ.* *Ardor Vrinæ quid.*

Varias statuunt auctores huius ardoris Vrinæ differentias: interdum enim venit ex reple-

tione, potestq; generari à calefactione, velut saltando, equitando & ad hunc modum: interdum ex inanitione: postremò ex contactu, vocaturque Venereus, qui pol est certus futuræ Luis Gallicæ nuncius: ut rursum morbus iste, si perperam curetur, aut intempestiuè supprimatur, hunc affectum secum vehit: siquidem Venenum interiora penetret, ipsumque eparoccupet. Cura Ardoris Vrinæ Venerei incipit à ratione victus refrigerante, adhibita phlebotomia si corpus sit plethoricum, hinc veniendum ad Pharmaciam & remedia tam interna quam externa.

Curatio ardoris Vrinæ.

Interna sunt purgantia & alterantia. Quæ violenter purgant, huc non faciunt: vtendum igitur est clementioribus, inprimis ijs, quæ habent facultatem purgandi renes & ductus vrinarios: cuiusmodi sunt casia & Terebinthina in bolo sumta. Terebinthina sæpius lavetur cum aqua plantaginis. Huc faciunt etiam Clysteres lenitivi & refrigerantes. Factis evacuationibus, à principio utendum est remedijs interius refrigerantibus, cuiusmodi sunt Apozemata, Iulapia & Emulsiones, admiscendo semper aliquid, quod abstergat & purget vreteres. Ad finem utendum est remedijs internis desiccantibus & abstergentibus, in Iulapij forma sumtis. Quod ad remedia externa, variandum est pro tempore inflammationis. Si dolor & inflammatio magna est, utendum est refrenativis, applicando ea exterius super perinæum, in virgam autem mittendæ injectiones factæ è lacte, ut & emulsiones ex seminibus frigidis, succo plantaginis, Solani, & similibus. Præterita inflammatione, cum in vlcus ea degeneravit, utendum est iniectionibus detersivis, & sub finem magis desiccantibus, quales sunt iniectiones factæ de hordeo, melle rosata & alijsad exsiccanda vlcera aptis. Si ardor hic nimis diu duret, optimam eius sistendi rationem præbebit decoctum Guaiaci, per quindecim dies legitime sumtum.

Remedia interna.

Remedia externa.

CAPVT XVIII.
De Bubonibus Venereis.

Bubo quid sit.

Galenum si sequi volumus, definimus Bubonem *Inflammationem glandularum*: quæ si promtè veniat ad suppurationem, erit phyma. si fiat è materia biliosa, dicetur phygethon. Sunt Bubonum differentiæ multæ. Cum alij sint simplices, alij maligni. Simplices superveniunt febribus, & doloribus partium inferiorum. Malignis aliquid veneni cohæret, suntque vel pestilentiales vel Venerei. Venereus magis appellatur Bubo ob partem affectam videlicet inguen, quam ratione essentiæ, nunquam enim oritur ex sanguine puro, vt vera phlegmone, estq; frequenter absque calore, rubore & dolore. Materia eius est frigida & pituitosa, vnde fit, vt tardius moueatur. Præcedit aliquando Bubo Luem Veneream, aliquando comitatur, interdum præseruat ægrum ab eo, beneficio & virtute epatis, eiecto Veneno, & in emunctoria illa deposito. Curatur autem Bubo Venereus per Diætam, Pharmaciam & Chirurgiam. Diæta debet esse temperata, venæ sectio erit vtilis, post quam fluxio cessauit, existente corpote plethorico. Purgatio proderit sub initium & finem, quod materia sæpius frigida sit.

Curatio Bubonis Venerei.

Per Topica.

De topicis ita sentimus: nequaquam vtendum esse repercutientibus, quod tumor fiat in emunctorio, & materia sit venenosa, ut reversio eius ad interiora futura sit periculosa. Nec periculo carebit, si solis resolventibus uti velis, cum verendum sit, resoluto eo quod subtilius est, crassior & terrestris materia induretur inque scirrhum degeneret. A principio utendum est attractivis, ut emplastro quod diachilon vocatur, & ventosis, quæ hic multum prosunt. Deinceps locus erit suppurativis; postremo facta suppuratione apetiatur Bubo ferro, vel canterio actuali aut potentiali. Vlcus ad cicatricem non est perducendum, nisi probè virus effluxerit. Si Bubo comitetur Verollas, quod ex symptomatibus colligitur, ad curam generalem recurrendum est.

CAPVT XIX.
De Vlceribus Virgæ virilis.

Vlcera Virgæ ut curanda.

Frequens hoc malum est, acciditque aliquando à nudo contactu impuræ mulieris, ut virus non serpat vlterius: interdum per corruptionem & putredinem excrementorum in partibus retentorum: aliquando vicio epatis, quod cum tecepit impressionem Veneni, exonerat se, deponens quod crassius est, in inguina, vnde fit Bubo: subtilius vero ad glandes prostatas, vnde oritur Ardor Vrinæ, vel ad Virgam, causando vlcera. Si vlcera ex contactu fiunt, sine lue, curantur facile, cum fomentatione in aqua calida, vel cum Vrina statim in principio. Si non veniendum est ad Colyrium Lanfranci, quod desiccat & abstergit, vel ad Ægyptiacum, vel ipsum Mercurium, si opus sit. Si vlcera comitantur luem Veneream, curari non poterunt, nisi remediis generalibus supra præscriptis.

Andreæ Laurentii, De Lue Venerea FINIS.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ D. ANDREÆ LAVRENTII Tractatibus diuersis, DE SENECTVTE, DE MORBO ARTICVLARI, DE LEPRA, & LVE VENEREA continentur.

un-

FINIS.